DE EVRIPIDE AESCHYLI INSTAVRATORE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

OTTO KRAVSSE
RVDOLPHOPOLITANVS

IENAE
TYPIS G. NEVENHAHNI
MCMV

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Hirzel.

JENA, den 4. Februar 1905.

Professor Dr. Eucken,
d. Zt. Dekan.

PARENTIBVS · CARISSIMIS

SACRVM

Si ex acerbitate illa, qua Aristophanes Ranarum in fabula Aeschylum Euripidemque de artis tragicae principatu inter se facit certantes, colligere liceret, quid re vera duo illi poetae alter de alterius arte et moribus ingenioque senserint, haud scio an nemo dubitaret, quin tanta fuerit dissimilitudo eorum, vix ut fingi possint duo et homines et poetae inter se magis dispares quam fuerunt Aeschylus et Euripides. Dixerit quis Aristophanem ne umbram quidem veri esse secutum in illa describenda lite, sed comica licentia tales amborum poetarum mutuas inimicitias affinxisse, eo magis quod constat Aeschylum illo tempore, cum Euripides ad tragica accederet certamina Athenis, ante annum Gelae obisse diem supremum. Sed tamen, quod ad Euripidis sententiam attinet, veri aliquid illis inimicitiis ab Aristophane fictis subesse sic ut Euripides saltem Aeschyli fabulas odio inimicitiisque persecutus esse censendus sit, nemo negabit, dummodo consideraverit, quam acerbe Euripides interdum illum perstringat, velut notissimis illis Electrae et Phoenissarum locis, quorum altero Choephoron anagnorismum, altero perlongam nuntii de septem Argivorum ducibus narrationem acerrime vituperat. At quamvis Euripides prisci illius poetae artem contempsisse eique obtrectasse videatur, tamen iam veteres viri docti observaverunt cum in aliis fabulis tum in ipsa illa Phoenissarum tragoedia exstare versus ad Aeschyli tantopere carpti exemplum factos. Quin ad recentiores quod attinet viros doctos, non deerant, qui contenderent artis Aeschyleae non tam Sophoclem, quam Euripidem exstitisse propagatorem: ut nuperrime Eduardus Schwartz eius libri, quem inscripsit „Charakterköpfe aus der antiken Literatur“ p. 34[a] de tribus tragicae artis principibus verba faciens „Beide Dichter“ (Sophocles et Euripides), inquit, „fanden ein fertiges Erbe vor, die Tragödie, die Aeschylos aus einem leichten Spiel zu einer grossen, ernsten Dichtung gemacht hatte. Sie haben beide dies Erbe gut gewahrt und gemehrt, aber der echte Nachfolger des Aeschylos ist Euripides gewesen.“

Quae cum ita sint, haud absonum esse videtur in illas necessitudines, quas inter Aeschyli artem Euripideamque intercedere viri docti censent, inquirere easque colligere, idque ita ut simul Sophoclis artem cum illorum conferamus arte, non quo omnino novas posituri et diiudicaturi simus quaestiones, sed quia operae pretium fore arbitramur ea, quae in commentariis virorum doctorum de hisce necessitudinibus docte observata sunt, denique colligere, illustrare, disponere. Atque ita rem instituemus, ut primum inquiramus, quae Aeschyleo sermoni cum Euripide communia sint neque tamen apud Sophoclem inveniantur, deinde videamus quantopere Euripides ab Aeschylo dependeat in conformandis singularum fabularum argumentis, quique loci in his ad illius exemplum compositi esse videantur, tertium in universum conferamus Euripideam artem cum Aeschylo et Sophocle.

Ac primum quidem quaeratur

A. De similitudine, quae intercedit inter Aeschyli Euripidisque sermonem.

Inter Aeschyli Euripidisque dicendi rationem certas quasdam necessitudines intercedere eo magis miramur, quod praecipue propter ipsum tragicum sermonem Euripides in Aristophanea fabula Aeschylum cavillatur, eum *κομποφακελορρήμονα* appellans et qui adhibeat *ῥήματα βόεια .... Ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους, δείν' ἄττα, μορμορωπά Ἄγνωστα τοῖς θεωμένοις.*

Atqui certas quasdam similitudines easque minime fortuitas inveniri amborum in fabulis iam dudum vvdd. recte evicisse videntur. Velut Fridericus Schroeder in libro, quem conscripsit „de iteratis apud tragicos Graecos“ dissertat. Argentorat. philolog. vol. VI non modo collectionem fecit talium versuum, quos Euripides ad Aeschyli exemplum confinxit, de quibus tamen ipse monet „non aliter iudicari posse, quam de eis, quae intra unius poetae fabularum fines contineantur, cum utrumque iteratorum genus ex fortuita recordatione explicandum sit“, sed etiam nonnullas „insolentiores verborum copulationes ita comparatas, ut non ex fortuita alicuius loci recordatione explicentur“ contulit, quasque Euripides consulto atque certo consilio ad suam dictionem exornandam ab Aeschylo mutuatus esse videatur [1]). Ante Schroederum C. A. Bern-

---

1) Quamquam Schroederus summa cum diligentia omnia, quae ei huc spectare videbantur, congessit, tamen non potuit fieri, quin longe plurima omitteret,

hardus Todt in libello, quem composuit „de Aeschylo verborum inventore" si non omnia at certe plurima indicavit vocabula eorum, quae ab Aeschylo novata cum alii post illum et poetae et scriptores tum Euripides usurpaverunt. Schirlitzius vero „de Euripide novi sermonis inventore" doctissime disserens in enumerandis compositis ab Euripide novatis ne talia quidem omisit, quae ille ab Aeschylo desumpsisse videatur. Denique H. C. Althausius praeter ceteros accurate inquirens in tragicorum Graecorum dialectum, nonnullas significat formas ab Atticorum sermone alienas, quae apud Aeschylum quidem Euripidemque, neque vero apud Sophoclem inveniantur [1]); ut mittam virorum doctorum adnotationes, quae ad eandem similitudinem spectantes passim per commentarios dispersae exstant.

Quod igitur nunc, quamquam non ignoro huiusmodi vestigia apud Euripidem Aeschylea maximam partem iam detecta et indicata esse, tamen operae pretium fore puto denuo in illam rem inquirere, id ideo fit, quod mihi eadem tractaturus acta agere non videar, praesertim cum adhuc nemodum totam illam materiam collegerit aut inde quid sequatur exposuerit.

Ita autem rem tractabo, ut primum disseram de formis Euripidea aetate ab Atticorum sermone alienis, quas a Sophocle non usurpatas Euripides Aeschylum, ut videtur, secutus iterum in tragicam induxit dictionem, sive hic ex Homericis carminibus sive ex Doriensium vel Aeolum dialecto sibi sumpserat. Deinde nobis disputandum erit de obsoletis peregrinis aliisque id genus verbis, quae ab Aeschylo praecipue adhibita Euripides quoque in usum suum vertit, Sophocles contra respuisse videtur.

Tertio autem loco nobis enumeranda sunt Homerica vocabula, quae apud Aeschylum Euripidemque reperiuntur, non item apud Sophoclem [2]). Tunc quaerendum est, quantopere Euripides ab Ae-

---

utpote qui Euripidem non tam Aeschyli quam sui ipsius imitatorem illustraret. Putaverim igitur Schroederi libro meas collectiones non esse supervacaneas factas.

1) Praeterea laudandi sunt qui item hanc materiem attigerunt: Bernhardus Gerth, quaestiones de Graecae tragoediae dialecto (Stud. zur griech. u. lat. Gramm., ed. Georgius Curtius vol. I fasc. 2 p. 191 sqq.); Carolus Kuehlstaedt, Observationes criticae de tragicorum Graecorum dialecto (Reval. 1832); Hubertus Eichler, De formarum quas dicunt epicarum in tragoediis Aeschyli atque Sophoclis usu; C. Th. Ullmann, Proprietates sermonis Aeschylei quatenus in diverbio perspectae sunt. 1881. 1890. 1891. 1892. part. 4.

2) M. Lechner, De Homeri imitatione Euripidea. Erlang. 1864; E. B. Kosteri libri (studia tragico-Homerica. Daventriae 1891 diss. Leyd.) mihi non est copia facta inspiciendi.

schylo pendeat vocabulorum inventore et novatore, postremo tandem tractabimus „rariores illas verborum copulationes“, quas Aeschylus primus conformasse, Euripides autem ab eo mutuatus esse videatur.

Tragicos multas epicas ionicasve formas sibi sumpsisse idque ita, ut certae quaedam inveniantur apud omnes illos tres, nonnullae autem tantum apud hunc vel illum exstent, vix est, quod commemorem. Velut iam in productione epica, quae dicitur, adhibenda modo inter se congruunt, modo discrepant idque eo modo, ut ab altera parte stet Sophocles, ab altera Aeschylus et Euripides: Etenim invenies nomina *ξεῖνος*, *μοῦνος* saepissime epicorum more producta ab omnibus esse usurpata ita, ut ne volgares quidem desint formae *ξένος*, *μόνος*. Idem fere cadit in adiectiva *ἐνόδιος* (seu *εἰνόδιος*), *ἐνάλιος* (*εἰνάλιος*). Contra productam verbi *ἑλίσσω* formam Aeschylus ponere maluisse videtur ita, ut solitam nusquam adhiberet, seu metro indulsit hac in re, seu ei illa ut tragici sermonis dignitati aptior magis placuit. Ter enim exstat in Promethei anapaesticis partibus, vv. 138, 1085, 1092 [1]). Euripides promiscue, utut metrum vel natura loci postularat, modo hanc modo illam praeferebat formam: namque exempla productae formae *εἱλίσσω* satis crebra sunt, neque desiderantur loci, ubi magis usitatum illud *ἑλίσσω* recurrat [2]). Ab altera stat parte Sophocles, qui ter omnino hoc verbum adhibuit nusquam insolentiore forma admissa (El. 746 d. Ai. 357 c. Ant. 231 d.).

Epicum illud *Ἀθηναία*, quod etiam antiquiori Atticorum sermoni haud alienum fuisse titulis elucet (cf. Meisterhans „Gramm. der Att. Inschr.“ [3] p. 32), apud Sophoclem frustra quaeres, utpote qui *Ἀθάνα* tantum posuerit. Contra Aeschylus longiorem quoque sibi sumpsit formam Eum. 288. 299. 614. in diverbiis; neque aliter Euripides J. T. 1436.

1) 1085 et 1092 ni cum Turnebo *εἱλίσσουσιν* et *εἱλίσσων* pro Medicei *ἑλίσσουσιν* et *ἑλίσσων* restituis, metrum pessumdatur.

2) Verbum per *ει* scriptum legitur Or. 172. Tro. 116. Phoen. 234. J. T. 1103. 1145. Herc. 671. 690. J. A. 1055. Ba. 569. El. 180. idque in canticis. Eadem per *ει* forma adhibita est, metri causa ut videtur: Phoen. 3. Or. 444. J. A. 1571 in diverbiis, semel autem ni fallor in senario metro non cogente: Ion. 40 (*εἱλικτόν*). Tritior forma hisce canticorum locis recurrit: Or. 1266. 1378. 1432. Tro. 333. Ion. 1504. J. A. 215. 1480. Phoen. 652 (*ἑλικτός*). In diverbiis Herc. 868 (troch.) 977. Andr. 448 (*ἑλικτά*). Hipp. 864. Tro. 3. Suppl. 141. J. T. 7. Phoen. 711. 1622. Ba. 1123. fr. 221, 2. fr. 674. Praeterea haud scio an Hel. 1362 c. pro tradita *ἑλισσομένα* forma iure mutaverint vvdd. productam, utpote quae metro melius conveniat. Pro *εἱλιχθεῖσα* J. T. 444 c iam manus correctrix in Laur. 32, 2 mutavit *ἑλιχθεῖσα*.

Ionica forma *πολιήτης*, quae nusquam apud Sophoclem occurrit [1]), semel autem ab Aeschylo usurpata est, bis in Euripideis legitur fabulis. Si autem locos, ubi haec reperiatur forma, accuratius pernoveris:

Aesch. Pers. 556: *ἀβλαβὴς ἐπῆν Τόξαρχος πολιήταις* (cant.)
Eur. El. 119: *κικλήσκουσι δέ μ' ἀθλίαν Ἠλέκτραν πολιῆται* (cant.)
Hipp. 1126: *ὦ ψάμαθοι πολιήτιδος ἀκτᾶς* (cant.)

haud scio an summo iure putes haec exempla Ionica non minus referri posse ad metri necessitudinem quam ad tragicorum studium prisci grandisve sermonis colorem captantium.

Certe autem sublimioris soni affectandi causa factum est, quod Aeschylus in Prom. v. 645 (d) et v. 122 (an) ionica, quae vocatur, contractione usus, ibi *πωλεύμεναι* hic *εἰσοιχνεῦσιν* scripsit, quoniam pariter in metrum quadrassent volgares formae Atticorum more contractae *πωλούμεναι* et *εἰσοιχνοῦσιν*.

Euripides quidem et ipse talia admisit:

cf. Med. 423: *τὰν ἐμὰν ὑμνεῦσαι ἀπιστοσύναν* (c.)
Hipp. 167 sq.: *τὰν δ' εὔλοχον οὐρανίαν Τόξων μεδέουσαν ἀΰτευν* (c.)
Iph. Aul. 789: *μυθεῦσαι τάδ' ἐς ἀλλήλας* (c.).

Atque Aeschylum vidimus etiam in diverbiis talia admittentem, cum Euripides in canticis tantum ponere ausus sit. Apud Sophoclem vero ne in canticis quidem in id genus Ionica incides, nisi quidem cum Hermanno facies, qui Trach. 639 pro tradita lectione *πυλάτιδες καλέονται*, ut antistrophico *λάφυρ' ἔχων ἐπ' οἴκους* melius responderet — quamquam illud *καλέονται* commodissime per synizesin ut trisyllabum legi potest, ni cum Musgravio *κλέονται* praefers — mutatum voluit *καλεῦνται*, Sophocli quoque hanc contrahendi rationem imputans. At rectissime iam Althausius monuit omnia ea vocabula, ubi codices illam contractionem exhiberent, rariora esse atque sublimiora, velut *πωλέω*, *οἰχνέω*, *ἀϋτέω*, *ὑμνέω*: nunc autem cum his conferas quaeso id quod ab altera parte est *καλέω*, ultro intelliges in hoc tritiore verbo non satis aptam esse Hermanni coniecturam, ita ut magis arrideat, quod idem vir doctissimus Aesch. Sept. 78 et Cho. 970 in voce *θρέομαι* satis antiqua ac paene obsoleta, eundem illum diphthon-

---

1) Tritior forma apud Sophoclem legitur O. C. 1095 (*μολεῖν γᾶ τᾷδε καὶ πολίταις* — resp. — *ἐωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα* c) ib. 1579 d. O. R. 513 d. etc.

gum — ευ — mutando efficere voluit, quam qui reciperent coniecturam non deerant vvdd.[1]).

Praepositionum quoque insolentiores formas easque epicas invenies apud tragicos. Omnes quidem ποτὶ et ὑπαὶ pro πρὸς et ὑπὸ admiserunt; διαὶ solus sibi sumpsit Aeschylus. Idem in compositis adhibuit καται- (cf. Prom. 359 καταιβάτης) et fortasse παραι- (si quidem Eum. 553 sub corrupto περαιβάδαν tale quid latet, vel Sept. 743 cum apographis παραιβασίαν legendum). Utrumque apud Euripidem recurrit, qui Bacch. 1361 καταιβάτην et Suppl. 677 et 679 παραιβάτας posuit idque in diverbiis.

Ut iam supra vidimus in tractanda voce πολιήτης cum Aeschylum tum Euripidem metro plus concessisse quam Sophoclem, ita etiam in nomine πόλις simile quid observari potest. Sophocles quidem semper usitatam πόλις adhibuit formam, insolentius illud πτόλις in compositis tantum admittens velut ἀπόπτολις (O. R. 1000 d. O. C. 208 c. Trach. 647 c) et ὁμόπτολις (Ant. 733 d). Contra apud Aeschylum Euripidemque modo πόλις modo πτόλις simplex, prout rhythmi postulant, usurpatur et in melicis partibus et in senariis[2]).

Quod ad epicam nominum et verborum attinet flexuram, item discrimina quaedam inter tragicos statuenda sunt idque interdum ita, ut ab altera parte stet solus Sophocles, ab altera Aeschylus una cum Euripide. Velut satis mirificum est singularem formam genetivi in -οιο pro -ου terminantis apud Aeschylum quidem (Pers. 108 c. 568 c. 864 c. [?]) et Euripidem (Hipp. 560 c. Herc. 122 c. Tro. 838 c. Phoen. 820 c. J. T. 1148 c. J. A. 1069 c. Archel. fr. 228, 3 d) saepius exstare[3]), uno autem Sophoclis loco legi, eoque

1) Velut Wecklinus Cho. 968 sqq. sic restituit:

τύχα δ' εὐπρόσωπ' ἄηται τὸ πᾶν
ἰδεῖν θρευμένους.

2) Exempla Aeschylea diverbiorum: κατὰ πτόλιν Sept. 6. 250. Ag. 595. ὑπὸ πτόλιν Sept. 561. ποτὶ πτόλιν Eum. 79 (in quinto vel sexto pede). — Ex. Ae. melicorum: περὶ πτόλιν Sept. 114. ἐπὶ πτόλει Sept. 483. ἀμφὶ πτόλιν Sept. 843. — τὸ πτόλιν κρατύνει Suppl. 699. κατὰ πτόλιν Eum. 1015. εὖτε πτόλις δαμασθῇ Sept. 338. — Exempla Euripidea diverbiorum: Hec. 767 (ἦνίκ' ὤλλυτο πτόλις) ib. 1209. ἀνὰ πτόλιν Suppl. 721. κατὰ πτόλιν Andr. 699. φιλοῦσά γε πτόλιν (trimetro exeunte). ἀνὰ πτόλιν κακὰ Ba. 216. — Exempla canticorum: ἀνὰ πτόλιν Tro. 555 sq. δὲ πτόλιν (resp. ἄποτ' ἐκ) Phoen. 1050.

3) Wilamowitz ad Herc. v. 122: „Der epische Genetiv (τροχηλάτοιο) ist nach dem Vorgang von Epos und Lyrik in Chören durchaus zulässig. Am Ende seiner Lebenszeit hat Euripides, aber er allein, ihn einzeln auch im Dialog verwandt Archel. fr. 228."

tali, ut hac genetivi forma metrum pessumdetur: legitur enim Ant. 100 sic in Laurentiano:

Ἀκτὶς ἀελίοιο τὸ κάλλιστον ἑπταπύλῳ φανέν,

quae nemo est, quin sic commutanda putet:

Ἀκτὶς ἀελίου τὸ κάλ-
λιστον ἑπταπύλῳ φανέν.

Sed non deerant, qui in Aiac. v. 210 ° (an), quem libri metro invito ita exhibent: *παῖ τοῦ Φρυγίου Τελεύταντος* Jaegeri coniectura recepta scriberent *Φρυγίοιο*, velut Bergkius et Dindorfius. Contra alii vvdd. metri difficultatem sic expediunt, ut *Τελλεύταντος* per geminatam scribant liquidam spondeum mendoso iambo substituentes. Velut Wecklinus de l. c. („Die Tragödien des Sophokles." Ajax. München 1901. Lindauer) „*Τελεύταντος*" inquit „ist wie *Τελλεύταντος* zu lesen", quam lectionem nonnulli libri re vera praebent. Atque afferunt vvdd. alia quoque huius geminationis exempla, velut Arist. Eq. 416 *κυνοκεφάλῳ* Eubul. fr. 105, 10 *ἀμφικέφαλος*, ubi syllaba geminatione liquidae producta in arsi, Hom. Il. E, 487 *ἁλόντε*, ubi in thesi sic ut Aiacis, quem tractamus, loco posita est [1]). Alii vero alia proposuerunt, neque certi quidquam de conclamatissimo illo versu iudicare ausim.

Iam quod ad coniugationem attinet, nullo modo potest negari Sophoclem et Aeschylum multo plures epicas sibi sumpsisse formas Euripide. Velut iterativa illa in *-εσκον* terminantia, ut exemplum afferam, quae Sophocles adamavit (*ταμιεύεσκε* Ant. 950 c. *παύεσκε* ib. 963 c. *βλάστεσκεν* seu *βλαστάνεσκεν* Scyth. fr. 503, 2), Aeschylus perraro adhibuit, frustra apud Euripidem quaeres, qui contra solus, ni fallor, epico more finxit *ἔκρυφθεν* [2]), idque in diverbiis Hipp. 1247. Sed non desunt exempla, quibus eluceat Euripidem interdum etiam in hac re una cum Aeschylo magis se applicuisse dictioni Homericae quam Sophoclem. Velut hic aoristum epicum *χύτο*, *χύμενος* nusquam adhibuit. Apud Aeschylum quidem bis legitur in canticis participium: cf. Cho. 401. *φονίας σταγόνας*

---

1) *Ἱππομέδοντος σχῆμα* Sept. 488. *Παρθενοπαῖος Ἀρκὰς* Sept. 547. *εἰεν ἀκούω* Cho. 657 ubi similem geminationem obtinere non desunt qui putent, omnino aliter esse explicanda — praebent iambicae dipodiae *σχῆμα ἀνακλώμενον* — praeter Wilamowitzium, Iurenka docet Masqueray, traité de la métrique grecque. Paris. p. 165 sqq.

2) Cf. Gerth. l. l. p. 257. Si recte coniecit Curtius ind. lect. Kiel. 1855/56. p. VII *τύφλωθεν* pro *τυφλωθὲν* Ant. 975 c commutans, Sophocleum quoque exstaret exemplum. Sed mera est coniectura. Alii alia proposuerunt.

χυμένας ἐς πέδον et Eum. 263. *αἷμα* ..., *τὸ διερὸν πέδῳ χύμενον*, idemque semel apud Euripidem invenitur Heracl. 76 c (*ἴδετε τὸν γέροντ'* . . .) *ἐπὶ πέδῳ χύμενον*.

Similiter res se habet in formis aoristi syncopati, quem vocant. *σύτο, σύμενος*. Participium usurpavit Aeschylus Ag. 746 c *σνμένα* et Eum. 1007 an *σύμεναι*, verbum finitum Euripides Hel. 1133 c (*ὅτ'*) *ἔσυτο* (seu *ὅτε σύτο*)[1]. Aoristum illum, quem a *κτείνειν* verbo repetunt, *ἔκταν, κτάς* haud raro adhibuit Aeschylus, Sept. 965 c participio *κατακτάς* usus, Eum. 460 d. Pal. fr. 181 d. Sem. fr. 221 d indicativo *κατέκτα*. Utraque forma apud Euripidem creberrime in diverbiis[2], raro in canticis occurrit[3]. Sophocles participium *συγκατακτὰς* in cant. Aiacis, antiquissimae superstitum fabularum admisit (v. 226). Posterioribus vitae annis vel in diverbiis sumpsisse videtur hunc aoristum (cf. Trach. 38), Euripideae auctoritati fortasse cedens.

Atque haec quidem de epicis, quas usurpant tragici, formis. Iam videamus, num aliarum quoque dialectorum formae Aeschylo cum Euripide communes habendae sint eaeque tales, quae apud Sophoclem desiderentur. Etenim tragicos in diverbiis et in eis anapaesticis fabularum partibus, quae sine ullo affectuum impetu declamarentur, prisca Atticorum dialecto admixtis quibusdam Ionicis formis esse usos, temperatam autem Doridem in canticis eisque interdum anapaestis adhibuisse, qui non sine vehementiore animi motu pronuntiarentur, res est pervolgata[4].

Doris quidem illa, qua utuntur tragici, satis artis circumscripta est finibus idque ita, ut tantum ad crebriorem vocalis *ᾱ* usum spectet, quae graviorem digniorемque sonum prae se ferre putabatur, quam quae apud ipsos Atticos ei responderent *η, ου, ω* velut in *ἁδὺς* pro *ἡδὺς*, *Ἀτρείδα* pro *Ἀτρείδου*, *Πλεισθενιδᾶν* pro *Πλεισθενιδῶν*.

---

1) Liceat hoc loco monere vocem *ἐπίσσυτος* Euripidi (cf. Hipp. 574 c) cum Aeschylo (Ag. 887 d. 1150 c) esse communem, apud Sophoclem desiderari.

2) *κατέκτας* Hec. 1216 d. Ba. 1289 d. *κατέκτα* El. 86 d. *κατέκταν* Eur. Alcm. fr. 68 d. *ἔκταν* Eur. Plisth. fr. 625 d. — *κατακτάς* Alc. 3 d. 696 d. Or. 1581 d. J. T. 79 d.

3) Herc. 424 c *ἔκτα*.

4) Cf. praef. ad Eur. Bacch. ed. G. Hermann p. VII; Schaefer, De Dorismi in trag. Graec. usu. Cottbus 1866; Weidgen, Qua ratione Eur. in carminibus melicis Doridem, in anapaestis atticam dialectum temperaverit. Ienae 1874; Wilamowitz, Commentariolum metricum II, 29 sq.

Irrepserunt autem id genus vocabula Doridem sapientia etiam in diverbia, velut κυναγός (Soph. El. 563. Eur. Hipp. 1397), ἕκατι, δάϊος alia [1]).

Item res se habet in compositis, quorum prior pars constat ex Dorica voce γᾶ. Atque Aeschylus quidem sibi sumpsit γάμοϱος Suppl. 613 d et Eum. 890 d (si quidem recte coniecit Dobraeus γαμόϱῳ pro γ' ἀμοίϱου), γάποτος Pers. 621 d. Cho. 97 d. 164 c., Euripides γαπόνος Suppl. 420 d et γαπετής Phoen. 668 c. Utrique haud scio an commune fuerit γάπεδον, si recte mutavit Porsonus Prom. 829 d corruptum illud δάπεδον meritoque Eur. Or. 324 (330 N) e tradito δάπεδον idem illud γάπεδον substituit formam, quod tamen dubitatur [2]).

Apud Aeschylum vero et Euripidem exstant nonnulla vestigia, unde elucet Doricas eorum formas non vocalismi, ut ita dicam, cancellis circumcingi, sed paulo plus ultra spectare. Neque enim dubito, quin ad Doridem referendum sit dialectum obscurum illud Δᾶ [3]), qua voce Aeschylus ter in canticis usus est Prom. 568 sqq.: εἴδωλον Ἄϱγου γηγενοῦς, Ἄλευ' ἆ δᾶ, Τὸν μυϱιωπὸν εἰσοϱῶσα βούταν.

---

1) Cf. Gerth. l. l. p. 266.

2) Ullmannus de proprietatibus Aeschyleis docte disserens, II 5 „porro" inquit „cum ἀϱγᾶς forma, quae Ag. 116 exstat, conferri possunt αἰγλᾶντα ex Eur. Androm. 286. ὑλᾶντα ex Hel. 1303 c." Sed ἀϱγᾶς (pro Att. ἀϱγῆς = ἀϱγήεις) Blomfieldius demum coniecit pro tradito ἀϱγίας.

3) Facere non possum, quin hoc loco breviter referam, quae vvdd. de etymologia huius vocabuli senserint. Alteri enim putant ad Doriensium dialectum spectare hanc voculam neque quidquam aliud esse nisi γᾶ, γῆ, alteri partim Doridi omnino abiudicant partim eius etymologiam aliter explicant. Priorem illam, qui ingressi sunt rationem, putant idem Δα- nobis occurrere in nominibus propriis illis Δαμάτηϱ — hoc enim idem esse censent atque γῆ μήτηϱ — et Ἐννοσίδας, quod idem esse atque Ἐννοσίγαιος appareat (cf. Herwerdeni lex. dialect. et supplet.). Huc quoque referunt, quod Etym. Magnum p. 60, 8 ad Prom. l. c. exhibet οἱ γὰϱ Δωϱιεῖς τὴν γῆν Δᾶν λέγουσιν . . . ὡς καὶ τὸν γνόφον δνόφον. Sed ab altera parte Mannhardtius quaest. mythol. p. 299 recte mihi evicisse videtur illud Δα- in Δαμάτηϱ potius referendum esse ad illam stirpem, unde ζειά, ζέα ducenda sunt (vertit enim vernacule „Mutter im Spelt, Kornmutter"), quoniam similis consonarum varietas inveniatur in δῆλος — ἀϱίζηλος, δοϱκάς — ζοϱκάς alibi. Ahrensius vero statuit lexicographis illis fidem abrogans Curtio aliisque assentientibus nostrum Δᾶ esse vocativum dialectici illius Δᾶς, i. e. Ζᾶς, Ζῆς, Ζεύς, quoniam nusquam in Doride legeretur δᾶ pro γᾶ usurpatum. Et certe submirum esset si e. g. Ag. 1072 Cassandra tellurem non Iovem appellaret. — Eos autem, qui Doriensibus hanc formam abrogant, refellit Meisterus, qui

Eum. 841: οἰοῖ δᾶ, φεῦ.
Ag. 1072, 1076: ποποῖ δᾶ (cuius loci in similitudinem haud scio an merito Bambergerus Cho. 404 pro traditis ποῖ ποῖ δὴ mutaverit ποποῖ δᾶ). Apud Sophoclem in hanc vocem non incides; Euripides contra Aeschylum secutus et ipse sibi sumpsit Phoen. 1296 c φεῦ δᾶ, φεῦ δᾶ.

Item ad Doricam spectat dialectum praepositio illa πεδά[1]), quam in compositis non sine aliquo studio ab Aeschylo esse adhibitam hisce apparet locis:

Prom. 269 d: πρὸς πέτραις πεδαρσίοις
ib. 710 d: πλεκτὰς στέγας Πεδάρσιοι ναίουσ' ἐπ' εὐκύκλοις ὄχοις
ib. 916 d: τοῖς πεδαρσίοις κτύποις Πιστός
Cho. 589 sq. c: ... πεδαίχμιοι λαμπάδες πεδάοροι[2])
Bacch. nutr. fr. 53: πεδοίκου χελιδόνος.

Sophoclem hac forma praepositionis nusquam usum esse recte iam Althausius monuit l. l. p. 24. Contra Euripides, si non eadem atque Aeschylus conformavit composita, at tamen illius rationem secutus esse videtur fingendo verbo πεδαίρειν (i. e. μετεωρίζειν) idque hisce locis:

Herc. 819 c: νωθὲς πέδαιρε κῶλον[3])
ib. 872 tr.: στεῖχ' ἐς Οὔλυμπον πεδαίρουσ', Ἶρι, γενναῖον πόδα
Phoen. 1027 c: Διρκαίων ἅ ποτ' ἐκ τόπων νέους πεδαίρουσ' .... ἔφερες.

---

dial. Gramm. vol. I p. 262 sq. § 18 „für ion. att. ζ" inquit „tritt böotisch im Anlaut δ, im Inlaut δδ ein .... lakonisch entspricht im Anlaut δ, im Inlaut δδ. — Die Hesychischen Glossen Δεύς — Ζεύς, δᾶλον — ζῆλον können demnach auch den Denkmälern anderer Dialekte entstammen."

1) Non defuerunt, qui hanc vocem Aeolidi assignarent; ac certe Aeoliorum erat, ita tamen, ut „ne a Doride quidem antiquiore alienum fuisse videatur", si quidem Ahrensio astipulamur, qui „de dor. Dial." docte disserens p. 360 exempla congessit, unde eluceat saepius in Doricis titulis obviam fieri illud πεδά. Pindarus quidem et solutam hanc usurpat praepositionem et in compositis. Ab hoc num Aeschylus eam desumpserit, diiudicare non audeo. Fortasse non audacioris est putare Aeschylum cum illud Δᾶ tum hoc πεδὰ Siculorum sermoni debuisse. De etymologia huius πεδὰ cf. Hirt, Handbuch d. griech. Laut- u. Formenlehre, Heidelberg 1902, §§ 296, 383 („Neben μετά erscheint dialektisch πεδά, das zu πούς gehört" tamquam instrumentalis).

2) Sic ex certissima coniectura Stanleyi pro πεδάμαροι.

3) In loco sanissimo non opus est medela Valckenari γ' ἔπαιρε conicientis.

Aeschylus igitur talia ne in diverbiis quidem ponere verebatur. Euripides in canticis tantum posuit: namque Lyssae illos trochaeos summo animi motu et impetu pronuntiatos cantici vim et naturam fere adaequare quis est quin videat? [1]).

Ab altera parte mirum est, quod Euripides Alc. 963 (*διὰ Μούσαις καὶ μετάρσιος ᾖξα*) et Andr. 1220 (*ἀμπτάμενα φροῦδα πάντα κεῖται Κόμπων μεταρσίων πρόσω*), duobus locis sane lyricis non adhibuit insolentiorem praepositionem, quamquam aperte concedo non Herculis modo, ut Wilamowitzius monuit, sed etiam Phoenissarum fabulam vocibus apud Euripidem semel dictis esse insignem (cf. *νωθής* Herc. 819. *φεῦ Δᾶ* Phoen. 1296): atque facile fieri potuit, ut Alcestidis Andromachaeque locis pro rariore forma irreperet magis solita: pro *πεδαίρειν* tamen, quod aliud significat atque *μεταίρειν*, neque hoc neque Atticorum synonymum *μετεωρίζειν* poni potuit.

Duabus voculis modo commemoratis apte iam a formis dialecticis traducimur ad perlustranda vocabula obsoleta et rariora, quae apud Sophoclem desunt, duo autem ceteri tragicae artis principes suae inseruerunt dictioni.

αἵμων apud Aeschylum semel legitur Suppl. 847 c, in contextu tamen adeo corrupto, ut timendum sit, ne haec quoque vox medelae indigeat. Sed haud scio an ipsum adiectivum defendi possit, quia recurrit Eur. Hec. 90 c (*λύκου αἵμονι χαλᾷ*).

αἶπος bis sibi sumpsit Aeschylus de montium cacuminibus loquens Ag. 285 d. 310 d. Euripides et proprie adhibuit Alc. 500 d et translate de labore Phoen. 851 d. Quam vocem hac altera vi usurpatam sescenties invenies apud Hippocratem [2]): Alias non legitur nisi fr. adesp. 468 (idque proprie: *Βερκαῖον αἶπος*) atque in Alexandrinorum operibus [3]).

ἀλαίνω semel apud Aeschylum occurrit Ag. 82 an; saepius apud Euripidem invenitur et in diverbiis et in canticis. cf. Tro. 1083 c. El. 205 c. 589 c. Phoen. 1536 c. Cycl. 79 c. Or. 532 d. J. T. 284 d. Sophocles maluit *ἀλάομαι* [4]).

1) Wilamow. ad l. c. Herc. II² p. 188 „Die epische Form *Οὔλυμπος* und der Aeolismus *πεδαίρω* (819), beide gleich unerhört in euripideischen Dialogversen, heben die Trochäen in die Sphäre lyrischer Erhabenheit.“

2) Hippocr. de morb. l. II p. 479, 17 et 44; 485, 51 (ed. Foës.) saepius.

3) Cf. Theocrit VII 148.

4) Cf. O. R. 1506 d. O. C. 349 d. 444 d. 1363 d. Ai. 23 d.

βούτας et Aeschylus et Euripides dorice dixerunt pro Atticorum *βουκόλος*: Prom. 569 c. Ag. 719 c (?) [1]. Hec. 944 c. 646 c. An. 280 c. Solus autem Euripides dixit *βούταν φόνον* Hipp. 537 c. de boum immolatione. Sophocles sibi sumpsit *οὐρεσιβώτας* Phil. 1148 c et *οἰοβώτας* Ai. 614 c.

βρέτας et in Aeschyleis et in Euripideis fabulis sescenties legitur cum in melicis partibus tum in senariis: frustra quaeres apud Sophoclem. Contra Aristophanes sibi sumpsit Eq. 31 d. et Lys. 262 c. fortasse utrobique ad subliniorem dictionem tragicorum imitandam; ab Atticorum quidem sermone alienum fuisse videtur hoc vocabulum, neque quemquam eorum inveni, qui ante Aeschylum adhiberet [2]).

γάνος in Sophoclea fabula non exstat. Quo magis frequentaverunt hanc vocem Aeschylus (cf. Pers. 483 d. 615 d. Danaid. fr. 44, 6. Ag. 1392 d. Ag. 579 d) et Euripides (cf. Suppl. 1150. J. T. 634 d. Cy. 415 d. Andromed. fr. 146, 3. Ba. 261 d. 383 c) de quolibet liquore reficiente usurpantes. Vix igitur miraberis, quod idem recurrit *γάνος* Ran. 1320 in monodia, ut ita dicam, Euripid-Aristophanea [3]).

γηρύομαι nonnisi dubitanter affero. Sophocles enim etiamsi ipsum verbum non adhibuit, tamen nomen *γῆρυς* sibi sumpsit idque semel in cantico (O. T. 186). Illud quidem post Hesiodum Pindarumque Aeschylus usurpavit Suppl. 460 d. Prom. 78 d. et Euripides Hipp. 213. an 1074 d. El. 1327 an.

γοερός semel apud Aeschylum legitur: Ag. 1176 c. Sophocles non adhibuit, saepius Euripides, semper autem in lyricis partibus fabularum: Hec. 84 an. Hel. 189 c. Phoen. 1567 c.

δάκος iam ante Aeschylum Pindarus (cf. Pyth. II 53) sibi sumpsit: quos secutus Euripides quoque hanc vocem in suum vertit usum; legitur hisce tragicorum locis: Aesch. Prom. 583 c. Sept. 558 d. Ag. 824 d. 1232 d. Cho. 530 d. Eur. Tro. 284 c. Hipp. 646 d. Cycl. 325 d. fr. 863 d.

1) Apographa Ag. 719 *οὖτος, οὕτως*. Wecklinus certissima coniectura *βούτας*.

2) *βρέτας* occurrit Aesch. Sept. 95 c. 97 c. 185 d. 212 c. Pers. 809 d. Eum. 80 d. 242 d. 259 c. 409 d. 439 d. 446 d. 1024 d. Suppl. 463 d. 885 c. 430 c. Eur. Alc. 974 c. Heracl. 936 d. Andr. 311 d. El. 1254 d. Phoen. 1250 d. 1473 d. J. T. 980 d. 986 d. 1179 d. 1477 d. 1040 d. 1044 d. 1165 d. 1199 d. 1291 d. 1453 d. 1481 d. 1489 d. Dan. fr. 328, 3.

3) *οἰνάνθας γάνος ἀμπέλου*
βότρυος ἕλικα παυσίπονον.

δικεῖν, ἀποδικεῖν (cf. Aesch. Cho. 99 d. Ag. 1410 c. Eur. Herc. 1205 c. Phoen. 641 c. 668 c. 1417 d. 1490 c. Or. 991 c. Ba. 600 c.) praeter ambos tragicos Pindarus praecipue adhibuit (Ol. X 72. Pyth. IX 123).

εὐδία (cf. Aesch. Sept. 795 d. Eur. Andr. 1145 d) ad Ionum videtur spectare sermonem, siquidem recte hoc monuit Wilamowitzius, Heracles II^2 p. 224. („Das nomen *εὐδία* (*ὥρα*) haben die Trag. von den Ioniern entlehnt.")

θρέομαι quis praeter Aeschylum (Sept. 78 c. Suppl 112 c. Ag. 1165 c. Cho. 970 c) et Euripidem (Med. 51 d. Hipp. 364 c) dixerit, indagare nequivi. Aeschylus quidem solum in canticis posuit, Euripides vel in diverbiis admisit.

ἶνις nemo nec poeta nec scriptor praeter duos illos tragicos sibi sumpsit. Atque satis peregrinum sonum habuisse videtur haec vox, siquidem licet tale quid inde effici, quod nisi in canticis ab Euripide non est positum. Aeschylus semel in senariis admisit Suppl. 201. Praeterea occurrit Suppl. 42 c. Ag. 718 c. Eum 324 c. Eur. Andr. 797 c. Herc. 354 c. 1182 c. Tro. 571 an. J. A. 119 c (*τὰν σὰν ἶνιν*) [1]).

καχλάζω iam apud Pindarum legitur (Ol. VII 2). Aeschylus dicit de strepitu undarum murmurantium Sept. 115 c. 761 c. Euripides mutata vi sibi sumpsit *κῦμα . . . ἀφρὸν πέριξ καχλάζον* (Hipp. 1211 d) sic ut transitive dictum esse videatur.

διακναίω ab Aeschylo in canticis anapaestisque tantum admissum est Prom. 94 an. 541 c. Ag. 65 an. Euripides Aeschyli rationem secutus nusquam in senariis posuit: cf. Med. 164 c. Alc. 109 c. Heracl. 296 an. El. 1307 an. Cycl. 486 an. J. A. 27 an.

κρέων semel apud Aeschylum legitur Suppl. 574 c. Euripides bis adhibuit idque in diverbiis El. 1262 d (*πόντου κρέοντος*). Hipp. 1168 d (*πόντου κρέοντι*). Homericis in carminibus semper invenies *κρείων*; *κρέων* per ε scriptum praeter duos illos tragicos solus sibi sumpsisse videtur Pindarus [2]).

κληδοῦχος Aeschylus Suppl. 291 d. de sacerdote claves servante. Euripides non modo nomen sibi sumpsit (Hipp. 541 c.

1) Wilamowitzius Heracl. II^2 p. 84 „*ἶνις*" inquit „ein verschollenes Wort, das nur bei Aisch. u. Eur. auftritt; woher sie es haben steht dahin. Im Gebrauch erhalten war es im kyprischen Dialekt (Stein 40, 2 Deecke); da dieser am meisten mit dem homerischen sich berührt, so ist es wahrscheinlich, dass die Tragödie *ἶνις* aus dem Epos entlehnt hat."

2) cf. Pyth. VIII 99. Nem. III 10. VII 45. (ed. Mommsen).

J. T. 132 c) sed verbum quoque inde derivatum: κληδουχέω J. T. 1463 d (Herc. 1288 d?).

λέπας videtur ab Atticorum sermone alienum fuisse [1]). Primum occurrit apud Simonidem (97 ed. Hiller); dein invenies ab Aeschylo (Ag. 283 d et 298 d) et Euripide frequentatum (Herc. 121 c. Andr. 295 c. Phoen. 24 d. Ba. 751 d. 677 d. 1045 d. In. fr. 411, 2 d), unde recentiores mutuati sunt poetae. Adiectivo λεπαῖος huc pertinente tragicorum solus usus est Euripides Hipp. 1248 d. Heracl. 394 d. J. T. 324 d.

Λισσάς ab Aeschylo et Euripide etymologia male perspecta dicitur de rupe praecipiti ita, ut omnibus locis, ubi exstat (Aesch. Suppl. 794 c. Eur. Andr. 533 c. Herc. 1148 d) coniunctum sit cum nomine πέτρα. In Odyssea legitur λισσὴ πέτρη (γ 293, ε 412, κ 4) et πέτρη λίς (μ 64 et 79). Haud absonum igitur, quod Wilamowitzius putat illam quoque formam ex epico quodam carmine sibi sumpsisse duos tragicos [2]).

μελάγχιμος apud Aeschylum saepius legitur, de quavis nigri coloris re usurpatum: Suppl. 719 d. 745 c. Pers. 301 d. Cho. 11 d. Cress. fr. 116. Bis tantum adhibuit Euripides: El. 513 d. Phoen. 372 d [3]).

νεολαία unde Aeschylus sibi sumpserit, ignoro. Ita autem hac voce utitur, ut iuvenum multitudinem significans nominis substantivi fungatur vicibus. Cf. Suppl. 687 c. Pers. 670 c. Uno Euripidis, quo legitur loco, Alc. 103 c, adiectivam videtur habere vim (οὐ νεολαία Δουπεῖ χεὶρ γυναικῶν).

ὀπισθόπους legitur Aesch. Cho. 713 d. Eur. Hipp. 54 d. 1179 d. Praeter quos neminem potui invenire, qui adhibeat, nisi recentissimum illum Gregorium Nazianzenum in Patris Epitaph. p. 132 a.

---

1) Wilamowitzius ad Herculis v. 121: „λέπας", inquit, „ist eine Nebenform von λέπος die Schale . . . metaphorisch kann es also nur eine kahle Felsenkuppe bezeichnen . . . lebendig war das Wort, so viel zu sehen ist nur in Sizilien, wo das Ἀκραῖον λέπας am Wege von Syrakus nach Akrai lag, ein wirkliches λεπρὸν ὄρος. Auch der älteste literarisch nachweisbare Gebrauch des Wortes ist korrekt."

2) Heracles II² p. 239 sq.

3) Quod Xenophon (Cyn. VIII 1) quoque sibi sumpsit hanc vocem poeticam, idque de leporibus nigris verba faciens haud ita mirum, quia constat illi interdum excidisse ξενικὰς λέξεις id quod vvdd. eius peregrinationibus satis diuturnis tribuunt (cf. Herwerden. ad Ion. v. 675).

ὀρκάνη post Aesch. Sept. 346 et Eur. Bacch. 611 troch. Theocritus sibi sumpsit IV 61.

ὀχμάζω occurrit Aesch. Prom. 5 d. 618 d. Eur. Or. 265 d, unde fortasse in suum verterunt usum Lycophron (41. 652), Apollonius Rhodius (I 743), Oppianus (Hal. 3, 374) aliique recentiorum.

(*πάομαι*) — perfectum *πέπᾱμαι* et aoristus *ἐπασάμην* usitata sunt — quod idem significat atque *κτάομαι*, quamquam non ad eandem spectat etymologiam, apud Solonem (13, 7) iam recurrit [1]). Sophocles non adhibuit. Participium *πεπαμένος* legitur apud Aeschylum Ag. 835 d. Cho. 191 d, futurum *πάσεται* Eum. 177 c occurrit. Hesychius tradit Aeschylum in Proteo sat. (fr. 215) aoristo usum esse *ἐπάσω* pro *ἐκτήσω*. Apud Euripidem quater incidis in infinitivum *πεπᾶσθαι*: Herc. 1426 d. Andr. 614 d. Or. 1197 d. Alex. fr. 51 d; verbum finitum *πέπαται* legitur Ion. 675 d [2]).

παλίγκοτος [3]) Aeschylus dixit Ag. 863 d. 874 d. de re odiosa infestaque. Ibidem 571 d. adversa fortuna appellatur *παλίγκοτος τύχη*. Quin etiam Suppl. 376 d. *παλίγκοτοι* eandem vim habet atque *ἐχθροί* adversarii.

Euripideum illud *παλιγκότως φέρειν* (Oenom. fr. 572, 2) idem esse videtur atque 'aegre ferre'.

πένθιμος semel in Aeschyleis occurrit fabulis Suppl. 579 c. Creberrime autem in Euripideis: Alc. 512 d. 622 d. Suppl. 973 c. 1056 d. Ion. 676 c. Phoen. 1071 d. Or. 458 d.

Praeter duos tragicos neminem scio antiquiorum neque poetam neque scriptorem, qui adhibeat.

πίτυλος quis ante Aeschylum usurpaverit ignoro.

Apud quem apparet hac voce proprie cum alios strepitus tum vel remigii sonum expressum esse. Velut Sept. 856 c de strepitu manuum pulsantium dicens ita adhibuit poeta, simul ut quodam modo respiceret ad rhythmum, quo remi moventur (*ἐρέσσετ' ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν Πίτυλον*). Pers. 975 c iam magis translate hoc *πίτυλος* de palpitatione naufragorum aquis pereuntium

1) Cf. Wilamowitz, Heracles II² p. 281; Herwerden., Ion. v. 675; Ullmannus, Propr. Aesch. serm. I p. 7 vehementer errat, quod putat huc spectare aoristum Soph. Ant. 202 *πάσασθαι*. Immo ad Ionum *πατέομαι* (i. e. gustare) pertinet, cuius a correptum esse constat, cum *ἐπᾱσάμην* i. e. *ἐκτησάμην* productum exhibeat vocalem. An putat v. d. Sophoclem in altero pede senarii spondeum admisisse?

2) *παμπησία*, quam vocem hoc loco proferre mihi liceat, apud Sophoclem non invenitur. Aeschylus eam adhibuit Sept. 817 d. Euripides Ion. 1305 d.

3) Archiloch. ed. Hiller. 83 p. 12.

usurpatur (*πάντες ἐνὶ πιτύλῳ — πλάμονες ἀσπαίρουσι χέρσῳ*). Euripides vero multo audacius se gessit in varianda huiusce vocis vi: neque enim solum ad quemlibet strepitum tumultumque exprimendum hoc nomine utebatur, sed etiam ipsum remigium, ipsam navem appellat *πίτυλον* (cf. J. T. 1050 *νεὼς πίτυλος εὐήρης* d. ib. 1345 *νεὼς σκάφος ταρσῷ κατῆρες, πίτυλον ἐπτερωμένον*. Tro. 1123 d *νεὼς μὲν πίτυλος εἷς* i. e. *μία ναῦς*). Quin etiam ab Euripide *πίτυλος* dicitur de motu et agitatione metu furoreque effectis (cf. J. T. 307 d *μανίας πίτυλον μεθείς*, Herc. 1189 c *μαινομένῳ πιτύλῳ πλαγχθείς*, ib. 816 d *εἰς πίτυλον φόβου ἥκομεν*). Magis usitata vi adhibitum recurrit Tro. 1236 c (*πιτύλους διδοῦσα χειρὸς*), Alc. 798 d (*πίτυλος σκύφου*), Hipp. 1464 c (*πολλῶν δακρύων πίτυλος*), Heracl. 834 d (*πίτυλος Ἀργείου δορός*) [1]). Quibus exemplis apparet quantopere Euripides hoc vocabulum adamaverit, quod apud Sophoclem frustra quaeres. Ex Euripide desumpserunt recentiores. Ipse autem Euripides quin in hac voce adhibenda Aeschylum imitatus sit et propagaverit, non dubitaverim.

πρευμενής saepissime in Aeschyleis legitur fabulis. cf. Pers. 609 d. 685 d. Suppl. 140 c. 207 d. Ag. 840 d. 1647 d. Dan. fr. 43, 2 d. Ix. fr. 92 d. Idem dicendum de adverbio *πρευμενῶς*: cf. Pers. 220 tro. 224 tro. Ag. 950 d. Eum. 236 d. 922 c. Euripides et ipse haud raro adhibuit: cf. Hec. 538 d. 540 d. Tro. 739 d. Or. 137 d. Phaeth. fr. 781, 60. Dan. fr. 1132, 9 [2]).

προνωπής Aeschylus semel posuit idque propria vi Ag. 234 c. Euripides saepius seu proprie (Alc. 186 d) seu translate (Andr. 729 d. Alc. 143 d) usurpavit.

τέκμαρ saepius apud Aeschylum legitur (Suppl. 483 d. Prom. 454 d. Ag. 272 d. 315 d. Eum. 244 d) semel apud Euripidem (Hec. 1273 d) [3]).

τηλουρὸς occurrit Aesch. Prom. 1 d. 807 d et Eur. Andr. 889 d. El. 251 d. Or. 1325 d.

τομαῖος ab Aeschylo ita ponitur, ut modo idem significet atque „desectus, recisus" (cf. Cho. 168 *ὁρῶ τομαῖον τόνδε βόστρυχον τάφῳ*), modo de medela secando parata intelligendum sit (cf. Cho.

1) Cf. Wilamowitz, Heracl. II² p. 179.

2) Ante Aeschylum, ni fallor, nemo hoc nomine usus est. Tamen dubitaverim ideo illi tamquam novatum attribuere.

3) *τέκμαρ* apud tragicos idem est atque „signum, indicium". Pindarus Nem. XI 44 et Pyth. II 49 de fine dixit.

539 d. Suppl. 268 d). Atque priorem illum usum Euripides quoque recepit, cum diceret Alc. 104 c *τομαῖος χαίτα*.

τορός satis crebro apud Aeschylum legitur, neque minus adverbium *τορῶς* (Ag. 253 c. 616 d. 1062 d. 1162 c. Cho. 32 c. Suppl. 274 d. Prom. 604 d. 609 d. 699 d. 870 d. Pers. 479 d. Ag. 26 d. 269 d. 632 d. 1584 d. Cho. 741 d. Suppl. 196 d. 931 d). Euripides semel posuit adverbium Ion. 696 c. Simplex apud Sophoclem non invenitur; compositum *διάτορος* O. R. 1034, quod Aeschylus Prom. 76 d. 181 c. Eum. 567 usurpavit de re penetranti, idem significat atque perforatus.

φημίζω primum, ni fallor, apud Hesiodum comparet (*ἔργ. καὶ ἡμ* 764). Apud Sophoclem non exstat. Recurrit apud Aeschylum Cho. 558 d (act.). Ag. 629 d (med.). 1162 c (med.). 1173 c (med.). et Euripidem J. A. 1356 troch (act.).

φραδή Aeschylus in cantico et in diverbiis posuit. (Cho. 940 c. Eum. 245 d). Semel obviam fit apud Euripidem Phoen. 667 c.

χρεῖος adiectivi „unum apud Aeschylum (Suppl. 202 d) tria apud Euripidem (Herc. 51 d. Androm. fr. 142, 3. fr. adesp. 159) reperiuntur exempla, nulla apud ceteros Atticos veteres, plura apud recentiores, velut Lucian. Amor. c 42" si quidem Dindorfio (Thes. Graec. ling.) fides est habenda [1])

Haec collectio rariorum vocum, quae Sophocli quidem desunt apud Aeschylum Euripidemque contra inveniuntur, facile augeri potest. At libere profiteor me apta non uti ansa, qua diiudicem, quaenam vox obscurior sit, quae non, ita ut fortasse saepius in adgnoscendis id genus verbis me paulo rudiorem praebuerim [2]).

1) Moeris p. 415: *χρεῖος Ἀττικοί, ἐνδεής Ἕλληνες*. Contra Thomas Magister p. 818: *χρεία* inquit *καὶ χρήσιμος Ἀττικοί, ὁ χρεῖος δὲ ἤγουν καὶ τὸ χρεῖον φιλοσόφων καὶ ποιητῶν*. Deinde Eust. Il. p. 218, 8: *τοῦ ἀχρεῖος τὸ ἁπλοῦν εὕρηται παρὰ τῷ εἰπόντι 'ἀνὴρ εἰς οὐδὲν χρεῖος.'* Wilamow. l. l. p. 17: „In echter Prosa ist es überhaupt nicht nachgewiesen, sondern nur bei Aisch. und Eur. . . . dass es auch *χρήσιμος* bedeutet hätte, ist ein Missverständnis."

2) Hoc loco monuerim *ἐκπονεῖν*, quod certe non inter obscuriora rariorave verba numerabis, neque ab Aeschylo demum compactum est — legitur enim iam apud Pindarum (Pyth. IV 236; cf. Thuc. III 38) — et *ἐκμοχθεῖν* apud Sophoclem nusquam comparere, ab Aeschylo tamen semel (cf. Suppl. 367; Prom. 825), ab Euripide vero sescenties esse posita. Item *αὐχεῖν*, cuius innumera apud Aesch. et Eur. invenies exempla, Sophocles nusquam adhibuit, qui tamen composito *ἐξαυχεῖν* usus est Ant. 390. Phil. 869. Ab altera parte non nego etiam talia inveniri, quae Aeschylo cum Sophocle communia sint, rariora vocabula, neque vero apud Euripidem inveniantur velut *βαλλήν* (Aesch. Pers. 657. Soph. fr. 472), *ἀμαλάπτω* (Aesch. Prom.

Sed iam haec mittamus.

Quod Sophocles ab antiquis poeta Ὁμηρικώτατος appellatus est, haud scio an magis merito eo referendum sit, quod ille in conformandis mythis praeter ceteros tragicos se Homero applicuit, quam ad praecipuam similitudinem inter Homeri dictionem Sophocleamque intercedentem. Immo constat tribus de tragicis longe plurimas et voces et formas ex Homericis carminibus desumpsisse Aeschylum. Praeterea quamvis multa epicorum propria in Sophocleis fabulis inveniantur, tamen ab altera parte haud paucas reperies voces Homericas, quae ab Aeschylo quidem et Euripide usurpatae in illius tragoediis non comparent.

At quaerat quispiam, nonne hoc potuerit forte evenire, imprimis cum tam multae Sophocleae interciderint fabulae, ubi fortasse tales voces, quae in superstitibus septem fabulis exiguisque fragmentis desiderantur, exstiterint. Ac certe quidem hac in re multum casui est tribuendum. Sed prae multitudine exemplorum plurimum vix licebit de casu quodam cogitare, ita ut contra aliter iudicare nequeamus, nisi ut Euripidem Aeschyli rationem quodammodo imitatum et ipsum se interdum magis epicorum dicendi modo applicuisse putemus quam Sophoclem. Ad hanc sententiam stabiliendam e re erit, quantum fieri potest, omnia ea colligere Homerica vocabula, quae apud illum quidem desiderantur, Aeschylus autem et Euripides sibi sumpserunt.

Quibus in vocibus enumerandis mihi breviori esse liceat, quam adhuc fui in dissertatiuncula, ita tamen, ut in tractandis exemplis praeter cetera luculentis diutius commorer.

Ἄλμη ε 53. Aesch. Pers. 397 d. Eur. J. T. 1391 d. Cycl. 166 d. Melan. fr. 484, 5 d. Hipp. 150 c. 754 c. Med. 1286 c.

ἀμέγαρτος Β 420. Aesch. Prom. 402 c. Suppl. 642 c. Eur. Hec. 192 c.

ἀμολγός δ 841. Aesch. Hel. fr. 69, 6 c. Eur. Alcmen. fr. 104, ubi tamen adiectivi munere fungi videtur (ἀμολγὸν νύκτα).

ἀναίνομαι Σ 500. 450. Aesch. Ag. 300 (cum accusativo) d. Ag. 1652 d. Suppl. 801 d (cum infinitivo). Ag. 583 d (cum participio). Eur. Med. 237 d. Hipp. 14 d. Ba. 533 c (cum acc.). Herc. 632 d (cum. acc.). Or. 221 d (cum inf.). Herc. 1124 d. 1228 d. 1400 d

899. Soph. fr. 427), λιπαρέω (Aesch. Prom. 520. 1004. Soph. O. C. 776. 1201), τιθασός (Aesch. Eum. 356 [Turnebus certissima coniectura pro πίθασος]. Soph. fr. 782).

(absolute). Herc. 1235 d. Ba. 251 d. J. A. 1503 c (cum part.). El. 311. 312 (cum acc. et part.) d.

Ex hac locorum collectione apparet, quanto studio Euripides hoc verbum adhibuerit[1]). Nonne igitur mirum, quod nusquam apud Sophoclem legitur?

ἀρτίφρων ω 261. Aesch. Sept. 778 c. Eur. Med. 294 d. J. A. 877 troch.

ἀπ-αυρίσκω Α 356. Aesch. Pers. 949 c (*ἀπηύρα*). Andr. 1030 c (*ἀπηύρα*).

ἐπ-αυρίσκω Α 573. Aesch. Prom. 28 d (*ἐπηύρω* perperam M, *ἐπηύρου* Elmsleyus). Eur. Hel. 469 d (*ἐπηυρόμην*). J. T. 529 d (*ἐπαυρέσθαι*)[2]).

ἀϋτέω Λ 258. Aesch. Sept. 384 d. 639 d. Ag. 927 d. 1344 d. Cho. 881 d. Pers. 1059 c. Cho. 311 c. Eur. El. 757 d. 779 d. Cycl. 669 d. Phoen. 1271 d. 1337 d. Hec. 1092 c. Hipp. 167 c. El. 723 c.

βάζω Ξ 92. Sept. 571 d. Cho. 882 d. Sept. 483 c. Pers. 593 c. Eur. Hipp. 119 d.

γάνυμαι Ν 493. Aesch. Eum. 970 an. Eur. J. T. 1239 c. Cycl. 504 c.

δέρη Λ 26. Aesch. Ag. 329 d. 875 d. 1265 d. Eum. 592 d. Apud Euripidem sescenties legitur. Sophocles *αὐχὴν* vel aliud quid maluisse videtur.

δαφοινός Λ 474. Aesch. Cho. 607 c. Prom. 1022 d. Eur. Alc. 582 c.

δολιχός Ο 474. Aeschylus simplex adhibuit semel: Prom. 284 an. Euripides in composito sibi sumpsit Hel. 1487 c (*δολιχαύχενες*). J. A. 793 (*δολιχαύχενος*).

ἐναίσιμος ε 190. Aesch. Ag. 775 c. 916 d (*ἐναισίμως*). Eur. Alc. 1077 d (*ἐναισίμως*). Sophocles contra *ἐναίσιος* usurpavit.

ἑός Α 83. Aesch. fr. inc. 281 (Dind.), ubi tamen Nauckius (fr. 350, 1) pro *ἑὰς* div. restitutum vult *ἐμάς*. Idem vd. Eur. El. 1206 c *ἑῶν πέπλων* ex *ἐμῶν π.* ortum esse putat.

ἔτης Η 295. Aesch. Suppl. 247 d. Aesch. fr. inc. 377 d. Eur. fr. inc. 1014 d.

1) Wilamowitzius ad Eur. Herc. v. 632 iure „Euripides liebt das Wort" inquit, „und dies Stück liefert mehrere Belege für die Bedeutung sowohl in der Richtung auf *αἰσχύνομαι* wie auf *ἀγανακτῶ* usw." Quod autem putat a solo Euripide hoc verbum cum participio esse coniunctum, fugit eum Ag. v. 583 *Νικώμενος λόγοισιν οὐκ ἀναίνομαι.* Hac quoque in re Aeschylus praeivit Euripidi.

2) Eadem forma legitur fr. adesp. 95, 4.

ἐφετμή Ξ 249. Aesch. Suppl. 206 d. Cho. 300 d. 685 d. Eum. 241 d. Eur. J. A. 634 d.

ζά-θεος O 432. Aesch. fr. inc. 284 c. Eur. Hipp. 750 c. Cret. fr. 472, 4 an. Ion. 91 an. Ion. 184 c. Tro. 219 c. 1070 c. 228 c. 256 c. 1075 c. Phoen. 232 c. 801 c. J. T. 1252 c. 1261 c. Ba. 121 c.

Adamasse videntur et Aeschylus et Euripides haecce vocabula praefixo *ζα-* formata. Ille enim sibi sumpsit *ζαπληθής* Pers. 316 d. *ζάπυρος* Pr. 1084 an. *ζαχρεῖος* Suppl. 194 d.[1]). *ζαπρέπων* Pers. 1006 c (*ζαπρέπον* enim iure pro *διαπρέπον*, quod metrum corrumpit, vvdd. scribunt). Euripides usurpat praeter illud *ζάθεος* etiam *ζάπλουτος* Andr. 1282 d. Beller. fr. 285, 6 d et *ζάχρυσος* Alc. 498 d. J. T. 1111 c.

Apud Sophoclem unum *ζαμενής* invenitur, idque in antiquissima earum, quae aetatem tulerunt fabulae, nimirum Aiac. v. 137 an[2]).

ζόφος γ 335. Aesch. Pers. 839 d. Eur. Hipp. 1416 d.

ἦθος (i. e. consueta sedes) Z 511. Aesch. Suppl. 64 c (*πενθεῖ νέον οἶκτον ἠθέων* quod schol. exp. *τῶν συνήθων τόπων*). Eur. Hel. 274 d (*εἰς βάρβαρ' ἤθη*).

ἠϊών M 31. Aesch. Ag. 1158 c. Eur. Or. 994 c. Tro. 826 c.

θαλερός Γ 26. Aesch. Sept. 707 c. Eur. Suppl. 62 c. Hel. 1330 c. El. 20 d. Bacch. 692 d. J. A. 39 an.

θείνω Φ 491. Aesch. Prom. 56 d. 76 d. Pers. 303 d. 418 d. 965 c. Sept. 382 d. 959 c. Cho. 387 c. Eur. Or. 1303 c (?). Herc. 949 d. J. A. 220 c.

καίνυμαι (**κάδνυμαι*) Ω 535. Aesch. Eum. 766 d (*κεκασμένον*). Eur. El. 616 d (*κέκασται*).

κάμαξ Σ 563. Aesch. Ag. 66 an. Nereid. fr. 152 c. Xantr. fr. 171 an. Eur. Hec. 1155 d. El. 852 d. Phoen. 1403 d.

κύντερος, κύντατος K 503. Aesch. fr. inc. 432 (*κυντερώτατα*). Eur. Suppl. 807 c (*κύντατα*).

1) Geelius *ζαχρεῖα* pro tradita lectione *τὰ χρέα*.

2) Meisterus, Griech. Dial. I p. 24, 6 repetit haec composita e melica Aeolum poesi: „In Folge der Entwickelung der Tragödie aus der dithyrambischen Poesie, konnten einzelne Aeolismen aus der chorischen Melik in die Sprache des attischen Dramas gelangen, so finden wir das äolisch gebildete . . . *ζαμενὴς* in den Anap. der Parodos Soph. Ai. 137.“ Nonne autem eodem iure licet putari tragicos hasce formas finxisse ad Homeri exemplum, apud quem leguntur *ζαής* μ 313, *ζάθεος* O 432, *ζάκοτος* Γ 220, *ζατρεφής* ξ 19, *ζαφλεγής* Φ 465, *ζαχρηής* M 360? Sed hoc dubitari nequit, quin apud Homerum illud *ζα-* vestigium sit dialecti Aeolicae.

κυάνεος Λ 39. *κυανοπρῴρειος* Ο 693. *κυανῶπις* μ 60. Apud Sophoclem *κυάνεος* neque per se neque in composito usurpatum exstat, nisi Ant. 955, ubi tamen nominis proprii vicibus fungi videtur (*παρὰ δὲ Κυανέων πελαγέων*). Saepius apud Aeschylum legitur: cf. Pers. 81 c *κυάνεον — λεύσσων*. Pers. 559 c *κυανώπιδες νᾶες*. Suppl. 743 c *κυανώπιδας νέας*.

Satis frequens apud Euripidem est: cf. J. T. 7 d *κυανέαν ἅλα*. Troad. 1094 c *κυανέαν ναῦν*. Andr. 1011 c *κυανέαις ἵπποις* (Eur. Med. 2. 1263 etc. simplex adiectivum vim nominis proprii videtur habere). Alc. 261 c *ὑπ' ὀφρύσι κυαναυγέσι*. El. 436 c *πρῴραις κυανεμβόλοις*. Hel. 179 c *κυανοειδὲς ὕδωρ*. Andr. 862 c *κυανόπτερος ὄρνις*. Hel 1502 c *κυανόχροα κυμάτων ῥόθια*. Phoen. 308 c *κυανόχρωτα πλόκαμον*.

κυδίων, κύδιστος Α 122. Aesch. Suppl. 14 an (superl.). Teleph. fr. 238 c (superl.). Eur. Alc. 960 d (comp.). Andr. 639 d (libri et Stobaeus *κύδιον*, Nauckius *κύδιστον*).

κραδαίνω Ν 504. Aesch. Prom. 1047 an. Eur. Herc. 1003 d.

κραιπνός Ψ 590. Aesch. Pers. 95 c (*κραιπνῷ ποδί*). Prom. 132 c (*κραιπνοφόροι αὖραι*). ib. 279 an (*κραιπνόσυτον θᾶκον*). Eur. Hipp. 829 c (*πήδημα κραιπνόν*).

λέπαδνον Ε 730 (plur.) Aesch. Pers. 191 d. Ag. 217 c. Eur. Phaeth. fr. 773, 65 an.

λυπρός ν 243. Aesch. Pers. 1034 c. Cho. 835 c (*ὀργᾶς λυπρᾶς* ubi Blomfieldus coni. *λυγρᾶς*). Eum. 174 d. Apud Euripidem sescenties invenitur, nusquam in Sophoclis fabulis, qui semper adhibuit *λυπηρός* [1]).

μήνη Ψ 455. Aesch. Prom. 797 d. Eur. fr. inc. 1009.

μέλπω Α 474. Aesch. Ag. 244 c. 1445 d. Eur. Med. 150 c. Phaeth. fr. 773, 23. Andr. 1039 c. Ion. 881 c. 906 c. Alc. 446 c. Tro. 339 c. 547 c. 554 c. J. T. 221 c. 429 c. Cycl. 70 c. Phoen. 787 c. Tro. 407 d.

μελάνδετος Ο 713. Aesch. Sept. 43 d. Eur. Or. 821 c. Phoen. 1091 d. Eurysth. fr. 373 d.

μέροπες Α 250. Aesch. Suppl. 89 c. Cho. 1018 an. Eur. J. T. 1264 c.

μῆχος Β 342. Aesch. Ag. 2 d (?) [2]). Eur. Andr. 536 c.

---

1) Wilamowitz, Orestie p. 232 ad Cho. vv. 831—37.

2) l. c. in cod. Med. legitur *μῆκος*, quod optimum praebet sensum. Itaque admodum dubitanter commemoro *μῆχος*, quamvis diserte haec coniectura a Dindorfio (lex. Aesch. p. 218) aliisque commendetur.

νήνεμος Ε 533. Aesch. Ag. 566 d. 740 c. Eur. Hec. 533 d. Hel. 1456 c (?). J. T. 1412 d.

νῆστις Τ 156. Aesch. Prom. 573 c. 600 c. Ag. 193 c. 331 d. 1017 c. 1621 d. Cho. 250 d. Eur. J. T. 973 d.

νόστιμος δ 806. Aesch. Pers. 261 d. 797 d. Ag. 343 d. 1238 d. 618 d. Eur. Hec. 939 c. Alc. 1153 d.

νωθής Λ 559. Aesch. Prom. 62 d. Eur. Herc. 819 c.[1]).

ὄβριμος Γ 357. Aesch. Sept. 794 d. Ag. 1411 c. Eur. Or. 1454 c.

οἶμος. Aesch. Prom. 2 d. 394 d. Tel. fr. 239 d (femin.). Eur. Alc. 835 d (fem.). El. 218 d. Or. 1252 d (masc.).

ὀπάζω Σ 452. Aesch. Prom. 252 d. Pers. 762 d. Prom. 8 d. 30 d. Sept. 256 d. Eum. 529 c. 622 d. Eur. Med. 425 c. 517 d. Hipp. 45 d. 890 d. El. 1192 c. Phoen. 1576 c.

ὀρεσκῷος Α 268. Aesch. Sept. 532 d ὀρεσκόος; eadem forma recurrit Eur. Hipp. 1277 c. Cycl. 247 d.

ὄροφος Ω 451. Aesch. Suppl. 650 c. Eur. Ion. 89 an. 1143 d.

παχνόω Ρ 112. Aesch. Cho. 83 (πένθεσιν παχνουμένη) c. Eur. Hipp. 803 (λύπῃ παχνωθεῖσα) d.

πλόκαμος Ξ 176. Aesch. Sept. 328 c. 564 c. Suppl. 884 d. Cho. 7 d. 187 d. fr. 313 d. Euripidea exempla enumerare supersedeo, quoniam saepissime legitur et in senariis et in melicis partibus. Mirum igitur quod apud Sophoclem non invenitur; hic enim semel adhibuit πλόκος (Ai. 1158). ceterum θρίξ usurpare solet.

πλημυρίς ι 486 legitur; spectat ad undarum aestum. Translate adhibuit Aeschylus de lacrimis dicens Cho. 186 d σταγόνες ἄφαρκτοι δυσχίμου πλημμυρίδος; quem secutus eodem usus est simili Euripides Alc. 184 ὀφθαλμοτέγκτῳ δεύεται πλημμυρίδι.

παιδνός φ 21. Aesch. Ag. 479 c. Eur. J. T. 1271 c.

πίσυνος Ε 205. Aesch. Suppl. 351 c. Pers. 112 c. Sept. 212 c. Eur. Suppl. 121 d. Or. 905 d.

πορφύρεος Π 391 appellatur mare nigricans (ἅλα πορφυρέην). λίμνᾳ πορφυροειδεῖ Aesch. Suppl. 529 (c) et ἅλα πορφυροειδέα Eur. Tro. 124 c ad Homeri exemplum ficta esse nemo non videt.

πραπίς, πραπίδες Χ 43 Σ 380. Aesch. Suppl. 92 c. Ag. 380 c. 802 an. Eur. Aeol. fr. 27, 2 c. fr. inc. 901, 1 c. Andr. 480 c. Ba. 427 c (sing.).

---

1) Wilamowitz, Heracles II Comment. p. 180 v. 819.

τέκος Φ 229. Aesch. Suppl. 347 c. Sept. 203 c. 677 d. Eum. 534 c. Eur. Tro. 247 c. 261 c. Phoen. 317 c. Eur. El. 1215 c. J. T. 1274 c. J. A. 1614 d. Tro. 580 c. Tel. fr. 727 d. saepius.

τελέθω Ι 441. Aesch. Suppl. 691 c. 1040 c. Ag. 100 an. 466 c. Eur. Med. 1096 an. Andr. 782 c.

φύρω ρ 103 σ 173 [1]). Aesch. Ag. 732 c. Prom. 450 d. fr. Glauc. Potn. 38 (*ἐμφύρω*). Eur. Alc. 496 d. Suppl. 201 d. Hec. 496 d. 958 d. El. 1173 c. Or. 1411 c.

ὑδρηλός ι 133. Aesch. Suppl. 793 c. Pers. 613 d. Eur. Suppl. 206 d. Cy. 89 d.

χεῖμα η 118. Aesch. Prom. 454 d. Ag 5 d. 199 c. 900 d. Eur. Suppl. 207 d. Andr. 748 d. 891 d. fr. inc. 981, 3 d. 1083, 7 d.

χερμάδιον Ε 302. tragici sibi sumpserunt *χερμάς*: cf. Aesch. Sept. 300 c. Eur. Ba. 1096 d. Melan. fr. 495, 12 d. 495, 18 d.

Praeterea nonnullae locutiones afferendae sunt, quas et Aeschylus et Euripides Homero debent, apud Sophoclem vero non invenies. Huc spectant *Ἅιδου πύλας* Ag. 1291 d et *Ἅιδα πύλας* Eur. Alc. 126 c (cf. Ι 312 *Ἀίδαο πύλῃσιν*); *μόρον ῥάπτειν*, quod legitur π 379, Aeschylus imitatus est, cum dixit Eum. 26 d. *καταῤῥάψας μόρον* et Ag. 1604 d *φόνου ῥαφεύς*; *φόνον ῥάπτειν*, quod exstat π 376, Euripides sibi sumpsit Andr. 836 d *φόνον ῥάψασα* et ib. 911 *ἔῤῥαψας φόνον* dicens [2]). Homericum illud *ἀλκὶ πεποιθώς* (Ε 299) expressit Aeschylus Cho. 230 leni mutatione scribens *ἀλκῇ πεποιθώς*. Eodem respicit *ἐχυροῖσι πεποιθὼς στυφελοῖς ἐφέταις* Aesch. Pers. 78 c et *κυσὶν πεποιθὼς* Eur. Hel. 154 d.

Haec quidem exempla sufficiunt ad demonstrandum multa Homerica inesse dictioni Aeschyleae, quae Euripides et ipse receperit, Sophocles non item, ut etiam hac in re similitudo quaedam illorum negari nequeat [3]).

---

1) Atque hic quidem significat idem fere atque *δεύειν* i. e. liquore aspergere. Aesch. et Eur. huic verbo etiam vim miscendi perturbandique attribuunt.

2) Cf. etiam Herodot. IX 17.

3) Homerica vocabula, quae, cum apud Euripidem desiderentur, apud Aeschylum Sophoclemque leguntur, multo sunt pauciora; affero haec: *ὀλέκω* Α 10 Aesch. Prom. 563. Soph. Trach. 1013. *ξυνός* Ο 193. Aesch. Suppl. 367. Sept. 76. Soph. Ai. 180. *αὖτε* Α 237. Aesch. Sept. 5 etc. Soph. Trach. 1009. *τώς* Β 330. Aesch. Sept. 484 etc. Soph. Ai. 841 (?)

Iam nobis quaerendum est, quid Euripides Aeschylo debeat verborum inventori. Qua in re tractanda mihi non ita meo esse licere uti vellem, iam supra dixi, cum Todtii atque Schirlitzii collectiones commemorarem[1]), quorum ille iam evicit maiorem quidem partem verborum ab Aeschylo novatorum „una cum auctore occidisse, reliquorum pauca a Sophocle, longe plurima ab Euripide esse recepta", hic vero demonstravit in dictione Euripidea multo plura inesse, quae ad Aeschylum, quam quae ad Sophoclem redirent inventorem[2]). Facere igitur non possumus, quin illam quam Todtius aperuit, Schirlitzius munivit viam, et ipsi ingressi colligamus omnia ea vocabula, quae Euripides ab Aeschylo novata desumpsit[3]), ut perspicua intelligatur compositione, quanta sit eorum vis ac multitudo. Obiter enim et Todtius et Schirlitzius indicant, quae Aeschylo Euripides debere videatur ab illo inventa, neque desunt, quae si non uterque vir doctus, at tamen alteruter eorum omisit: quamquam aperte concedo me paucissima de meo adicere posse illorum collectionibus. Sed iam ipsi videamus.

A. Nomina.

I. nomina simplicia.

1. substantiva.

a) quae ad verba referenda sunt:

φλογμός Aesch. Eum. 940 c. Eur. Hec. 474 c. Suppl. 831 c. 1019 c[4]).

*σταλαγμός Aesch. Sept. 61 d. Eum. 247 d. 783 c. 813 c. inc. fab. fr. 327 d. Eur. Hec. 241 d. Ion. 351 d. 1003 d. 1055 c. 1265 d. Sophocles quoque adhibuit Laoc. fr. 341, 2 d.

---

1) C. A. B. Todt, De Aeschylo verborum inventore, Halis 1855; Schirlitz, De Euripide novi sermonis inventore.

2) Hoc saltem Schirlitzii collectionibus plane perspicitur. Qui, si recte eum intellego, idem vult cum l. l. p. 103 „Sophoclis autem vis", inquit, „si quidem ullam is in Euripidem exercuisse censendus est . . ."

3) Quae Sophocles una cum Euripide ab Aeschylo mutuatus est, hoc signo * indicavi.

4) Comparet φλογμός saepius apud Hippocratem, velut p. 908 F, p. 15,53, p. 604, 23, sic ut dubitem utrum Ionum fuerit vocabulum an ab Aeschylo inventum esse censendum sit. At vix putaverim medicum illum ex Aeschylea, vel potius ex tragica dictione sibi voces sumpsisse, ut suum exornaret sermonem. Atque haud scio an interdum audaciores fuerint et Todtius et Schirlitzius, cum hoc vel illud vocabulum Aeschylo assignarunt tamquam

ὀλολυγμός Aesch. Sept. 268 d. Ag. 28 d. 595 d. Cho. 386 c. Eur. Or. 1137 d.

διωγμός Aesch. Su. 148 c. 1047 c. Eur. Herc. 898 c. J. T. 1175 d. 1324 d. 1435 d. Or. 412 d.

ταραγμός Aesch. Cho. 1056 d. Eur. Hec. 857 d. 959 d. El. 368 d. Herc. 533 d. 836 d. Suppl. 752 d. J. T. 572 d. Phoen. 196 d. 1406 d. J. A. 1128 d.

καταφθορά Aesch. Cho. 211 d. Eur. Ion. 1237 c.

πρόσφαγμα Aesch. Ag. 1278 d. Eur. Hec. 41 d. 265 d. Alc. 845 d. J. T. 243 d. 458 d. Tro. 628 d.

μόρφωμα Aesch. Ag. 873 d. 1218 d. Eum. 412 d. Eur. Hel. 19 d. Antiop. fr. 185, 3 d.

οἴμωγμα Aesch. Sept. 8 d. 1023 d. Ag. 1346 d. 1366 d. 1384 d. Eur. Bacch. 1112 d. Soph. contra fr. inc. 855, 5 *οἰμωγμός*.

δέργμα Aesch. Pers. 82 c [1]). Eur. Hec. 1265 d. Med. 187 an. Hipp. 1217 d. Phoen. 660 c. 870 d.

γήρυμα Aesch. Eum. 569 d. Eur. Plisth. fr. 627, 2 d.

δάκρυμα Aesch. Pers. 133 c. Eur. Andr. 92 d. Sed dubium est, Aeschyline sit haec vox. Ipse enim Schirlitzius l. l. p. 15 monuit hoc substantivum apud Herodotum quoque legi, VII 169 [2]).

λόχευμα Aesch. Ag. 1392 d. Eur. Herc. 252 d. El. 1124 d. Ion. 921 c. Or. 997 c. Phoen. 816 c. 803 c. 1019 c. Erechth. fr. 360, 50 d. J. A. 285 c.

πόρευμα Aesch. Eum. 239 d. Eur. J. A. 300 c.

πύλωμα Aesch. Sept. 408 d. 799 d. Eur. Hipp. 808 d. Hel. 789 d. Ion. 79 d.

ὄρεγμα Aesch. Ag. 1111 c.(?) Cho. 426 c. 799 c. Eur. Phoen. 308 c.

ὕλαγμα Aesch. Ag. 1631 d. 1672 tr. [3]).

κόμιστρον Aesch. Ag. 965 d. Eur. Herc. 1387 d.

---

inventori, si ante illum nemo videbatur adhibuisse. Deinde si duo poetae idem usurpant „novatum", non semper oportet alterum ab altero mutuatum esse, dummodo consideremus nullam fere linguam aptiorem ad componenda fuisse vocabula quam Graecorum, sic ut facile fieri posset, ut duo idem fingentes verbum alter ad alterum non respiceret.

1) Aeschyli illa (Pers. 82 sq.) *κυανοῦν δ' ὄμμασι λεύσσων Φονίου δέργμα δράκοντος* conferas quaeso cum Orph. Lith. 334: *Σεῖο δέ τοι κλονέει κραδίην μέγα δέργμα δράκοντος*.

2) Apud tragicos idem est atque lacrima; Herodoti l. c. significat rem deflendam.

3) Schirlitz. l. l. p. 14 . . . „ingens accedit examen neutrorum in *μα* quibus adeo delectatus est Euripides, ut magistrum Aeschylum si quo alio hoc certe nomine aequipararet."

στέργηθρον Aesch. Prom. 492 d. Cho. 241 d. Eum. 192 d. Eur. Hipp. 256 an.

παρασπιστής Aesch. fr. inc. 303. Eur. El. 886 d. Cycl. 6 d. Phoen. 1165 d.

λοχαγέτης Aesch. Sept. 42 d. Eur. Suppl. 502 d. Phoen. 974 d. 1093 d.

ποινάτωρ Aesch. Ag. 1281 d. Eur. El. 23 d. 268 d.

2. adiectiva.

b) quae a nominibus derivata sunt:

ἀλεξητήριος Aesch. Sept. 8 d. Eur. Herc. 470 d.

ἁμαξήρης Aesch. Ag. 1054 d. Eur. Or. 1251 d. [1]).

ἀνθεμώδης Aesch. Prom. 455 d. Eur. Bacch. 462 d.

φοιταλέος Aesch. Prom. 599 c. Eur. Hipp. 144 c(?). Or. 327 c.

Fortasse etiam *δενδρῶτις* (Eur. Herc. 790 c) hic inserendum est, siquidem Hermannus et Dobraeus Aesch. Danaid. fr. 44, 6 recte pro *δένδρωντις ὥρα* illud coniecerunt [2]).

II. nomina composita.

1. copulativa.

* *μελαμβαθής* Aesch. Prom. 219 d. Eur. Phoen. 1010 d. Apud Sophoclem quoque legitur Polyx. fr. 480 d.

2. possessiva.

γυναικοπληθής Aesch. Pers. 122 c. Eur. Alc. 952 d. Ad exemplum huius compositi finxit Euripides etiam *κενταυροπληθής* Herc. 1273 d.

ἀστερωπός Aesch. Xantr. fr. 170, 2 d. Eur. Hipp. 851 c. Ion. 1078 c. Phoen. 129 c. Sis. fr. 781, 25.

γοργωπός Aesch. Prom. 356 d. Eur. Herc. 868 tr. 1266 d. Ion. 210 c.

φαιδρωπός Aesch. Ag. 725 c. Eur. Or. 894 d.

μονώψ Aesch. Prom. 804 d (*μουνῶπα*). Eur. Cycl. 21 d. 648 d.

θρασύσπλαγχνος Aesch. Prom. 730 d (adv.). Eur. Hipp. 424 d.

θρασύστομος Aesch. Sept. 612 d. Ag. 1399 d. Eur. Aeg. fr. 3 d.

1) Aliam autem huic voci subiecit vim Aeschylus, aliam Euripides.
2) Hartungius eumque secutus Nauckius maluerunt *δένδρων ὀπώρα*.

ὀξύστομος Aesch. Prom. 674 d. 803 d. Eur. Suppl. 1206 d.

χρυσοπήληξ Aesch. Sept. 106 c. Eur. Phoen. 939 d.

χρυσοφεγγής[1]) Aesch. Ag. 288 d. Eur. Phaeth. fr. 781, 11 (pro *ὦ χρυσοφεγγὲς Ἥλιε*, quam lectionem Macrobius Sat. 1, 17, 10 praebet, cod. Claromontanus *ὦ καλλιφεγγὲς Ἥ.* exhibet).

δολιόφρων Aesch. Cho. 947 c. Eur. J. A. 1301 c.

σιδηρόφρων Aesch. Prom. 242 d. Sept. 52 d. Eur. Phoen. 672 c.

ὠμόσιτος Aesch. Sept. 541 d. Eur. Phoen. 1025 c.

τρισώματος Aesch. Ag. 870 d. Eur. Herc. 24 d. 423 c. 1271 d. Ion. 204 c.

χιλιοναύτης Aesch. Ag. 45 an. Eur. J. T. 141 c.

καλλίπρῳρος Aesch. Sept. 533 d. Ag. 236 c (utrobique de persona dictum). Eur. Med. 1335 d (proprie de navi).

κραταίλεως Aesch. Ag. 666 d. Eur. El. 534 d.

3. determinativa.

a) composita, cuius prior pars ex adiectivo constat.

αἰνοπάτηρ (Cho. 312 c) i. e. *αἰνός πατήρ* praeter Aeschylum nemo dixit; sed agnosces Aeschyleam rationem in Euripideis compositis *αἰνόπαρις* (Hec. 945 c) et *αἰνόγαμος* (Hel. 1120 c), quorum alterum fictum esse ad exemplum Aeschylei *αἰνόλεκτρος* (Ag. 687 c) plane apparet. Alterum ab Alcmane desumpsit Euripides (cf. fr. 10 ed. Hiller. *Δύσπαρις, αἰνόπαρις, κακὸν Ἑλλάδι βωτιανείρα*).

πολυπλάνος Aesch. Prom. 585 c. Eur. Phoen. 661 c.

---

1) Hoc loco mihi liceat monere Aeschylum quidem interdum in compositis scripsisse *χρυσεο-*, velut Pers. 159 tr. *χρυσεοστόλμους* et Cho. 617 c *χρυσεοδμήτοισιν*, neque aliter Euripidem, qui *χρυσεοβόστρυχος* (Phoen. 191 c), *χρυσεόκυκλος* (Phoen. 176 c), *χρυσεόνωτος* (Antig. fr. 159 c), *χρυσεοπήνητος* (Or. 840 c), *χρυσεοσάνδαλος* (Or. 1467 c. J. A. 1042 c), *χρυσεόστολος* (Herc. 414), *χρυσεοφάλαρος* (Tro. 520 c), *χαλκεομήστωρ* (Tro. 271 c), *χαλκέοπλος* (Hel. 693 c) dixit. Apud Sophoclem contra composita per εο scripta frustra quaeres: Immo adhibuit *χρυσόδετος* (El. 837 c), *χρυσόμορφος* (fr. inc. 1026, 2), *χρυσόνωτος* (Ai. 847 d), *χρυσόρυτος* (Ant. 950 c) etc.

(Wilamowitz, Orestie p. 214 „*χρυσεο-* ist freilich grammatisch falsch . . ., aber *χαλκεοθώρηξ* [Homer], *χρυσεοσάνδαλος*, *χρυσεοπήνητος*, *χαλκεομήστωρ* u. a. zeigen, dass das Drama solche Fehler beging, weil das Epos dem Verszwange nachgegeben hatte.")

b) composita, cuius prior pars ex adverbio constat.

ἀπαράμυθος Aesch. Prom. 185 c. Eur. J. A. 620 d.

εὐάγκαλος Aesch. Prom. 350 d. Eur. Phaeth. fr. 785. (Nauckius vero lacuna indicata scripsit ἀγκύλον).

δύσλοφος Aesch. Prom. 931 d. Eur. Tro. 303 d (adv.).

δύσορνις Aesch. Sept. 838 c. Eur. Hipp. 759 c.

δυσπάλαιστος Aesch. Cho. 692 d. Eur. Alc. 889 c. Suppl. 1108 d.

δυσκατάπαυστος Aesch. Cho. 470 c. Eur. Med. 109 an.

δύσλυτος Aesch. Prom. 19 d. Eur. Andr. 121 c. Phoen. 375 d [1]).

δυσμαθής Aesch. Ag. 1255 d. Eur. Med. 1196 d. [2]).

c) composita, quorum prius membrum praepositio est.

ἀμφιμήτωρ Aesch. Heraclid. fr. 76. Eur. Andr. 466 c.

ἀντίμολπος Aesch. Ag. 17 d. Eur. Med. 1176 d.

*ἀντίπαις Aesch. Eum. 38 d. Eur. Andr. 326 d. Apud Sophoclem quoque legitur Achiv. conv. fr. 139, 2 d.

κατάπτερος Aesch. Prom. 798 d. Eur. Or. 177 c.

πρόκωπος Aesch. Ag. 1651 d. Eur. Or. 1477 c.

συνομαίμων Aesch. Prom. 409 c. Eur. J. T. 848 c.

σύγχορτος Aesch. Suppl. 5 an. Eur. Andr. 17 d. Herc. 371 c.

ὑπέρκοτος Aesch. Ag. 822 d (adi.). 467 c (adv.) [3]). Eur. Herc. 1086 d.

4. composita obiectiva seu dependentia.

a) membrum dependens praeponitur.

α) utrumque membrum substantivum est.

*γυναικόμιμος Aesch. Prom. 1005 d. Eur. Bacch. 980 c. Antiop. fr. 185,3 d. Apud Sophoclem quoque legitur fr. inc. 702; sed dubitant vvdd., utrum senarius ille (γυναικομίμοις ἐμπρέπεις ἐσθήμασιν) a Sophocle certo quodam consilio ad exemplum Euripidei (γυναικομίμῳ διαπρέπεις μορφώματι) compositus sit [4]) an a

1) Adverbium δυσλύτως posuit Xenophon Oecon. 8, 13.

2) Saepius apud Platonem recurrit: velut rep. II p. 358 A.

3) Ni utrobique ὑπέρκοπος restituendum, quod magis in contextum quadrat.

4) Sic Schroederus de iteratis p. 120 sq.

Clemente Alexandrino haud accurate collaudatus per errorem non Euripidi, sed Sophocli assignetur [1].

β) membrum regens a verbo derivatum est, unde accusativus pendet.

παιδολέτωρ Aesch. Sept. 726 c. Eur. Med. 1393 an. Med. 849 c (παιδολέτειραν).

πύρπνοος Aesch. Prom. 371 d. 917 d. Sept. 493 d. 511 d. Eur. Med. 478 d. El. 473 c.

βροτοφθόρος Aesch. Eum. 787 c. 817 c. Suppl. 264 d. Eur. Aug. fr. 266 d.

τευχεσφόρος Aesch. Cho. 627 c. Eur. Suppl. 654 d.

πεδοστιβής Aesch. Pers. 126 c. Suppl. 1000 d. Eur. Hel. 1516 d. Med. 1123 d. Sthen. fr. 670, 3 d.

*ἱπποβάμων (Aesch. Prom. 805 d. Suppl. 284 d) apud Euripidem non legitur; Sophocles autem hoc novatum ab Aeschylo mutuatus est Trach. 1095 d. Sed Euripides quoque hunc imitatur, cum Or. 989 c τεθριπποβάμων finxit. Deinde ad Aeschylei illius πεδοβάμων (Cho. 591 c) exemplar videtur Euripides novasse τριτοβάμων (Tro. 275 c) et τετραβάμων (Phoen. 808 c), quae composita, quamquam alio loco inserenda sunt, mihi hic commemorare liceat [2]).

*βούθυτος Aesch. Suppl. 706 c. Cho. 261 d. Eur. Alc. 1156 d. Ion. 664 d. Hel. 1474 c. Soph. O. C. 1495 c.

ἀνδροκμής Aesch. Suppl. 679 c. Cho. 889 d. Eum. 248 c. 956 c. Eur. Suppl. 525 d.

πελειοθρέμμων Aeschylus ni fallor solus dixit Pers. 309 d. Similem autem componendi rationem agnosces in Euripideo χιονοθρέμμων Hel. 1323 c [3]).

ὀϊστοδέγμων legitur Aesch. Pers. 1020 c. νεκροδέγμων Prom. 153 an. Quod haud scio an Euripides imitatus sit Hipp. 1173 d κυμοδέγμων fingens [4]).

1) In hanc quidem sententiam disseruit Bergkius, quocum Nauckius tr. gr. fr. p. 297 sq. facere videtur.

2) Cf. etiam λεοντοβάμων Aesch. Sis. fr. 225, 2 d. et σκηπτροβάμων Soph. fr. 799.

3) Pindarus Aeschylo similiter dixit ὀλβοθρέμμων fr. 254 (Bgk.).

4) Hom. hymn. V 31, 17, 430 Pluto appellatur Πολυδέγμων.

πανόπτης (Aesch. Prom. 91 d. Suppl. 304 d. Eum. 1045 c. Eur. Phoen. 1115 d) meritone a Todtio Aeschylo assignetur tamquam inventori, valde dubito [1]).

πολυκτόνος Aesch. Ag. 461 c. 734 c. Eur. Heraclid. 217 d. Hel. 198 c. 238 c. Or. 1142 d.

γ) membrum regens si verbum esset, cum dependenti sic coniungeretur, ut huius poneretur dativus.

I. activam praebent vim:

τοξόδαμνος Aesch. Pers. 86 c. Eur. Hipp. 1451 d.

αἱματοσταγής Aesch. Sept. 836 c. Ag. 1309 d [2]). Eur. Suppl. 812 c.

II. passivam vim praebent:

θαλασσόπλαγκτος Aesch. Prom. 467 d. Eur. Hec. 782 d.

δορίπονος Aesch. Sept. 169 c. 628 c. Eur. El. 479 c. J. A. 771 c.

ναύφρακτος Aesch. Pers. 950 c. 1028 c. Eur. J. A. 1259 d.

χρυσότευκτος Aesch. Sept. 660 d. Eur. Phoen. 220 c.

χρυσήλατος Aesch. Sept. 644 d. Eum. 182 d. Eur. Med. 786 d. 949 d. Hipp. 862 d. Andr. 166 d. Ion. 25 d. El. 714 c. Phoen. 62 d. J. A. 1565 d.

δηάλωτος Aesch. Sept. 72 d. Eur. Andr. 105 c (δηϊάλωτος).

ναύπορος Aesch. Eum. 10 d. Eur. Tro. 877 d.

πετρηρεφής Aesch. Prom. 300 d. Eur. Ion. 1400 d. Cycl. 82 d.

*ὀμματοστερής Aesch. Eum. 940 c (active intelligendum). Eur. Phoen. 327 c (passive). Soph. O. C. 1260 d.

θηλυγενής Aesch. Suppl. 29 an. Eur. Bacch. 117 c. 1156 c.

*Καδμογενής Aesch. Sept. 302 c. Eur. Phoen. 808 c. Soph. Trach. 117 c.

b) membrum dependens subsequitur.

ἐχθρόξενος Aesch. Prom. 727 d. Sept. 606 d. 621 d. Eur. Alc. 558 d (deterioris notae libri κακοξένους exhibent). „Nobile illud" Aeschyli — ut Todtii utar verbis — τίς ποτ᾽ ὠνόμαζεν ὧδ᾽

1) Vix enim putaverim Argivos Panoptae dei nomen ex Aeschylo desumpsisse (cf. Jessen. in Roscheri lex. myth. III p. 1546 sqq.). Sophocles dixit παντόπτας O. C. 1086 c, quae forma iam Aesch. Suppl. 139 c et fr. 192, 5 an legitur.

2) Pers. 816 malunt nonnulli αἱματοσταγής (sic apogr.) quam αἱματοσφαγής, quod tamen optimum praebet sensum. Cho. 842 coniecit Portus pro δειματοστάγ᾽ ες, quod est in *M*: (γένοιτ᾽ ἂν ἄχθος) αἱματοσταγὲς (φόνῳ). — Eum. 366 legitur αἱματοσταγές, quod metro repugnat. Sunt, qui ideo αἱμοσταγές mutant, quod adiectivum etiam in Eur. Thes. fr. 384, 3 sublitescere videtur.

ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως … | … τὰν δορίγαμβρον ἀμφινει-κῆ θ' Ἑλέναν; ἐπεὶ πρεπόντως | ἑλέναυς, ἕλανδρος, ἑλέπτολις (Ag. 689 c) κτλ. Euripides sine dubio respexit, cum et ipse vocem ἑλέπτολις[1]) sibi sumpsit J. A. 1476 c. 1511 c. Aeschylea illa μιξόμβροτος (Aesch. Suppl. 568 c), μιξόθροος (Aesch. Sept. 331 c), μιξοβόας (Aesch. fr. inc. 355 c) Euripides si non recepit, attamen imitatus est μιξόθηρ (Ion. 1161 d) et μιξοβάρβαρος (Phoen. 138 d) fingens. μιξοπάρθενος Euripides (Phoen. 1023 c) haud scio an dixerit Herodoto duce (IV 9).

B. Verba.

I. verba simplicia derivata.

πυργηρέω Aesch. Sept. 22 d. 184 d. Eur. Or. 762 tr. Phoen. 1087 d.

ἀνθρακόω Aesch. Prom. 372 d. Eur. Cycl. 612 d. κατανθρακόω Eur. Cycl. 663 d. J. A. 1602 d.

ταυρόομαι Aesch. Cho. 275 d. Eur. Med. 92 d. Bacch. 922 d. ἀποταυρόομαι Eur. Med. 188 an.

λωτίζομαι Aesch. Suppl. 963 d. ἀπολωτίζω Eur. Suppl. 449 d. J. A. 792 c. λώτισμα Eur. Hel. 1593 d.

διαρταμέω Aesch. Prom. 1023 d. ἀρταμέω Eur. Alc. 494 d. El. 816 d. Peliad. fr. 612.

II. verba paratheta.

ἐπι-θωΰσσω Aesch. Prom. 73 d. 277 an. Eur. J. T. 1127 c.

ἐπι-θεάζω Aesch. Cho. 856 an (?)[2]). Eur. Med. 1409 an.

ἐπακρίζω Aesch. Cho. 932 d. ἐξακρίζω Eur. Or. 275 d. ὑπεξακρίζω Eur. Bacch. 678 d.

ξυναμπέχω Aesch. Prom. 521 d. συναμπίσχω Eur. Herc. 1111 d.

III. verba composita et parasyntheta.

κρεοκοπέω Aesch. Pers. 463 d. Eur. Cycl. 359 c.

μητροκτονέω Aesch. Eum. 202 d. 427 d. 595 d. Eur. Or. 887 d.

*ἐλευθεροστομέω Aesch. Prom. 180 c. Eur. Andr. 153 d. ἐξελευθεροστομέω Soph. Ai. 1258 d.

*θρασυστομέω Aesch. Suppl. 203 d. Eur. Hec. 1286 d. Soph. Phil. 380 d.

---

1) Tormentum quoddam sic appellatur Diod. Sic. 20, 48 et 91.

2) κἀπιθεάζουσ' Schuetzius pro καὶ πιθοάζουσα, quod est in M. Eundem errorem Eur. l. l. correxit Blomfieldius κἀπιθεάζω pro κἀπιθοάζω restituens.

C. Adverbia.

ἀραρότως Aesch. Suppl. 945 d. Eur. Med. 1192 d.

ἀπομούσως Aesch. Ag. 801 an. Eur. Med. 1089 an adiectivum *ἀπόμουσον* legitur.

ὑπέρφευ Aesch. Pers. 820 d. Ag. 377 c. Eur. Phoen. 550 d. Herc. 1321 d [1].

Ex tota illa compositorum collectione apparet multo maiorem partem novatorum, quae Euripides Aeschylo duce et auctore adhibuit adiectivis constare, quibus compingendis Aeschylus adeo luxuriatus est, ut hoc in genere inveniantur et ingeniosissime et audacissime novata. Hic autem non modo facultate illa nova procreandi adiectiva insignis est, sed excellit etiam arte quadam adiectiva cum substantivis coniungendi. Atque hanc quoque rem facere non possumus quin attingentes brevissime examinemus, num Euripides in nominibus tali modo inter se nectendis Aeschylo interdum duce sit usus. Schirlitzius [2]) quidem Euripideis id genus exemplis collectis dispositis illustratis Euripidem hac in re multo audacius se gessisse et Aeschylo et Sophocle statuit, Aeschylea tamen et Sophoclea afferre specimina supersedit: Meum igitur erit huiusmodi Aeschyleas locutiones colligere et cum Euripideis, quae ad illarum exemplar expressae esse videntur, componere, ut hic quoque intellegatur, quantam exercuerit vim in Euripideam dictionem Aeschylus, etsi Schirlitzio concedendum erit hunc ab illo interdum valde exsuperari nominibus audacissime inter se conexis. Idem vd. iam rectissime monuit hos nominum conexus „non tam id spectare, ut evidentiae, qualem sibi mens expostulat inserviant, quam ut sensus moveant iisque aliquomodo blandiantur“ [3]). Ac primum quidem videamus de eis, qui abundantia quadam insignes sunt idque ita, ut „substantivi notio altero compositi membro iteretur.“

---

1) Wilamowitz ad Herc. v. 1321 „das Wort (*ὑπέρφευ*)“ hat Aischylos gebildet, und er erklärt es Ag. 378, indem er es überbietet, *φλεόντων δωμάτων ὑπέρφευ, ὑπὲρ τὸ βέλτιστον.*“

2) l. l. p. 94 sqq.

3) l. l. p. 95.

κακόποτμοι τύχαι Aesch. Ag. 1136 c.	*κακοτυχεῖς πότμοι* Eur. Hipp. 669 c.
σιδηρόφρων θυμὸς Sept. 52 d.	*ὑψηλόφρων θυμὸς* J. A. 919 d. *γυναικόφρων θυμὸς* Erechth. fr. 362, 34 d.
χρυσοφεγγὲς σέλας Ag. 288 d.	*καλλιφεγγὲς σέλας* Troad. 860 d.
κακοφάτιδα βοὰν Pers. 936 c.	*κακογλώσσου βοῆς* Hec. 661 d.
βίοτον εὐαίωνα Pers. 711 d [1].	*δυσαίων βίος* Suppl. 960 c.
δύσθροον αὐδὰν Pers. 941 c.	*δυσκέλαδος φάμα* Med. 420 c.
ἄχαρις χάρις Prom. 544 c.	
ἄχαριν χάριν Ag. 1545 c.	*χάριν ἄχαριν* J. T. 566 d.
χάριν ἀχάριτον Cho. 42 c (sic pro *ἄχαριν* ex certissima Elmslei coniectura).	*χάριν ἀχάριτον* Phoen. 1757 c.
ἀπόλεμος πόλεμος Prom. 904 c.	*ἀπόλεμον πόλεμον* Herc. 1133 d.

Qua abundantia haud ita offendimur, si adiectivum cum *α* privativo compositum est, ut exemplis modo enumeratis vidimus. Aeschylus quidem ausus est formare *τηλέπλανοι πλάναι* Prom. 577 c, *πολύπλανοι πλάναι* ib. 585 c, *πόλιν νεόπτολιν* Eum. 690 d, cuius generis conexus apud Sophoclem me legere non memini: Euripides vero etiam hac in re cum Aeschylo faciens dixit non modo *ὑπεράνορα μεγαλανορίαν* (?) Phoen. 184 c, sed etiam *τρίποδας χαλκόπους* Suppl. 1197 d et *τυφλόπουν πόδα* Phoen. 1549 c [2]).

Omnino aliam abundantiam deprehendis interdum in eis copulationibus, quae, ut exemplum afferam, adiectivis in -ωπος, -ωυ terminantibus formatae sunt. Apud Aeschylum quidem talia in Prometheo praecipue leguntur, velut *στενωποῦ θαλασσίου* (cf.

1) Hoc mutuatus est Sophocles Trach. 81 d (*βίοτον εὐαίων' ἔχειν*).

2) Hoc loco liceat afferre *θέαμα δυσθέατον* Aesch. Prom. 69 d et *δυσθρηνήτοις θρήνοις* Eur. J. T. 144 c, cuius generis exempla apud Sophoclem non legi. *Αἰὼν δυσαίων* Hel. 213 c. *γάμους δυσγάμους* Phoen. 1047 c. *δύσνοστον νόστον* Tro. 75 d. *δυσφήμους φάμας* Hec. 194 c. *κάματον εὐκάματον* Bacch. 66 c etc. Euripides ni fallor solus dixit. — Praeterea conferas velim quae Wecklinus ad Prom. v. 576 adnotavit (Aeschylos Prometheus [3]). — *πέδαις ἀχαλκεύτοις* Aesch. Cho. 493 c de reti dicitur; idemque *πέδαις ἀχαλκεύτοις* comparet Eur. (?) Pirith. fr. 595, ubi de pudoris vinculis ac necessitudine intellegendum est.

Hom. *μ* 234 *στεινωποῦ πόντου*) Prom. 364 d[1]). *γοργωπὸν σέλας* ib. 356 d. *θεμερῶπιν αἰδῶ* Prom. 134 c. *φλογωπὸν πῦρ* Prom. 253 d. *φλογωπὰ σήματα* ib. 498 d. *πρὸς ἀντολὰς φλογῶπας ἡλιοστιβεῖς* ib. 791 d. *πυρωπὸν* (*πυρωτὸν M*) *κεραυνὸν* ib. 667 d. — Euripides si non eadem, attamen similia adhibuit velut *κοιλωπὸς ἀγμός* J. T. 263 d. *χάσμα εὐρωπὸν πέτρας* J. T. 626 d. *αἱματωποὶ δεργμάτων διαφθοραί* Phoen. 870 d *κτλ.*[2]).

Iam vero eiusmodi copulationes afferendae sunt, in quibus ut abundantia deprehendatur tantum abest, ut contra brevitas quaedam agnoscenda sit.

Ubi enim prosae orationis scriptori ut nomen substantivum accuratius denotaret, genetivi appositione vel alia id genus circumlocutione utendum erat, tragici saepissime adiectivum pro genetivo cum nomine substantivo copulaverunt[3]) idque interdum non sine magna audacia, velut Sophocles pro *ἀγὼν ἀρίστων χειρῶν* dixit *ἀριστόχειρ ἀγών*[4]). Atque in hoc potissimum copulationum genere inveniuntur, quae Euripidi cum Aeschylo communia sunt, vel quae Euripides ad Aeschyli exemplar conformasse videtur.

ταυρείου φόνου Aesch. Sept. 44 d.	*ἐκ ταυρείου φόνου* Eur. Hel. 1591 d. *ἐπὶ ταυρείῳ σφαγῇ* Hel. 1582[5]).
ὅμαιμος αὐθέντης φόνος Eum. 212 d.	*αὐθέντῃ φόνῳ* Herc. 839 d. *εὐγενεῖ φόνῳ* J. A. 1595 d. *Ἕλλην φόνος* J. T. 72 d.

1) *στενωπός* (scil. *ὁδός*) etiam apud Sophoclem obviam fit O. R. 1399.

2) Propriam suam vim retinuit illud *-ωπος* apud Aeschylum solum ni fallor in composito illo *μυριωπόν βούταν* Prom. 569. Ceterum haecce composita apud Sophoclem non minus crebro inveniuntur quam apud Euripidem: rariora sunt in Aeschyli fabulis. Ad Homerum respiciunt *οἰνῶπα Βάκχον* Soph. O. R. 211 c. *οἰνῶπα κισσὸν* O. C. 674 c. *οἰνωπὸς δράκων* Eur. J. T. 1245 c. *οἰνωπὸν ἄχνην* Or. 115 d. *οἰνωπὸν γένυν* Phoen. 1160 d. Bacch. 438 d. Cum Sophocleo (?) *χρυσωπὸς αἰθήρ* (fr. dub. 1027, 3) conferas *ἀελίου χρυσωπὸν ἕδραν* Eur. El. 740 c. Praeterea Euripidis sunt *γοργωποὺς ὄφεις* Herc. 1266 d. *γοργωπὸν ἴτυν* (*αἰγίδα* int.) Ion. 210 c. *γοργωποὺς κόρας* Herc. 868 tr. *γοργῶπες ὀμμάτων αὐγαὶ* ib. 131 c. Quas omnes copulationes superavit Sophocles, cum dixit *κελαινώπαν θυμόν* Ai. 954. *τηλωπὸν ἰωὰν* Phil. 216 c. *ἡ δολῶπις Οἰνέως κόρη* Trach. 1050.

3) Cf. Raphael Kuehner, Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache II 1 ³ § 402 „Vertauschung der attributiven Formen.“ Schirlitz l. l. p. 96 sqq.

4) Ai. 935 c.

5) Cf. Soph. Ai. 309 *ἀρνείου φόνου*, ib. 64 *εὔκερων ἄγραν*.

γάμον Αἰγυπτογενῆ Aesch. Suppl. 1054 c. *γάμον δυσάνορα* Suppl. 1064 c.	*ἀπὸ θεογόνων γάμων* Eur. Or. 346 c.
συγγενῆ γάμον Prom. 855 d.	*συγγενεῖς ὁμιλίαι* Troad. 51 d. *φιλίαν ὁμόφυλον* Herc. 1200 c.
εὐαγγέλοισιν ἐλπίσιν Ag. 262 d.	*δόξης εὐαγγέλου* Med. 1010 d.
καλλίπαις πότμος Ag. 762 c.	*εὐτέκνους χρησμοὺς* Ion. 423 d.
δίπαις θρῆνος Cho. 334 c.	*δικόρυφον σέλας* Phoen. 227 c.
ζυγοῖσι δουλίοισι (sic Aldus pro *δουλείοισι*) Sept. 75 d. *ζυγὸν δούλιον* Pers. 50 an. Sept. 471. 793 d.	*ζυγὸν δούλιον* Andr. 302 c. *ζυγὰ δούλια* Tro. 600 c.
Αἰγυνστρατὸν Prom. lib. fr. 199, 9.	*στρατὸν αἰχμητήν* Hec. 118 an.
ναυβάτας στρατός Ag. 987 c.	*ναυβάταν λεών* J. A. 294 c.
ἱππηλάτας λεώς Pers. 126 c. *στρατὸν Ἀριμασπὸν ἱπποβάμονα* Prom. 805 d. *λεὼς ἱππότας* Sept. 80 c.	*τὸν ἱππευτὰν Ἀμαζόνων στρατὸν* Herc. 408 c.
Σκύθης ὅμιλος Prom. 417 c.	*ναύταν ὅμιλον* Hec. 921 c.
ἑπτατειχεῖς ἐξόδους Sept. 284 d.	*ἑπτάπυργα κλῇθρα* Phoen. 1058 c. *ἑπτάπυργοι περιβολαί* Phoen. 1078 d.
τριτοσπόρῳ γονῇ Pers. 818 d.	*δεκασπόρῳ χρόνῳ* Troad. 20 d[1]).

Iam audaciorem dicendi rationem exhibent haec:

κρεουργὸν ἦμαρ Aesch. Ag. 1592 d.	
βουθύτοις ἐν ἤμασιν Cho. 261 d.	*βούθυτον ἁμέραν* Eur. Hel. 1474 c[2]).
βουθύτοισι τιμαῖς Suppl. 706 c.	*βουθύτοισι προστροπαῖς* Alc. 1156 d. *θυσίαις βροτοκτόνοις* J. T. 384 d. (*ἐσχάραν*) *μηλοθύταν* Alc. 121 c (cf. Soph. O. C. 1495 c *βούθυτον ἑστίαν*). *βωμοὺς μηλοθύτας* J. T. 1116 c.
θοίναις βουφόνοις Prom. 531 c.	

1) Quamquam Euripidis solum exemplum ad hoc compositorum genus spectat, tamen non dubium est, quin ad Aeschyli illud exemplar fictum sit, ut recte monuit Schroederus l. l. p. 101.

2) Has locutiones Sophocles imitatus est, cum dixit Trach. 609 d *ἡμέρᾳ ταυροσφάγῳ*. Praeterea cf. Th. Kock ad Aristoph. Av. 1232 (*βουθύτοις τ' ἐπ' ἐσχάραις*).

καθαρμοῖς χοιροκτόνοις Aesch. Eum. 283 d.	
αἵματος χοιροκτόνου Aesch. inc. fr. 327.	*αἷμα τραγοκτόνον* Eur. Bacch. 139 c[1]). *αἷμα παιδοφόνον* Herc. 1201 c[2]).
παρθενοσφάγοισιν ῥεέθροις Ag. 209 c.	
μητροκτόνον μίασμα Eum. 281 d.	*κηλὶς μητροκτόνος* J. T. 1200 d. *τεκνοκτόνον μύσος* Herc. 1155 d.
ὠμοδακὴς ἵμερος Sept. 692 c.	*ὠμοφάγον χάριν* Eur. Bacch. 139 c. *χαρμοναῖσιν ἀνδροβρῶσι* Herc. 385 c. *ἡδονὰς ἀνδροβρῶτας* Eur. Meleagr. fr. 537 d.
ξιφηφόρους ἀγῶνας Cho. 584 d.	*ξιφηφόρων ἐς ἀγώνων ἅμιλλαν* Herc. 812 c.
δαφνηφόροις τιμαῖς Suppl. 706 c.	*κισσοφόροις ἐν θαλίαις* Bacch. 384 c. *στεφανηφόρους θιάσους* Bacch. 531 c.
ξιφοδηλήτῳ θανάτῳ[3]) Ag. 1528 an.	*ξιφοκτόνον δίωγμα* (*δαϊγμὸν* Wecklinus) Hel. 354 c.
ξιφοδηλήτοισιν ἀγῶσιν Cho. 729 an.	*ἀνδροκμῆτας ἀγωνίας* Suppl. 525 d.

1) Discrepant vvdd. inter se, quomodo intelligenda sint huius generis composita, dein qualis sit accentus. Atque haec quaestio eo est difficilior, quod *αἷμα* non modo „cruorem" sed etiam „caedem" significat. Velut Wecklinus, Bacch. p. 29, mavult l. l. *αἷ. τραγοκτόνον*, affertque exempli causa *μητροκτόνον αἷμα* Or. 833 c. 1649 d. *ἀνδροφθόρον αἷμα* Soph. Ant. 1022. *σκῦλα βροτοφθόρα* Eur. Aug. fr. 266, 1 d. Contra Ewaldus Bruhn de Bacch. l. c. „*τραγόκτονον*" inquit „passivisch: das Blut des getöteten Bockes." Kuehnerus vero Gramm. graec. p. 262 locum Sophocleum a Wecklino collaudatum sic interpretatur: *ἀνδρόφθορον αἷμα* = *αἷμα ἀνδρὸς φθαρέντος*. Tamen Bacch. illo loco haud scio an cum Wecklino faciendum sit, dummodo *αἷμα* „caedis" vim prae se ferre putemus.

2) Schirlitzius p. 95 vertit „caedem liberos mactantem" agnoscitque abundantiam, quia sic *αἷμα* idem fere atque *φόνος* significet.

3) Raph. Kuehner l. l. p. 262 adnot. 1 in hoc exemplo non tam „commutationem" quandam „attributivarum formarum" adgnoscit sed copiam abundantiamque poeticae dictioni inservientem.

Iam autem nonnulla proferenda sunt „hypallages versicoloris" exempla [1]). Schirlitzius quidem suo iure contendit in hoc appositionum genere longe audacissima ab Euripide esse admissa, quam ad rem illustrandam satis multa congessit copulationes per hypallagen formatas, quales ille progenuit.

Sed ne Aeschylus quidem talia fingere veritus est, cum dixit
Ag. 1510 c *ὁμοσπόροις ἐπιῤῥοαῖσιν αἱμάτων.*
Cho. 1069 sq. an *παιδοβόροι (παιδόμοροι M) μόχθοι τάλανές τε Θυέστου.*
Cho. 1070 an *ἀνδρὸς βασίλεια πάθη.*
Eum. 718 d *πρωτοκτόνοισι προστροπαῖς Ἰξίονος.*
Myrmid. fr. 131, 2 an *δοριλυμάντους Δαναῶν μόχθους* etc.

Praeterea velim conferas haecce exempla Aeschylea cum Euripideis:

δεμνιοτήρη πόνον ὀρταλίχων Aesch. Ag. 53 sq. an.	*ἄπτερον ὠδῖνα τέκνων* Eur. Herc. 1039 d.
βλαχαὶ αἱματόεσσαι τῶν ἐπιμαστιδίων ἀρτιτρεφεῖς Sept. 348 sq. c.	*ἁμερόκοιτοι βλαχαὶ τεκέων* Cycl. 59 c.

Hypallage quaedam in his quoque comparet:

μηδὲ χαμαιπετὲς βόαμα προσχάνῃς ἐμοί Aesch. Ag. 920.	*ἐπὶ φόνῳ χαμαιπετεῖ ματρός* Or. 1491 c. *γονυπετεῖς ἕδρας προσπίτνω σε* Phoen. 293 c.

Deinde non sine audacia hae copulationes sunt factae:

ἐν μεσομφάλοις Πυθικοῖς χρηστηρίοις Sept. 747 c.	*μεσόμφαλοι μυχοί* Or. 331 c.
μεσόμφαλον ἵδρυμα Cho. 1036 d.	*μεσομφάλους ἕδρας* Or. 591 d.
ἑστίας μεσομφάλου Ag. 1056 d.	*Φοιβήιος ἔνθα γᾶς μεσόμφαλος ἑστία* Ion. 461 sq. c.
	μεσόμφαλα γύαλα Phoen. 237 c [2]).
ὀξύχειρι σὺν κόπῳ Cho. 23 c.	*λευκοπήχεις κτύπους χερῶν* Phoen. 1351 c.

1) Kuehnerus l. l. p. 263 adn. 2 „wenn zu einem mit einem attributiven Gen. verbundenen Substantiv ein attribut. Adj., das logisch zu dem Gen. gehört, hinzutritt, dasselbe nicht auf den Gen., sondern auf das regierende Substantiv, als den wichtigeren Bestandteil, bezogen wird, indem die beiden letzteren als zu einem Worte verschmolzen betrachtet werden."

2) Talia etiam apud Sophoclem legi non nego.

Iam enumerandae sunt nonnullae copulationes et Aeschyli et Euripidis, quae, si non semper in eodem componendi genere versantur aut insolentia quadam formandi insignes sunt, attamen inter se adeo similes sunt, ut de imitatione consulto facta non liceat dubitare:

τῆς ὑπερπλούτου χλιδῆς Aesch. Prom. 466 d.	ἁβροπλούτοιο χλιδᾶς (libri χαίτας) Eur. J. T. 1148 c.
ἀρχαιοπλούτων δεσποτῶν Ag. 1043 d.	ἀρτίπλουτα χρήματα Suppl. 742 d.
Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος (intellige Agamemnonem et Menelaum) Ag. 108 c.	Κάδμου ἑπτάπυλον κράτος (int. Thebas) Herc. 543 d.
ὀπισθοβριθὲς ἔγχος fr. inc. 338.	σιδηροβριθὲς ξύλον Meleagr. fr. 531 d.
ἀνδρόβουλον κέαρ Ag. 11 d.	θερμόβουλον σπλάγχνον inc. fr. 858.
λαίλαπι χειμωνοτύπῳ Suppl. 34 an.	κῦμ' ἁλίκτυπον ἅλμας Hipp. 754 c[1]).

ἀσπίστορας κλόνους λογχίμους τε καὶ ναυβάτας ὁπλισμούς dixit Aeschylus Ag. 403 sq. c non sine quadam audacia. Quod haud scio an exsuperare voluerit Euripides, cum non sine affectatione magnaque verborum pompa haec protulit:

El. 443 sq. c. Ἡφαίστου χρυσέων ἀκμόνων
μόχθους ἀσπιστὰς .... τευχέων.

Reliquum est, ut enumeremus nonnullas locutiones, quas ab Aeschylo, si non confictas attamen in tragicum inductas sermonem, Euripides in suum usum vertit, cum in Sophoclea desiderentur dictione. Atque iam Schroederus, ut supra commemoravimus, huius generis „insolentiores verborum copulationes" composuit ita tamen, ut haud paucas omitteret dignas, quae afferantur. Sed iam ipsi videamus.

De fluctibus marinis Aeschylus dicit Cho. 586 c πόντιαι ἀγκάλαι et fr. inc. 462 κυμάτων ἐν ἀγκάλαις. Imitatur hoc Euripides, non modo de undis verba faciens Hel. 1062 d πελαγίας ἐς ἀγκάλας ib. 1436 πελαγίους ἐς ἀγκάλας Or. 1378 c πόντον, Ὠκεανὸς ὃν Ταυρόκρανος ἀγκάλαις ἑλίσ-σων κυκλοῖ χθόνα[2]), sed etiam semel,

1) Hoc exemplum ex Hipp. desumptum admodum dubitanter affero; vvdd. enim in universum malunt cum Wakefieldio ἁλίκτυπος, quod cum πορθμίς coniungendum est.

2) Cf. Schroeder l. l. p. 48.

ubi de aethere sermo est fr. inc. 941, 2 d *αἰθέρα γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις*. Apud Sophoclem vox *ἀγκάλη* ne proprie quidem usurpata invenitur.

Remex appellatur ab Aeschylo Pers. 378 d *κώπης ἄναξ*. Euripides Aeschylum secutus dicit Tel. fr. 705 *κώπης ἀνάσσων* et Cycl. 86 d *κώπης ἄνακτας*. Idem fere est, quod legitur Eur. J. A. 1260 d *χαλκέων ὅπλων ἄνακτες* [1].

Quas inter verborum copulationes Schroederus etiam illud *πόλεμον αἴρεσθαι* numerat, quod Euripidem Alex. fr. 50, 2 d (*πόλεμον αἴρονται μέγαν*) ab Aeschylo (cf. Suppl. 341 d *πόλεμον ἄρασθαι νέον*, ib. 950 d *πόλεμον αἴρεσθαι νέον*) mutuatum esse censet. Quod si recte sibi persuasit, miror cur non eodem rettulerit *συναίρεσθαι Κύπριν* Aesch. Prom. 650 d. *νεῖκος ἠράμην* Eur. Heraclid. 986 d. *νεῖκος αἴρεσθαι* inc. fr. 1050, 2 d. *δυσμένειαν ἠράμην* Heraclid. 991 d. *Κοινοὺς αἰρόμενος πόνους* Ion. 199 c. Sed putaverim haud ita insolentem esse hanc locutionem, ut vd. ille ratus est. Legitur enim Thuc. III 39. IV 60. VI 9. Xen. Mem. IV 4, 14. Cyrup. I 6, 45.

„Ex vulgari eloquio in tragoediam introduxisse" [2]) videtur Aeschylus formulam illam *σὸν ἔργον* Prom. 635 d, quae apud Euripidem tritissima est (cf. El. 668. J. T. 1079. Hel. 830, 1288. Phoen. 444. Bacch. 849). Quod Sophocles quoque eam adhibet idque in posterioris aetatis fabula Phil. 15, Schroederus suo iure auctoritati tribuit, quam Euripidea ars in Sophoclem exercuisse dicitur [3]).

ἐρέσσειν et Aeschylus et Euripides metaphorice dicunt de motu alarum (cf. Ag. 52 an *πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι*. — Eur. J. T. 289 d *πτεροῖς ἐρέσσει*. Ion. 161 an *ἄλλος ἐρέσσει, κύκνος*) et pedum brachiorumve (cf. Aesch. Sept. 855 *ἐρέσσετ' ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν πίτυλον*. Pers. 1046 *ἔρεσσ' ἔρεσσε*. — Eur. J. A. 138 an *ἴθι ἐρέσσων πόδα*) [4]).

διώκειν verbo Aeschylus vim movendi subicit (cf. Pers. 84 c *Σύριον ἅρμα*, Sept. 371 c *πομπίμους χνόας ποδοῖν*, Eum. 403 d *πόδα*), quem usum apud Sophoclem deprehendere non potui.

1) Vituperatur haec locutio Aristot. Rhet. 3, 2 p. 1405 a 29 *ὅτι μεῖζον τὸ ἀνάσσειν ἢ κατ' ἀξίαν*. Sophocles quoque hanc dicendi rationem assumpsit, cum ostiarium dixit *πύλης ἄνακτα* fr. 707 (*πύλης ἄναξ θυρωρέ*).

2) Sic Schroederus l. l. p. 52 („occurrit enim saepissime apud Platonem et Aristophanem").

3) De iteratis p. 52.

4) Sophocles tamen solus ni fallor dixit *ἀπειλὰς ἐρέσσειν* Ai. 251 c.

Euripides vero etiam hac in re Aeschylum secutus est (cf. Or. 1344 d διώκω τὸν ἐμὸν εἰς δόμους πόδα. Ion. 205 c παντᾷ τοι βλέφαρον διώκω).

κτίζειν ab Aeschylo saepissime cum duobus nominibus coniunctum haud aliter adhibetur atque scriptores prosaici usurpant ποιεῖν τινά τι i. e. facere, reddere alqm. alqd. (cf. Pers. 289 c πολλὰς Περσίδων — ἔκτισαν εὔνιδας ἠδ' ἀνάνδρους. Suppl. 140 c ... τελευτὰς πρευμενεῖς κτίσειεν. Cho. 1060 d ἐλεύθερόν σε τῶνδε πημάτων κτίσει. Eum. 17 d τέχνης δέ νιν Ζεὺς ἔνθεον κτίσας φρένα. ib. 714 d χρησμοὺς ... ἀκαρπώτους κτίσαι). Quem usum scholiasta cum ἰδίωμα Αἰσχύλου esse autumat, errat. Euripides enim eadem ratione bis hoc verbo usus est (cf. Suppl. 620 c ποτανὰν εἴ μέ τις θεῶν κτίσαι. ib. 788 c ἄγαμόν μ' .... ὤφελ' ἁμέρας πατὴρ κτίσαι) [1]).

θριγκοῦν Aeschylus metaphorice semel usurpat de fastigio malis rebus imponendo Ag. 1283 d ἄτας τάσδε θριγκώσων φίλοις. Quod imitatus est Euripides cum dixit Herc. 1280 d παιδοκτονήσας δῶμα θριγκῶσαι κακοῖς et Tro. 489 d τὸ λοίσθιον δὲ, θριγκὸς ἀθλίων κακῶν.

κυροῦν saepius usurpavit Aeschylus idque sic, ut significaret „nuntium ratum facere“ (Pers. 227 d) aut „rem ambiguam discernere“ (Suppl. 603 d ἔνισπε δ' ἡμῖν ποῖ κεκύρωται τέλος. Cho. 874 d μάχης γάρ δὴ κεκύρωται τέλος). Praeter Aeschylum nemo, ni fallor, tragicus adhibuit, nisi Euripides idque uno loco (El. 1069 d θυγατρὸς πρὶν κεκυρῶσθαι σφαγάς), ubi cum altera illa vi, quae apud Aeschylum huic verbo inest, similitudinem quandam habere videtur.

Fortasse hic licet inserere illud ψῆφον κραίνειν, quam formulam ab Aeschylo (cf. Suppl. 943 d ψῆφος κέκρανται. ib. 965 d ψῆφος κραίνεται) sine dubio mutuatus est Euripides (Andr. 1272 d ψῆφος κέκρανται. Hec. 219 d ψῆφον τὴν κρανθεῖσαν. Tro. 785 an ψῆφος ἐκράνθη).

Haud scio an huc spectet πνεῦμα ἀποῤῥηγνύναι, quod legitur Pers. 507 d (.... ὅστις τάχιστα πνεῦμ' ἀπέρρηξεν βίου) et Eur. Or. 864 d (ἡ διὰ σιδήρου πνεῦμ' ἀπορρῆξαί με δεῖ) et Tro. 765 d (.. πνεῦμ' ἀπορρήξεις σέθεν).

συνάπτειν μηχανήν praeter Aesch. Ag. 1609 d (πᾶσαν συνάψας μηχανὴν δυσβουλίας) et Eur. Hel. 1034 d (κοινὴν συνάπτειν μηχανὴν σωτηρίας) nusquam legi.

1) Wecklein, Aeschylos Orestie p. 253 ad Eum. v. 17.

E medicorum dictione videtur Aeschylus transsumpsisse *ἄκος ἐντέμνειν* (cf. Ag. 17 d *ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον*[1]) *ἐντέμνων ἄκος*) et *ἄκος τομαῖον* (cf. Suppl. 268 d. Cho. 539 d). Euripides eum secutus dixit Andr. 121 c *ἄκος τῶν δυσλύτων πόνων τέμνειν* et quod fere idem est, Alc. 971 c *φάρμακα πολυπόνοις ἀντιτεμὼν βροτοῖσιν*[2]).

φροίμιον dicitur ab Aeschylo de cuiuslibet rei exordio vel praeludio: „de saltationis exordio Ag. 31 *φροίμιον χορεύσομαι.* de orationis exordio Ag. 829 *θεοῖς μὲν ἐξέτεινα φροίμιον τόδε.*“ de praeludio furoris fatidici Ag. 1216 *ὑπ' αὖ με δεινὸς ὀρθομαντείας πόνος Στροβεῖ ταράσσων φροιμίοις.* „de somnio rei futurae praeludente Eum. 142 *ἰδώμεθ' εἴ τι τοῦδε φροιμίου ματᾷ.* de exordio malorum Suppl. 830 c *ὁρῶ τάδε φροίμια πόνων.* de maledictis decantatis Sept. 7 d *Ἐτεοκλέης ἂν εἷς πολὺς κατὰ πτόλιν Ὑμνοῖθ' ὑπ' ἀστῶν φροιμίοις πολυρρόθοις*“[3]). Eadem voce apud Euripidem utuntur personae, cum terrorem significare volunt tristi nuntii exordio iniectum: cf. Hipp. 568 d *σιγῶ· τὸ μέντοι φροίμιον κακὸν τόδε.* Hec. 182 c *φροίμιά μοι κακά.* Herc. 538 d *Ἄπολλον, οἵοις φροιμίοις ἄρχει λόγου.* Herc. 752 c *βοᾷ φόνου φροίμιον.* Ion. 753 d *τὸ φροίμιον λόγων οὐκ εὐτυχές.* Tro. 895 d *φροίμιον ἄξιον φόβου.* Tro. 712 d *ὥς μοι φροιμίων ἄρχει κακῶν.* Phoen. 1336 d *οὐκ εὐπροσώποις φροιμίοις ἄρχει λόγου.* Atque etiam plenior forma *προοίμιον* apud utrumque tragicum exstat item de prooemio orationis nuntiive intelligenda: cf. Aesch. Prom. 741 d *οὓς γὰρ νῦν ἀκήκοας λόγους Εἶναι δόκει σοὶ μηδέπω 'ν προοιμίοις.* Eur. Med. 663 d . . . *χαῖρε· τοῦδε γὰρ προοίμιον Κάλλιον οὐδεὶς οἶδε.* Herc. 1179 d *τί χρῆμά μ' οἰκτροῖς ἐκάλεσας προοιμίοις.* El. 1060 d *ἀρχὴ δ' ἥδε μοι προοιμίου*[4]).

Verbum *φροιμιάζεσθαι* praeludendi vi usurpatum occurrit Aesch. Ag. 1354 (*φροιμιάζονται γὰρ ὡς Τυραννίδος σημεῖα πράσσοντες πόλει*). Aesch. Eum. 20 (*τούτους ἐν εὐχαῖς φροιμιάζομαι θεούς*) significat „primo loco invocare.“ Illam priorem huius verbi vim deprehendis Eur. J. T. 1162 d (*τί φροιμιάζει νεοχμόν*).

Quas locutiones „re vera poeticas“ apud Sophoclem deside-

1) Cf. Eur. Med. 1176 d *εἶτ' ἀντίμολπον ἧκεν ὀλολυγῆς μέγαν Κωκυτόν.*

2) Cf. Pind. Pyth. IV 221 *ἀντίτομα στερεᾶν ὀδυνᾶν.* Hymn. in Cer. 229 *οἶδα γὰρ ἀντίτομον μέγα φέρτερον οὐλοτόμοιο.*

3) Cf. Dind. lex. Aesch.

4) Mutavit Vitelli *εὐχὴ δ' ἥδε μοι προοίμιον.*

ramus: Euripidem vero eas ab Aeschylo mutuatum esse merito sibi persuasisse videtur Schroederus [1]).

κλίμακος προσαμβάσεις Aeschylus Sept. 466 d scalae gradus appellat. Hoc quoque Euripides sibi sumpsit (cf. J. T. 97 d. Phoen. 489 d. Bacch. 1213 d *κλιμάκων προσαμβάσεις*, Phoen. 1173 d *κλίμακος πρ.*).

Ingentium divitiarum receptaculum ab Aeschylo appellatur Pers. 250 *πλούτου λιμὴν* (*ὦ Περσὶς αἶα καὶ πολὺς πλούτου λιμήν*). Euripides non modo hanc formulam ab Aeschylo, ut videtur, fictam in suum usum vertit, sed expressit totum illius versum, cum Or. 1077 scripsit *καὶ δῶμα πατρὸς καὶ μέγας πλούτου λιμήν*.

φλογὸς μέγαν πώγωνα dixit Aeschylus Ag. 306 d „flammam, quae sparsim erumpens in conum acuitur". Eur. Phrix. fr. 836 scriptum legimus *πώγωνα πυρός*.

Aesch. Cho. 28 sq. c legitur in Mediceo: *λακίδες ἔφλαδον ὑπ' ἄλγεσιν πρόστερνοι στολμοὶ πέπλων κτλ.*

Mutavit Heimsoethius astipulante Dindorfio *προστέρνων στολμῶν* deleto tamquam glossemate illo *πέπλων*. Sed firmatur illud *στολμοὶ πέπλων* cum aliis argumentis tum eo, quod legimus Eur. Alc. 216 c *μέλανα στολμὸν πέπλων* et Andr. 148 d *στολμόν ... ποικίλων πέπλων* [2]).

θεοὶ γενέται Suppl. 77 c Aeschylus poetice dixit pro *θ. γενέθλιοι*. Aeschylum haud scio an secutus sit Euripides, cum scripsit *θύσας γενέταις θεοῖσιν* Ion. 1130.

θανασίμους τύχας legitur Aesch. Ag. 1276 d, *θανάσιμος τύχα* sibi sumpsit Euripides Hipp. 840 c.

δεῦρ' ἀεὶ i. e. „usque adhuc" semel apud Aeschylum invenitur idque Eum. 596 (*καὶ δεῦρό γ' ἀεὶ τὴν τύχην οὐ μέμφομαι*). Saepissime autem Euripides hanc formulam posuit (cf. Med. 670 d. Ion. 56 d. Erechth. fr. 363. Phoen. 1209 d. Hel. 761 d. Or. 1663 d) [3]), nusquam, ni fallor, Sophocles.

οὐ μόλις legitur Aesch. Ag. 1082 c, ubi „funditus" significat (*ἀπώλεσας γὰρ οὐ μόλις τὸ δεύτερον*), et Eum. 864 d, ubi idem ac „statim" esse videtur (*θυραῖος ἔστω πόλεμος, οὐ μόλις παρών*). „Tertium huius formulae exemplum est apud Euripidem Hel. 334 c *θέλουσαν οὐ μόλις* (i. e. facile) *καλεῖς*" [4]).

1) l. l. p. 34. Ceterum velim videas ea quae Wilamowitzius ad Herculis v. 538 adnotavit (II² p. 126).

2) Cf. Wecklein, Orestie p. 166.

3) Cf. Herwerden. Ion. ed. p. 78.

4) Vide Dindorf. lex. Aesch.

His absolutis iam disputetur

B. De singulis Euripidis dramatis.

Quaerundum autem est, cuius quodque drama Euripideum Aeschyleae fabulae ad exemplar expressum quosnam Aeschyli in memoriam revocet locos.

Euripidem, cum ad fabulas accederet componendas, aspernatum esse Musam Aeschyleam, provectiore tamen aetate ad tragicae artis ducem redisse etiam in eligendis fabularum argumentis identidem monuerunt vvdd.[1]. Contra Sophocles initio quidem Aeschyleae addictus auctoritati[2] deinde magis magisque ab eo recessisse videtur, sic ut senescens interdum Euripidis recentioris aemuli vestigia premeret atque argumenta retractaret, quae ante eum attigerat Euripides. Aeschylo tamen uter eorum magis se applicuerit in singulis argumentis Sophocles an Euripides, id nunc non quaerimus. Immo videamus, quibus fabulis uterque eorum Aeschyleas tragoedias retractarit. Atque titulos quidem dramatum invenies cum Aeschylo totidem fere Euripidi atque Sophocli communes fuisse. Apud hunc enim recurrunt Athamas, Epigoni, Iphigenia, Memno, Mysi, Niobe, Oedipus, Palamedes, Hydrophori, Philoctetes, Phineus, quos iam Aeschylus adhibuerat titulos[3]: Euripides autem sibi sumpsit Bacchas, Heraclidas, Supplices, Ixionem, Iphigeniam, Cressas, Oedipodem, Palamedem, Sisyphum, Telephum[4], Hypsipylam, Philoctetam[5], ita tamen ut saepe eundem titulum Euripidea fabula exhibeat atque Aeschylea, neque vero in Aeschyleo versetur argumento, id quod Supplicum, Cressarum,

1) Velut Wilamowitzius Herm. vol. XXXII p. 390.

2) Aiacem sapere Aeschyleam artem Bergkius, Griech. Lit. III 388 rectissime monet.

3) Perperam tribui Sophocli quoque fabulam „Phryges" schol. Aesch. Prom. 436 et Stob. flor. 8, 5 docent Nauckius Aesch. fr. p. 50 Menagium et Wecklinus Aesch. fr. p. 662 Bergkium (Mus. Rhen. XXXV p. 254) secutus. Grammaticos Sophoclem cum Aeschylo confudisse, cum illi Ixionem assignarent Welckerus, Griech. Trag. p. 402 recte, ut videtur, suspicatus est. Eundem Welckerum per errorem et Aeschylo et Sophocli fabulas attribuisse, quas alteruter eorum composuit, vix debeo monere. Praeterea Sisyphum Sophoclis errori deberi Welckerus Trag. p. 402, neque aliter Orithyiam Sophocli perperam impertiri Wilamow. Herm. X p. 334 (not. 1) et G. Wolff. Philol. XXVIII p. 343 sq. eruerunt.

4) De Soph. Telepho fab. sat. cf. Nauck. p. 256 sq.

5) Dubiae sunt Alcmena Aeschyli (v. Nauck. fr. p. 6) et Mysi Euripidis (cf. An. Eur. p. 161).

Hypsipylae exemplis discimus. Ab altera autem parte saepius ab Euripide retractatas esse fabulas Aeschyleas mutatis tamen titulis Supplices ad Eleusiniorum exemplum expressa, Phoenissae quae Septem, Polyidus quae Cressas imitatur, aliae docent. Aiacis Teucrique, Epigonorum, Memnonis, Niobae, Semelae, Lemniarum res post Aeschylum Sophocles attigit: Euripides non item. Contra hic Bacchas, Supplices, Phoenissas, Phaethontem, Heraclidas, Ixionem, Dictyn ad Aeschyli exemplum composuit [1], quarum mythis tractandis Sophocles operam non impenderat. Ab omnibus autem fabulas compositas esse constat de Athamante et Inone, Iphigenia, Polyido, Oedipode, Palamede, Philocteta, Oreste Electraque.

Quae si perlustramus, nobis concedendum est vix plura argumenta cum Aeschylo communia fuisse Euripidi quam Sophocli.

At neminem praeteribit multa Aeschylea recurrere apud Euripidem etiam in talibus fabulis, quae non ad idem spectant argumentum atque Aeschyleum, quod exprimant, exemplar, sed in argumento valde simili versantur, id quod haud scio an optime intellegatur Lycurgeae Aeschyli exemplo, unde haud pauca in Euripidis Bacchas fluxisse nemo ignorat. Deinde vero saepius eas res, quibus tractandis Aeschylus tota expleverat dramata Euripides obiter tantum attigit, seu in prologo seu in epilogo eas enarrans, velut in una Electrae fabula fere totam Aeschyli Oresteam, in Phoenissis eiusdem Oedipodeam coegit. Apud Sophoclem vero, quippe qui tam actuosa dramata progignere solitus non sit, talia haud saepe observabis.

Atque in eo quoque similitudo quaedam inter Aeschylum et Euripidem intercedit, quod non raro sibi duos poetas sumpserunt exprimendos, quorum imitationi Sophocles, utpote qui et in formandis argumentis et in heroum moribus describendis praecipue Homeri vestigia legisse dicatur [2], haud ita indulsisse videtur, Stesichorum [3] dico et Phrynichum. Sed haec in universum prae-

1) Meleagrum Euripidis ab Atalanta Aeschyli alienissimam fuisse Ernestus Kuhnert censet in Roscheri lex. myth. II. p. 2596.

2) Edgar Zwirnmann „mit welchem Rechte wird Sophocles als einer der vorzüglichsten Schüler Homers bezeichnet?“ Eilenburg 1873 (Diss. Rostock.).

3) C. Robert, Bild und Lied, pp. 25 sq. 165, 175, 181, 184. Seeliger, Die Ueberlieferung der griech. Heldensage bei Stesichoros I. Meissen 1886. p. 3 „Umsomehr kann ich mit Mayer in der Ueberzeugung übereinstimmen, dass Stesichoros von den Tragikern, insbesondere von Eur., fleissig benutzt

monuisse satis habeo. Iam ad singula accedentes videamus, quantopere ab Aeschylo Euripides pendeat in singularum fabularum compositione. Rem autem ita instituemus, ut comparatis argumentis eos quoque locos conferamus, quibus similitudo quaedam cum Aeschyleis versibus inesse videatur, seu hi desumpti sunt e fabula eiusdem, quod expressit Euripides, argumenti, seu ad aliam spectant Aeschyli tragoediam [1]). Atque novi quidquam me prolaturum esse in hac singularum fabularum comparatione etsi paene desperare debeo, postquam viri tam multi tamque docti in singula inquirentes huic muneri operam navaverunt, tamen novam fore spero ipsam collectionem.

„Distingui in Euripidis et vita et poesi quatuor aetates 454—430. 430—416. 415—408. 407—406" Wilamowitzius Anal. Eur. p. 172 sqq. censuit. Qua ex distributione profectis nobis quaerendum est, num singulis aetatibus alia magis alia minus ad Aeschyli exemplum suas fabulas et elegerit et composuerit Euripides.

Atque idem ille vir doctissimus hanc inter Aeschylum et Euripidem intercedentem necessitudinem l. l. p. 177 tetigit, cum affirmavit Euripidem iuvenem „ad id incubuisse, ut novis et inauditis fabulis Athenienses delectaret" velut Phoenice, Stheneboea, Aeropa, Inone, Medea. Aliam vero rationem secutum esse statuit Euripidem senem: „Aemulatur" inquit „ceteros poetas inque eandem descendit aream, quamquam armis diversis. Fabulas Aeschyli potissimum gravitate sacratas non sine pusilli animi crimine capessit ad novae sapientiae amussim exigendas, quod nullo modo eis convenire nemo profecto melius callebat quam Bellerophontis et Medeae poeta." Unde iam profecti singulas Euripideae poeseos aetates perlustrantes inquiramus in illas inter Aeschylum et Euripidem necessitudines. E prima illa periodo ab anno 455 ad annum 430 pertinente, qua novitate argumentorum spectatorum animos commovebat Euripides, ne una quidem tulit aetatem ex eis fabulis, quarum argumentum iam ab Aeschylo tractatum esse constat. Fragmenta tamen omnium earum, quae hic in censum

worden ist. Unter Vorbehalt billige ich die Methode, die kümmerlichen Reste der stesichoreischen Poesie durch Ausnutzung des Aeschylos und Euripides zu ergänzen. Max Mayer, De Euripidis mythopoeia, capita duo. Berol. 1883. de Stesichori apud Euripidem vestigiis doctissime disseruit.

1) Praeter illos commentarios, quos Schroederus l. l. p. 3 affert, adhibui Abreschii, Stanleyi, Bloemfieldii de Aeschylo scriptos. E recentioribus amplissimam copiam mihi suppeditavit Wecklini editio Aeschyli commentario instructa.

veniunt, ad nos pervenerunt, sic ut non omni comparandi facultate destituti simus. Ac primum quidem verba facienda sunt de tribus tragoediis, quas ipsorum veterum testimoniis illa aetate scaenae commissas esse accepimus, de Telepho anni 438[i], deque Philocteta Dictyeque anni 431[i]. Tragicorum fabulas de **Telepho** compositas praeter Welckerum Pillingius illustravit[1]). Illum si sequimur, nobis putandum est cum Telepho in eadem didascalia Aeschylum coniunxisse Mysorum fabulam[2]), cuius argumentum ad lustrationem Telephi in Mysiam advenientis pertinens a Sophocle quoque tractatum esse Mysis (de Telepho Soph. cf. Nauck. tr. fr. p. 256 sq.) satis verisimile videtur[3]). Telephum et Aeschyli et Euripidis ad herois vulnerati sanationem Achillis hasta effectam spectasse inter omnes constat. Ambigunt autem vvdd. quomodo duo poetae Telephum salutem petentem fecerint. Ad Aeschylum quod attinet, scholiasta ad Arist. Ach. 332 ὁ *Τήλεφος*, inquit, *κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών <παραπλήσιον δέ τι καὶ ἐν ταῖς Θεσμοφοριαζούσαις ἐποίησεν>*, quam ad scaenam non desunt qui referant Aesch. fr. 239

ἁπλῆ γὰρ οἶμος εἰς Ἅιδου φέρει

tamquam verba Telephi minitantis „se Orestem parvulum correptum continuo interfecturum esse, si salus sibi negetur"[4]). Scaenam huic satis similem locum habuisse etiam in Euripidis Telepho arbitrantur ii, qui Hygini fabulam 101[am] Ennianaeque tragoediae fragmenta adhibent ad illam restituendam: censent enim in Euripidea quoque fabula Telephum mendicum simulantem, cum Mycenas venisset Clytaemestrae propter immolatam Iphigeniam Agamemnoni irascenti aperuisse, quis esset, eaque auctore Orestem corripuisse tamquam obsidem. Sed redeundum est ad Acharnensium illud scholium, ubi difficultas quaedam sublitescere videtur haud facile tollenda. Aristophanem enim per totam Acharnensium et Thesmophoriazuson comoediam cum aliis Euripidis fabulis tum eius Telepho illudere nemo non videt. Iam non deerant, qui putarent per errorem in illo scholio Aeschyli nomen pro Euripide positum esse, quem cum aliis rebus tum vel hisce Acharnensium et Thesmophoriazuson scaenis ad suum ipsius exemplum expressis ab

1) „Quomodo Telephi fabulam et scriptores et artifices veteres tractaverint" Hal. 1886.

2) Sic Welckerus Griech. Trag. I p. 56 sq. Aliter senserat Tril. p. 562.

3) cf. Pilling l. c. p. 12 sqq. p. 15, 18, 24, 36 sqq.

4) Wecklein, Aesch. fab. fr. p. 589.

Aristophane carpi in propatulo esset. Velut Vogelius de Thesmophoriazuson illo loco disputans „Die That des Mnesilochos", inquit, „des Freundes und Schwagers des Euripides, erfüllt nur dann im eigentlichen Sinne ihren parodischen Zweck, wenn sich Mnesilochos bei der Verteidigung des Dichters und seiner selbst eines von jenem gebrauchten Mittels bedient" [1]. Ab altera parte exstiterunt, qui scholiastae errorem infitiati Euripideae tragoediae hanc scaenam abiudicarent, quibus tamen merito opponitur non fuisse, cur Aristophanes bis tam acerbe mortuum perstringeret Aeschylum. Mihi quidem videtur de conclamata illa scholiastae adnotatione optime sensisse Otto Jahn [2], cuius en audias ipsius verba: „Gewiss mit Unrecht", inquit, „schliesst Geel aus dieser Anmerkung, dass dieses nur bei Euripides vorgekommen sei. Mir scheint sie nur zu beweisen, das Aischylos in diesem Hauptpunkte mit Euripides übereinstimmte, während er in anderem von ihm abwich, dass also hier nicht, wie übrigens, Euripides allein parodiert werde, sondern τὰ μεγάλα πάθη τῆς τραγῳδίας. Ebensowenig ist also mit Vater (über Sophocles Aleaden. p. 19) anzunehmen, dass Aischylos und Euripides verwechselt seien" [3]. Quaenam aliae praeter hanc necessitudinem inter amborum poetarum fabulas exstiterint, indagari nequit prae paucitate fragmentorum, etsi Jahnio concedamus Attii Telephum ad Aeschyli exemplum esse compositam [4]. Immo audacioris esse putaverim conicere iam in Aeschylea fabula partes suas egisse Clytaemestram, quam haud scio an Euripides demum induxerit. Quin etiam non deerat, qui vel Euripideae tragoediae abiudicavit Clytaemestram: Wecklinus. Hic enim in relat. acad. Monach. anni 1878 I vol. II p. 198 sqq. cum de duabus aliis Euripidis tragoediis docte disserens tum vel de eiusdem Telepho (cf. p. 201 sqq.) omnino contraria protulit eis, quae modo Jahnium Pillingiumque secuti exposuimus: agnoscebat enim in Euripidea fabula reprehensionem Aeschyleae illius nobilissimae scaenae; ac primum quidem apud Euripidem quoque Telephum in animo habuisse putat correpto Oresta salutem petere, deinde

1) Szenen euripideischer Dramen in griechischen Vasengemälden" p. 93.

2) Telephus und Troilus p. 36 sq. not. 38.

3) Idem senserunt Woldemar Ribbeck ad Arist. Ach. 332 et Otto Ribbeck, Die röm. Tragödie im Zeitalter der Republik, p. 105 et 110. Carl Robert, Bild und Lied p. 146 sqq., etsi cum Wilamowitzio illud scholium interpolatum esse censet, tamen et Aeschylo et Euripidi conclamatam illam scaenam tribuit.

4) l. l. p. 37 sq.

autem hoc consilio abiecto exclamasse „*ἀπέπτυσ᾽ ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον τέκος*“ (Tel. fr. 727). En audias ipsum: „Wir kennen“, inquit p. 205, „die Weise des Euripides einen Seitenblick auf seine Vorgänger zu werfen und eine Sentenz zu kritisieren oder die schwache und gewöhnliche Motivierung zu rügen; . . . der Dichter lässt offenbar den Telephus Mittel zu seiner Rettung aussinnen und überlegen, ob und wie er sich des Sohnes des Agamemnon bemächtigen solle . . . . da dergleichen Mittel als wenig geeignet erscheinen, wird mit *ἀπέπτυσ᾽ κτλ.* der ganze Plan verworfen.“ Praeterea fr. 699

ἄνασσα πράγους τοῦδε καὶ βουλεύματος

quibus verbis Clytaemestram a Telepho appellari putant ceteri vvdd., ex herois monologo desumptum esse censet tamquam cum sua ipsius anima colloquentis. Quae licet non sine magno acumine excogitata sint a viro docto, tamen non intellego, quo iure haec proferat Wecklinus p. 204: „Wer sieht nicht, dass eben an die Stelle der Wegnahme des Orestes bei Euripides die Bettlerkleidung[1] getreten ist?“

Equidem non video. Aeschylus quidem Telephum regio ornatu indutum produxerat atque sic eum fecerat Orestem corripientem. Eius igitur Telephus Graecis quamvis perosus, quamquam talem prae se ferebat habitum, videbatur tutus a periculis inde a Mysis ad Agamemnonis urbem domumque penetrasse. Hoc Euripidi, quanta erat providentia, haud credibile visum. Fingit igitur Telephum mendicum simulasse ideoque tutum a periculis insidiisque Graeciam permigrasse.

Ad **Philoctetam** quod attinet, iam Dio Chrysostomus Prusensis or. 52[a] nonnulla indicavit et Aeschyleae et Euripideae communia. Idem iam observasse videtur Euripidem maxime operam dedisse non tam ut exprimeret, quam ut emendaret Aeschylum; haec enim apud Dionem l. l. §§ 6 sqq. leguntur: *ὁ χορὸς αὐτῷ* (Aeschylum dicit) *παραιτήσεως, ὥσπερ ὁ τοῦ Εὐριπίδου, οὐδὲν ἐδεήθη. ἄμφω γὰρ ἐκ τῶν Λημνίων ἐποίησαν τὸν χορόν· ἀλλ᾽ ὁ μὲν Εὐριπίδης εὐθὺς ἀπολογούμενος πεποίηκε περὶ τῆς πρότερον ἀμελείας, ὅτι δὴ τοσούτων ἐτῶν οὔτε προσέλθοιεν πρὸς τὸν Φιλοκτήτην οὔτε βοηθήσειαν οὐδὲν αὐτῷ . . . . . ἥ τε τοῦ Εὐριπίδου σύνεσις καὶ περὶ*

1) Tzetzes in Ar. Nub. 922: *οἷον πτωχὸν Εὐριπίδης συσκευάζει τὸν Τήλεφον στρατηγὸν ὄντα Μυσίας μετὰ πηρίου ἐλθόντα προσαίτην εἰς τὴν Ἑλλάδα καὶ τῆς Ἀγαμέμνονος αὐλῆς μόλις πυλωρὸν γεγονότα* (cf. Nauck. fr. tr. p. 579).

πάντα ἐπιμέλεια, ὥστε μήτε ἀπίθανόν τι καὶ παρημελημένον ἐᾶσαι μήτε ἁπλῶς τοῖς πράγμασι χρῆσθαι, ἀλλὰ μετὰ πάσης ἐν τῷ εἰπεῖν δυνάμεως, ὥσπερ ἀντίστροφός ἐστι τῇ τοῦ Αἰσχύλου (ἁπλότητι), πολιτικωτάτη καὶ ῥητορικωτάτη οὖσα καὶ τοῖς ἐντυγχάνουσι πλείστην ὠφέλειαν παρασχεῖν δυναμένη κτλ. Aeschylum igitur ut corrigeret finxit Euripides Ulixem a Minerva esse commutatum [1]), fecit Lemniorum catervam excusantem, quod Philoctetae nondum adfuissent, induit ipsum heroa famosis illis pannis pellibusque, cum ille apud Aeschylum vestimento digniore quam veriore ornatus esset. Sed acta agerem, si post Wecklini luculentam de tribus Philoctetis disputationem [2]) amplius exsequerer, quantum recesserit Euripidea ars hac in fabula ab Aeschylea simplicitate. Immo satis habeo breviter gravissimas res enumerare earum, quae duobus tragicis et Aeschylo et Euripidi communes fuisse videantur. Wecklini coniecturam certe satis probabilem si recipimus, iam Aeschylus censendus est Ulixem longiore oratione *προλογίζοντα* induxisse; Lemnios catervam effecisse apud utrumque Dio l. l. tradidit. Ad exitum utriusque fabulae quod attinet, Nitzschius [3]) quidem sibi persuasit iam apud Aeschylum deum intervenisse nodi solvendi causa — id quod in Euripidis Philocteta factum esse satis verisimile videtur [4]) — Wecklinus tamen maluit sine dei interventu Ulixi contigisse ut Philoctetam, cum eius erga patriam amorem rursus excitasset, voluntarium secum abduceret. Qua in re si recte sensit vir doctissimus, statim cognosces, quemadmodum hoc momentum in suum verterit Euripides magisque excoluerit: fingit enim hic a Troianorum legatione Philoctetae Pergami regnum offerri ea conditione, ut Troum sequeretur partes, Philoctetam tamen longa oratione Ulixis commotum barbaris ne Graeciam proderet patriam monentis, Troum reicere conditionem. Dolendum est, quod non iam duorum poetarum conferre possumus illas scaenas, quibus Philocteta doloribus oppressus vulneri adeo indulget, ut arcus ab Hercule acceptus ei subripiatur — veri enim admodum simile est

1) Dio or. 52 § 13 *φησί τε (Ὀδυσσεὺς) ὑπὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἠλλοιῶσθαι, ὥστε ἐντυχόντα τῷ Φιλοκτήτῃ μὴ γνωσθῆναι ὑπ' αὐτοῦ.*

2) „Ueber die Stoffe und die Wirkung der griechischen Tragoedie.“ Festrede. München 1891.

3) Sagenpoesie der Griechen, p. 646.

4) Aliter tamen Ribbeckius „Philocteta des Accius“, Kiel 1872, p. 15.

utriusque poetae in fabula tale quid locum habuisse[1]) —: certe haud paucae similitudines non solum rerum sed etiam verborum erui possent, si haec accuratius comparandi copia esset facta: namque imitationem illam non modo ad dramatis oeconomiam, sed etiam ad dictionem pertinuisse notissimo illo Aesch. Phil. fr. 253 discimus:

Φαγέδαιν' ἀεί μου σάρκας ἐσθίει ποδός,

quem versum Euripides ad verbum fere expressit Aeschylum in eo exsuperans, quod pro tritiore illo *ἐσθίειν* substituit magis poeticam vocem *θοινᾶσθαι* idque sic:

φαγέδαιν' ἀεί μου σάρκα θοινᾶται ποδός[2]).

Cum Philocteta in eadem didascalia collocatam fuisse accepimus **Dictyn.** In hoc quoque argumento tractando Aeschylus praecesserat, quem Dictyulcis, Polydecta, Phorcidibus Danaae Perseique res attigisse vvdd. docent. Godofredus Hermann si quidem opusc. VIII p. 175 sqq. recte coniecit „δικτυουλκοὺς[3]) intelligendos esse piscatores Seriphios retia trahentes argumentumque fabulae pertinuisse ad Danaen arca Seriphum appulsam cum Perseo" (Weckl. Aesch. fab. fr. p. 496), haud absonum videtur putare easdem res in Euripideae Dictyis prologo fuisse enarratas. Ceterum haud scio an Euripidea fabula magis actuosa fuerit tota illa Aeschyli trilogia: docent enim vvdd. bipartitam fuisse Dictyn, sic ut altera dramatis parte ageretur de Danaa a Polydecta petita a Dictye defensa a Perseo liberata, altera autem de Acrisio Danaen domum reducturo[4]). Atque priorem illam partem quodam modo ad Aeschyli Polydectae exemplum esse expressam haud improbabile videtur. Verum enim vero Polydectae rebus tractandis Euripides adeo non acquievit, ut adiungeret, quae ad Acrisium spectarent. Aliud discrimen, quod inter Aeschyli aemulique fabulam intercessisse vide-

1) In Aeschyli Philocteta hoc factum esse haud scio an iure efficiatur fr. 254 et 255. De Euripidis dramate Wecklinus l. l. p. 13 probabile reddit („Da stellt sich ein Anfall der Krankheit ein und während Odysseus den Kranken pflegt, entwendet Diomedes den Bogen").

2) Eur. fr. 792. Videas velim ea, quae Schroederus „de iteratis etc." p. 120 sq. de hac imitatione disputavit. Deinde conferas quaeso Aesch. Cho. 767 *ὅπως; λέγ' αὖθις, ὡς μάθω σαφέστερον* cum Dion. Chrysost. or. 59, 7 his: *πόθεν; εἰπὲ πάλιν, ὡς εἰδῶ σαφέστερον*, quae verba in senarium redacta Philoctetae Euripidis reddidit Nauckius Trag. fr. p. 616 *πόθεν; λέγ' αὖθις, ἵνα μάθω σαφέστερον.*

3) Catalogus perperam *Δικτυουργοί*, quod correxit Hermannus l. l.

4) Wecklein, Sitzungsber. d. bayr. Akad. d. Wissensch. 1888. p. 117.

tur, ipsis titulis iam indicatur: Dictyis enim personam Euripides si non novam induxit, tamen eius partes magnopere auxit. Praeterea non dubito, quin ille Perseum ab expeditione in Medusam facta reducem res a se gestas fecerit enarrantem, praesertim cum facile haud pauca ex Aeschyli Phorcidibus, quam ad Perseum Gorgonesque spectasse constat, in suum usum convertere posset. Plura autem de similitudine, quam in hoc mytho tractando inter Aeschylum Euripidemque intercessisse putandum est, conicere audacioris esse crediderim.

Telephum, Philoctetam, Dictyn ante annum tricesimum saeculi quinti esse actas veterum constat testimoniis.

Quas praeter fabulas ex eis, quarum argumentum iam Aeschylus attigit, eidem periodo Wilamowitzius variis nixus indiciis attribuit et Phaethontem et Inonem.

Phaethonti etsi constat eundem subesse mythum atque Aeschyli Heliadibus, tamen vix aliam similitudinem erues e duabus fabulis atque ipsum Phaethontis interitum. Huius enim ad temeritatem spectasse Aeschyleam fabulam atque praecipue in luctu querelisque Heliadum, Phaethontis sororum, esse versatam iam Godofredus Hermann op. III p. 130 luculenter exposuit, quem tamen in nonnullis rebus emendavit Welckerus Allgem. Schulztg. 1828 Abt. II No. 30 sq. p. 233 sqq. Idem Welckerus statuit schol. ad Hom. Od. ϱ 208 (*Ἥλιος Ῥόδῃ μιχθεὶς τῇ Ἀσωποῦ παῖδας ἴσχει κτλ.*) similitudinem habere cum Heliadum fabula eamque haud fortuitam [1]). Euripidis Phaethonti praeter ceteros lucem attulerunt Wilamowitzius Herm. XVIII p. 396 sqq. et Wecklinus Sitzungsb. d. bayr. Ak. d. Wissensch. 1888 vol. I p. 118 sqq. Unde apparet diversissimam fuisse ab Aeschylea fabula Phaethontem Euripidis, qui quantum ab illa recesserit facere non posssum quin breviter exponam.

Bangertius, De fabula Phaethontea etc., p. 10 ex Hel. fr. 69

Ἔνθ' ἐπὶ δυσμαῖς ἴσον [2])
πατρὸς ἡφαιστοτευχὲς
δέπας, ἐν τῷ διαβάλλει κτλ.

1) Hoc negaverunt Hermannus l. l. p. 132 et Knaackius. Quaest. Phaethonteae (Philol. Unters. VIII) 1886. p. 19 not. 18. Contra Welckero astipulati sunt Bangertius, De fab. Phaethont. Halis Sax. 1885. p. 9 sq. et Stollius in Roscheri lex. myth. I. p. 1983 (sub fine enim illius scholii legitur: *ἡ δὲ ἱστορία παρὰ τοῖς τραγικοῖς*).

2) *δυσμαῖσι τεοῦ* conj. Hermannus.

quae verba Heliadum catervae attribuenda esse apparet, collato Stesichori fragmento 6 (ed. Hiller) *Ἀέλιος δ' Ὑπεριονίδας δέπας ἐσκατέβαινεν | χρύσεον ὄφρα δι' Ὠκεανοῖο περάσας | ἀφίκοιθ' ἱερᾶς ποτὶ βένθεα νυκτὸς ἐρεμνᾶς, | ποτὶ ματέρα κουριδίαν τ' ἄλοχον παῖδάς τε φίλους κτλ.*, cuius vestigia Aeschylus pressisse videtur, suo iure collegit „iusto matrimonio in fabula Aeschylea Solem cum matre Phaethontis et Heliadum coniunctum fuisse.“ Quod ab Euripide ita commutatum est, ut totum fabulae argumentum penderet a Solis cum Clymena adulterio, unde Phaethontem ortum esse nobis putandum est. Merops autem, legitimus Clymenae maritus, rex Aethiopum proxime a Sole habitantium, uxoris delicti ignarus Phaethonti nuptias nescio cuius deae parat. Is tamen ut mortalis cum dea matrimonium inire non vult. Clymena mater filium consolandi causa de genere edocet iubetque ipsum adire Solem, ex quo sciscitaretur. Videtur igitur apud Euripidem Phaethon Solem adisse et ab eo ut sibi solaris currus moderamen committeret petisse eo consilio, ut cognosceret, num re vera Solis stirpe divina oriundus et ipse esset deus. Aliam indicaverat causam Aeschylus, cur patrem adiret Phaethon, siquidem ad illius fabulam restituendam adhibere licet illud Odysseae scholium [1]), de quo iam supra diximus. Ibi enim leguntur haec: ... *παρεγένετο* (Phaethon) *ἐπὶ τὰς τοῦ πατρὸς ἀνατολάς. Γνωρισθεὶς δὲ οὕτως ἐδεῖτο τοῦ πατρὸς ἐπ' ὀλίγον αὐτῷ συγχωρῆσαι τὸ ἅρμα καὶ τοὺς ῥυτῆρας, ὅπως κατοπτεύσειε τὸν κόσμον.* De interitu Phaethontis duos inter se consentire poetas in propatulo est. Nimirum apud utrumque adolescens non valens ad moderandum patris currum iam omnia incensurus a Iove fulmine percutitur, sic ut ardens aetherio excidat vehiculo. Quae apud Euripidem hanc calamitatem sequuntur ab Aeschylo plane discrepant: nihil de mundi incendio [2]), nihil de Heliadum luctu [3]), quantum e fragmentis eisque haud exiguis colligere licet: immo abhinc omnia in rebus Clymenae versantur, cuius

1) Quod tamen satis dubium est, ut Schwartzium secutus exponit Knaack. l. l. p. 69.

2) Thesaurus tantum incenditur, cum huc abdiderit ardens Phaethontis corpus Clymena.

3) Wecklein l. l. p. 126 „Die Frage, ob im Auftrage des Gottes die Leiche des Phaethon an den Eridanos gebracht worden sei und die Sage von den Heliaden und ihren in Bernstein sich verwandelnden Thränen das Schicksal des Phaethon beschlossen habe, oder nach der Annahme von Luzac (Exerc. acad. p. 52) die Notiz des Plinius H. N. XXXVII 2, 31 sich nur auf Hipp. 730 sqq. beziehe, ist mit ziemlicher Sicherheit im Sinne Luzac's

stuprum post Phaethontis lapsum Meropem maritum diutius fallere nequit.

Iure igitur Welckerus trag. Graec. II p. 596 „Statt des Gewichtes“, inquit, „welches in der Darstellung des Aeschylus das reine Bild des Wunderbaren und die einfach grosse moralische Absicht hatte, bediente sich der spätere Dichter einer Verwickelung häuslicher Verhältnisse, um der Handlung einen Reiz anderer Art zu verleihen“. Non mirum igitur, quod Heliades, quas apud Aeschylum primarias egisse partes planum est, in Euripidea fabula omnino desunt, nisi quidem Wilamowitzii coniecturam secuti putamus ab Heliade Clymenam de filii interitu certiorem esse factam, sic ut vestigium Aeschyleae catervae etiam in Euripidis tragoedia exstaret[1]).

Euripidem in condenda fabula Phaethonte ad alia quoque Aeschyli dramata respexisse praeter Heliades elucet ex Phaeth. fr. 781, 11 sqq.

Ὦ καλλιφεγγὲς Ἥλι᾽, ὥς μ᾽ ἀπώλεσας
καὶ τόνδ᾽. Ἀπόλλων δ᾽ ἐν βροτοῖς ὀρθῶς καλῇ,

quem locum ad exemplum Cassandrae querelarum exclamantis Aesch. Ag. 1080 sqq. c: *Ἀπόλλων, Ἀπόλλων*
ἀγυιᾶτ᾽, ἀπόλλων ἐμός.
ἀπώλεσας γὰρ οὐ μόλις τὸ δεύτερον[2])

compositum esse, quis est, quin videat?

Idem quod in Phaethontis fabula observari licet. Euripidem sibi sumpsisse mythum ab Aeschylo tractatum, sed ita eum immutasse, vix ut simile quidquam remaneret, id ipsum valet in **Inus** quoque tragoediam, cui cum Athamante Aeschyli nil nisi dramatis exitum partemque personarum fuisse communia iam Welckerus monuit (Griech. Trag. II 617). Idem vir doctissimus etsi negat Apollodoro, cum III 4, 3 de Athamante et Inone furentibus referret, obversatum esse Aeschylum, tamen et ipse censet mythographum perbrevi illa narratione complexum esse totam Aeschyli trilogiam,

---

entschieden worden (cf. Berl. Philol. Wochenschr. 1885. p. 1324). Die Leiche des Phaethon kommt an den Eridanos, weil sie dort von dem Sonnenwagen abfällt. Wenn sie aber um der dramat. Oekonomie willen schon in Aethiopien herabfallen muss, so dürfte die Motivierung für das Verbringen derselben nach dem fernen Westen schwer zu finden sein usw.“

1) Wilamowitz H. XVIII p. 406.

2) Archilochus in hac etymologia praeivit tragicis fr. 20 (Hiller).

in qua Athamas collocata erat (cf. Tril. 337 et append. p. 127)[1]. Nam Aesch. Atham. fr. 1

τὸν μὲν τρίπους ἐδέξατ' οἰκεῖος λέβης
ἀεὶ φυλάσσων τὴν ὑπὲρ πυρὸς στάσιν

sine dubio de Inus furore intelligendum est, de qua Apollodorus, cum narraverit de Iunonis iracundia vaesaniam inicientis deque Athamante Learchum filium pro cervo necante, *Ἰνὼ δέ*, inquit. *τὸν Μελικέρτην εἰς πεπυρωμένον λέβητα ῥίψασα, εἶτα βαστάσασα, μετὰ νεκροῦ τοῦ παιδὸς ἥλατο κατὰ βυθῶν· καὶ Λευκοθέα μὲν αὐτὴ καλεῖται, Παλαίμων δὲ ὁ παῖς κτλ.* Euripideae vero Inus argumentum, quod Hyginus fab. IV. nominatim affert, fere totum spectasse videtur ad Themistus insidias Inus filiis instructas et a matre eorum irritas factas.

Quae etsi alienissima esse videntur ab Aeschyli Athamante, tamen sub fine fabulae Euripidem facere non potuisse, quin ad Aeschyleam mythi formam rediret, Hygini verba docent, qui l. l. „Athamas autem“ inquit, „in venatione per insaniam Learchum maiorem filium suum interfecit, Ino autem cum minore filio Melicerte in mare se deiecit et dea est facta.“

Sic ut in Philocteta, etiam in Inone recurrit versus ad Aeschyli exemplum compositus idque ad verbum „absque paucis syllabis“[2]), cf. Aesch. Prom. ignif. fr. 208 *σιγῶν θ' ὅπου δεῖ καὶ λέγων τὰ καίρια*[3])
Eur. Inus fr. 413, 2 *σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ καὶ λέγειν ἵν' ἀσφαλές.*

Atque haec quidem de eis huius aetatis fabulis, quarum argumentum iam Aeschylus tractaverat. Iam videamus de ceteris primae periodi dramatis ac primum quidem de **Alcestide**[4]).

Alc. v. 11 sqq. legimus Apollinem a Parcis dolo impetrasse, ut Admeti loco alius quis mortem subiret. Hunc mythum Aeschylus

---

1) De falso titulo *Δικτυουργῶν*, quam fabulam Welckerus ad hanc trilogiam spectare putabat, vide Hermann. opusc. VIII p. 175 sqq. — *Θεωροὺς ἢ Ἰσθμιαστὰς* a Welckero eidem tragoediarum ternioni assignatam, utpote quae exhiberet Melicertae vel potius Palaemonis apotheosin salutemque Inus a Nereidibus servatae (cf. Tril. p. 339), Friebelius Gr. satyr. fr. p. 131 drama satyricum fuisse coniecit *Ἄθλοις* Achaei (cf. Friebel p. 57) haud dissimile.

2) Gellius, Noct. Att. 13, 19, 4.

3) Cf. Aesch. Sept. 619 *φιλεῖ δὲ σιγᾶν ἢ λέγειν τὰ καίρια* et Cho. 582 *σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ καὶ λέγειν τὰ καίρια.*

4) Iam Phrynichus composuit Alcestidem. Cf. Nauck. trag. fr. p. 720. Wilamowitz, Her. I¹ 91 sq.

quoque respexit. In Eumenidibus enim Furias facit Apollini Orestem sibi erepturo illam rem crimini vertentes

Eum. 723 sq.: *τοιαῦτ' ἔδρασας καὶ Φέρητος ἐν δόμοις·*
Μοίρας ἔπεισας ἀφθίτους θεῖναι βροτούς.
ib. 727 sq. *Σύ τοι παλαιὰς διανομὰς καταφθίσας*
οἴνῳ παρηπάτησας ἀρχαίας θεάς.

Haud aliter in Euripidea fabula Orcus metuens, ne Phoebus sibi ut olim Admetum sic nunc Alcestidem eripiat

Alc. 32 sq. *οὐκ ἤρκεσέ σοι,* inquit, *μόρον Ἀδμήτου*
διακωλῦσαι, Μοίρας δολίῳ
σφήλαντι τέχνῃ;

In eadem illa Eumenidum fabula Apollo Orestis causam dicens nimis argute

Eum. 658 sqq.: *οὐκ ἔστι μήτηρ ἡ κεκλημένου τέκνου*
τοκεύς, τροφὸς δὲ κύματος νεοσπόρου·
τίκτει δ' ὁ θρῴσκων κτλ.

Quo ex loco Euripidem profecisse, cum Admetum parentes aversantem faceret

Alc. 636 sqq.: *οὐκ ἦσθ' ἄρ' ὀρθῶς τοῦδε σώματος πατὴρ*
οὐδ' ἡ τεκεῖν φάσκουσα καὶ κεκλημένη
μήτηρ μ' ἔτικτε, Abreschius censet.

Cupiunt Furiae Eum. 264 sq.
. . . . *ἀπὸ ζῶντος ῥοφεῖν*
ἐρυθρὸν ἐκ μελέων πέλανον.

Eur. Alc. 851 Hercules dicit se oppressurum esse Orcum, si venisset *πρὸς αἱματηρὸν πέλανον*[1]).

Neque desunt Agamemnonis et Choephoron vestigia impressa: cf. Aesch. Ag. 1660 *δαίμονος χολῇ*[2]) *βαρείᾳ δυστυχῶς πεπληγμένοι.*
Eur. Alc. 404 sq. *ὥστ' ἐγὼ Καὶ σφὼ βαρείᾳ συμφορᾷ πεπλήγμεθα.*
ib. 856 *καίπερ βαρείᾳ συμφορᾷ πεπληγμένος.*
Aesch. Ag. 982 sq. *θάρσος εὐπειθὲς ἵζει φρενὸς φίλον θρόνον.*
Eur. Alc. 604 *πρὸς δ' ἐμᾷ ψυχᾷ θάρσος ἧσται κτλ.*
Aesch. Ag. 23 sq. ⟨*λαμπτὴρ . . πιφαύσκων . .*⟩ *χορῶν κατάστασιν.*
Eur. Alc. 1155 *χοροὺς ἐπ' ἐσθλαῖς συμφοραῖσιν ἱστάναι.*

---

1) Similiter Pers. 816 *πέλανος αἱματοσφαγὴς* de cruore spisso dicitur.
2) Ni cum Wecklino librorum *χηλῆ* (*χηλῇ*) restituendum est!

Non dubito quin

Aesch. Cho. 355 sqq. φίλος φίλοισι τοῖς ἐκεῖ καλῶς θανοῦσιν, κατὰ χθονὸς ἐμπρέπων
σεμνότιμος ἀνάκτωρ,
πρόπολός τε τῶν μεγίστων
χθονίων ἐκεῖ τυράννων

Euripidi obversati sint, scribenti

Alc. 744 sqq. .... εἰ δέ τι κἀκεῖ
πλέον ἔστ' ἀγαθοῖς, τούτων μετέχουσ'
Ἅιδου νύμφῃ παρεδρεύοις.

cf. Aesch. Cho. 8 sq. οὐ γὰρ παρὼν ᾤμωξα σόν, πάτερ, μόρον
οὐδ' ἐξέτεινα χεῖρ' ἐπ' ἐκφορᾷ νεκροῦ.

Eur. Alc. 767 ἣ δ' ἐκ δόμων βέβηκεν, οὐδ' ἐφεσπόμην
οὐδ' ἐξέτεινα χεῖρ', ἀποιμώζων ἐμὴν
δέσποιναν[1]).

Deinde nonnullae rariores et metaphorae et locutiones nobis occurrunt, quae Aeschyli Prometheum in memoriam nobis revocant:

cf. Aesch. Prom. 886 στυγνῆς πρὸς κύμασιν ἄτης.

Eur. Alc. 91 sq. εἰ γὰρ μετακύμιος ἄτας,
ὦ Παιάν, φανείης.

Aesch. Prom. 276 πρὸς ἄλλοτ' ἄλλον πημονὴ προσιζάνει.

Eur. Alc. 893 sq. συμφορὰ δ' ἑτέρους ἑτέρα Πιέζει κτλ.

Aesch. Prom. 747 τί δῆτ' ἐμοὶ ζῆν κέρδος κτλ.

Eur. Alc. 960 τί μοι ζῆν δῆτα κύδιον;

Aesch. Prom. 263 sqq. ἐλαφρὸν ὅστις πημάτων ἔξω πόδα
ἔχει παραινεῖν νουθετεῖν τε τὸν κακῶς
πράσσοντ'.

Eur. Alc. 1078 ῥᾷον παραινεῖν ἢ παθόντα καρτερεῖν.

Aesch. Prom. 635 σὸν ἔργον, Ἰοῖ, ταῖσδ' ὑπουργῆσαι χάριν.

Eur. Alc. 842 (δεῖ γάρ με σῶσαι ...)
Ἄλκηστιν, Ἀδμήτῳ θ' ὑπουργῆσαι χάριν[2])

---

1) Tales ad funus luctumque pertinentes locutiones Alcestidi cum Choephoris complures communes esse non mirum. Velut conferas quaeso Alc. 512 τί χρῆμα κουρᾷ τῇδε πενθίμῳ πρέπεις cum Cho. 226 κουρὰν — κηδείου τριχός. 12 στείχει — πρέπουσα. 17 στείχειν — πένθει λυγρῷ Πρέπουσαν.

2) Sophocles quoque hanc locutionem ab Aeschylo mutuatus est Colch. fr. 315.

Aesch. Prom. 1022 *δαφοινὸς αἰετὸς*
Eur. Alc. 580 sq. *λεόντων ἴλα δαφοινὸς ἴλα*[1]).

Aesch. Prom. 413 *μεγαλοστόνοισι σοῖς πή-*
μασι συγκάμνουσι θνατοί
ibid. 1058 *ἀλλ' οὖν ὑμεῖς γ' αἱ πημοσύναις*
συγκάμνουσαι ταῖς τοῦδε κτλ.
Eur. Alc. 614 *ἥκω κακοῖσι σοῖσι συγκάμνων, τέκνον*[2]).

Aesch. Philoct. fr. 255, 3 *ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ.*
de Alcestide mortua Eur. Alc. 937 *τῆς μὲν γὰρ οὐδὲν ἄλγος*
ἅψεταί ποτε.

Aesch. Pers. 825 *ὑπερφρονήσας τὸν παρόντα δαίμονα.*
Eur. Alc. 561 *πῶς οὖν ἔκρυπτες τὸν παρόντα δαίμονα;*

Aesch. Pers. 614 sq. *ἀκήρατόν τε μητρὸς ἀγρίας ἄπο*
ποτὸν παλαιᾶς ἀμπέλου γάνος τόδε.
Huius loci memor Euripides uvam appellat vini matrem
Alc. 757: *πίνει μελαίνης μητρὸς εὔζωρον μέθυ*[3]).

Multo magis quam Alcestidi vestigia Aeschyli impressa esse **Medeae** fortasse ex hac collectione elucet:

Aesch. Suppl. 470 sq. *ἄτης δ' ἄβυσσον πέλαγος οὐ μάλ' εὔπορον*
τόδ' ἐσβέβηκα, κοὐδαμοῦ λιμὴν κακῶν.
Eur. Med. 362 sq. *ὡς εἰς ἄπορόν σε κλύδωνα θεός,*
Μήδεια, κακῶν ἐπόρευσε[4]).

Aesch. Pers. 1073 c Dicuntur Persae *ἁβροβάται*[5]), delicate incedentes (cf. ib. 541 an *αἱ δ' ἁβρόγοοι Περσίδες*, 41 an *ἁβροδιαίτων Λυδῶν*, 135 c *ἁβροπενθεῖς* [sic Paleyus pro *ἀκροπ.*] *Περσίδες*).

1) *δαφοινός*, vox Homerica, praeter hos duos locos, apud tragicos non comparet.

2) *συγκάμνειν* hac consolandi vi usurpatum nusquam alibi, ni fallor, apud tragicos comparet.

3) Cum Stesichori fr. 5 (ed. Hiller p. 209), quod ad Herculem spectat valde bibentem:

σκύφιον δὲ λαβὼν δέπας ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον
πί' ἐπισχόμενος, τό ῥά οἱ παρέθηκε Φόλος κεράσας.

externam quandam similitudinem habent Alc. 756 sq., ubi de eodem Hercule potante:

ποτῆρα δ' ἐν χείρεσσι κίσσινον λαβὼν
πίνει κτλ.

4) Huic tamen similitudini haud multum tribues, si consideraveris, quam saepe huius generis metaphorae apud tragicos recurrant.

5) Idem *ἁβροβάτης* vvdd. coniciunt sublitescere in obscuro illo *ἀβρατεὺς* Aesch. Ed. fr. 60.

Eur. Med. 830 c appellantur Athenienses *βαίνοντες ἁβρῶς*.
Med. 1164 idem recurrit de Creontis filia dictum:
ἁβρὸν βαίνουσα παλλεύκῳ ποδί.

Aesch. Pers. 65 sqq. c *πεπέρακεν ... εἰς ἀντίπορον γείτονα χώραν* (i. e. in Europam Asiae conterminam transque mare sitam).

Aesch. Suppl. 544 *διχῇ δ' ἀντίπορον γαῖαν ... διατέμνουσα.*

Eur. Med. 209 sqq. *ἅ νιν ἔβασεν*
Ἑλλάδ' ἐς ἀντίπορον.

Aesch. Pers. 574 sq. *τεῖνε δὲ δυσβάϋκτον*
βοᾶτιν τάλαιναν αὐδάν.

Eur. Med. 201 *τί μάτην τείνουσι βοήν.*

Aesch. Sept. 780 sq. *ἐπ' ἄλγει δυσφορῶν*
μαινομένᾳ κραδίᾳ
δίδυμα κάκ' ἐτέλεσεν·

Eur. Med. 431 sq. *σὺ δ' ἐκ μὲν οἴκων πατρίων ἔπλευσας Μαινομένᾳ κραδίᾳ*[1]).

Aesch. Sept. 723 *πατρὸς εὐκταίαν Ἐρινύν.*

Eur. Med. 169 an *Θέμιν εὐκταίαν.*

Aesch. Sept. 62 sq. *σὺ δ' ὥστε ναὸς κεδνὸς οἰακοστρόφος*
φάρξαι πόλισμα.

Eur. Med. 522 sqq. *δεῖ μ', ὡς ἔοικε, μὴ κακὸν φῦναι λέγειν,*
ἀλλ' ὥστε ναὸς κεδνὸν οἰακοστρόφον
ἄκροισι λαίφους κρασπέδοις ὑπεκδραμεῖν κτλ.

Aesch. Prom. 747 sqq. *τί δῆτ' ἐμοὶ ζῆν κέρδος, ἀλλ' οὐκ ἐν τάχει*
ἔρριψ' ἐμαυτὴν τῆσδ' ἀπὸ στύφλου πέτρας,
ὅπως πέδοι σκήψασα τῶν πάντων πόνων
ἀπηλλάγην; κρεῖσσον γὰρ εἰσάπαξ θανεῖν
ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.

Quibus Ius querelis haud dissimiles sunt, quas Medea profert et ipsa taedio quodam vitae affecta:

Eur. Med. 144 sqq. *διά μου κεφαλᾶς φλὸξ οὐρανία*
βαίη· τί δέ μοι ζῆν ἔτι κέρδος;
φεῦ φεῦ· θανάτῳ καταλυσαίμαν
βιοτὰν στυγερὰν προλιποῦσα.

Aesch. Prom. 511 sq. *οὐ ταῦτα ταύτῃ Μοῖρά πω τελεσφόρος*
κρᾶναι πέπρωται.

Eur. Med. 365 *ἀλλ' οὔτι ταύτῃ ταῦτα, μὴ δοκεῖτέ πω.*

1) Cf. Eur. Hipp. 1274 c *μαινομένᾳ κραδίᾳ.*

Aesch. Prom. 434 παγαί θ' ἁγνορύτων ποταμῶν στένουσιν ἄλγος οἰκτρόν.

Eur. Med. 410 ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί [1]).

Aesch. Ag. 1591 προθύμως μᾶλλον ἢ φίλως.

Eur. Med. 485 πρόθυμος μᾶλλον ἢ σοφωτέρα.

Clytaemestra de reduce marito

Ag. 896 sqq.: λέγοιμ' ἂν ἄνδρα τόνδε ....
.... γῆν φανεῖσαν ναυτίλοις παρ' ἐλπίδα
κάλλιστον ἦμαρ εἰσιδεῖν ἐκ χείματος κτλ.

Similiter Medea Aegeo conspecto

Med. 768 sq.: οὗτος γὰρ ἁνὴρ ᾗ μάλιστ' ἐκάμνομεν
λιμὴν πέφανται τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

Aesch. Ag. 357 sqq. ἥτ' ἐπὶ Τροίας πύργοις ἔβαλες
στεγανὸν δίκτυον, ὡς μήτε μέγαν
μήτ' οὖν νεαρῶν τιν' ὑπερτελέσαι
μέγα δουλείας
γάγγαμον ἄτης παναλώτου.

Eur. Med. 986 sqq. τοῖον εἰς ἕρκος πεσεῖται
καὶ μοῖραν θανάτου δύστανος· ἄταν δ
οὐχ ὑπερφεύξεται.

Aesch. Ag. 932 γνώμην μὲν ἴσθι μὴ διαφθεροῦντ' ἐμέ.

Eur. Med. 1055 χεῖρα δ' οὐ διαφθερῶ.

Clytaemestra affirmans non semet ipsam sed domus Atridarum alastorem caedem perfecisse Agamemnonis

Aesch. Ag. 1500 sqq.: φανταζόμενος δὲ γυναικὶ νεκροῦ
τοῦδ' ὁ παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ
Ἀτρέως χαλεποῦ θοινατῆρος
τόνδ' ἀπέτεισεν κτλ.

Haud secus caterva Corinthiarum mulierum de Medeae nomine tacens ipsius liberos necaturae, culpam attribuit Furiae cuidam regiae stirpis

Eur. Med. 1258 sqq.: ἀλλά νιν, ὦ φάος διογενές, κάτειρ-
γε κατάπαυσον, ἔξελ' οἴκων τάλαι-
ναν φονίαν τ' Ἐρινὺν ὑπ' ἀλαστόρων [2]).

1) Cf. Aesch. fr. 335 ἄνω ποταμῶν· παροιμία ἐπὶ τῶν ἐπ' ἐναντία γινομένων· κέχρηνται καὶ Αἰσχύλος καὶ Εὐριπίδης (Hesych. I p. 219).

2) Weilius ad Med. l. c.: „C'est ainsi que Clyt. prétend Ag. 1500 sqq. que ce n'est pas elle, mais l'Alastor, qui tua Agamemnon."

Aesch. Ag. 53 sq. δεμνιοτήρη
πόνον ὀρταλίχων ὀλέσαντες κτλ.
Eur. Med. 1261 μάταν μόχθος ἔρρει τέκνων.
Aesch. Ag. 916 μακρὰν γὰρ ἐξέτεινας.
ibid. 1296 μακρὰν ἔτεινας.
Eur. Med. 1351 μακρὰν ἂν ἐξέτεινα κτλ.

Cassandra haesitans quomodo appellet Clytaemestram mariti caedem parantem

Aesch. Ag. 1232 sqq.: ....τί νιν καλοῦσα δυσφιλὲς δάκος
τύχοιμ' ἄν; ἀμφίσβαιναν, ἢ Σκύλλαν τινὰ
οἰκοῦσαν ἐν πέτραισι ναυτίλων βλάβην,
θύουσαν Ἅιδου μητέρ' ἄσπονδόν τ' Ἄρη
φίλοις πνέουσαν;

Qui locus haud scio an obversatus sit Euripidi, cum faceret Iasonem Medeae scelus sic abominantem

Eur. Med. 1339 sqq.: οὐκ ἔστιν ἥτις τοῦτ' ἂν Ἑλληνὶς γυνὴ
ἔτλη ποθ', ὧν γε πρόσθεν ἠξίουν ἐγὼ
γῆμαί σε, κῆδος ἐχθρὸν ὀλέθριόν τ' ἐμοί,
λέαιναν, οὐ γυναῖκα, τῆς Τυρσηνίδος
Σκύλλης ἔχουσαν ἀγριωτέραν φύσιν [1]).

Aesch. Cho. 280 de ulcere latius altiusque serpente dicitur translate:

... ἀγρίαις γνάθοις
λειχῆνας ἐξέσθοντας ἀρχαίαν φύσιν,

quibuscum conferas Cho. 325 c πυρὸς μαλερὰ γνάθος.

Hoc in suum vertit Euripides de veneno verba faciens

Med. 1200 sqq.: σάρκες δ' ἀπ' ὀστέων ὥστε πεύκινον δάκρυ
γναθμοῖς ἀδήλοις φαρμάκων ἀπέρρεον.

Adhuc etiam in Medea cognovimus Euripidem tamquam Aeschyleae dictionis imitatorem, sed ne deest quidem locus, quo se praebet acerrimum Aeschyli vituperatorem. Hic enim satis contemptim de mulierum genere tamquam viris multo inferiore Apollinem et Minervam in Eumenidibus dicere iusserat [2]). Atque iam Choephori exhibent locum huc spectantem, nimirum

1) Haud dissimilia sunt ea quoque, quae Orestes Cho. 991 sqq. de matre profert.

2) Cf. Eum. 625 sqq. 658 sqq. 736 sqq.

vv. 919 sqq. ΟΡ. μὴ 'λεγχε τὸν πονοῦντ' ἔσω καθημένη.
ΚΛ. ἄλγος γυναιξὶν ἀνδρὸς εἴργεσθαι, τέκνον.
ΟΡ. τρέφει δέ γ' ἀνδρὸς μόχθος ἡμένας ἔσω.

Quas sententias non dubito, quin Euripides perstrinxerit, hosce scribens versus

Med. 248 sqq. λέγουσι δ' ἡμᾶς ὡς ἀκίνδυνον βίον
ζῶμεν κατ' οἴκους, οἱ δὲ μάρνανται δορί·
κακῶς φρονοῦντες· ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα
στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον ἢ τεκεῖν ἅπαξ.

Iam ad eam Euripideae artis aetatem accedamus, qua praesentem rerum publicarum statum respiciens fabulas progenuit, quibus quodammodo ageretur de re publica ipsorum Atheniensium. Ac primum quidem eorum dramatum, quae illis temporibus ad Aeschyli exemplum expressa esse videntur, **Heraclidarum** afferenda est fabula, quam inter annos 430 et 427 doctam esse Wilamowitzius An. Eur. p. 152 luculenter exposuit. Iam Aeschyli tragoediam eundem exhibuisse titulum supra monuimus. Qua de fabula certi quidquam sciri posse et Wilamowitzius[1]) et Pillingius[2]), quorum uterque in Heraclidarum mythum accuratissime inquisivit, negaverunt. Pillingius quidem sibi persuasit Apollodori (cf. II 8, 1) de Heraclidis narratiunculam ad Aeschyli illam fabulam esse referendam. Iolai vero Macariaeque ibi nullo verbo mentio fit. Wecklinus tamen Aesch. fab. fragm. p. 508 haesitans illa

οὐ γάρ τι μεῖζον ἄλλο τοῦδε πείσομαι[3])

utrum Iolao an Macariae tribuenda sint, sibi persuasisse videtur utrumque eorum iam in Aeschylea tragoedia prodisse. Iolaum in Aeschyli Heraclidis locum habuisse Wilamowitzius quoque arbitratur, cum commonet Aesch. fr. inc. 361, nimirum Plutarchi illa Comp. libri adv. Stoic. scr. p. 1057 F dicentis ὁ δὲ Στωικῶν σοφὸς . . . . γέγονεν ἐκ ῥυσοῦ καὶ ὠχροῦ καὶ κατ' Αἰσχύλον „ἐξ ὀσφυαλγοῦς κὠδυνοσπάδος λυγροῦ Γέροντος . . . ." εὐπρεπής, θεοειδής, καλλίμορφος[4]) aptius referri non posse quam ad Iolai renovationem, sic ut hic in Aeschyli quoque fabula pugnae interfuisse Eurystheumque superasse credendus sit.

1) Ind. schol. in Univers. Gryphiswald. per sem. aest. 1882 habend. p. XVI.
2) Pilling, Zur Heraklidensage, Naumb. a. S. 1890, p. 10.
3) Aesch. fab. fragm. 75.
4) Alii vero ad alium referunt: maxime tamen placent, quae Wilamowitzius proposuit.

Contra Macariae partes eiusque sacrificium idem vir doctissimus censet ab Euripide novata esse, negante Pillingio, qui ex eo, quod Euripides tamquam obiter illud sacrificium profert, colligit Euripidem, cum Aeschylus iam tale quid finxisset, illam scaenam amplius exsequi noluisse (l. l. p. 20). Quod Pillingi argumentum mihi non satis firmum videtur: immo eodem iure contrarium effici licet: si Aeschylus iam talem adhibuisset scaenam, Euripidem enixe operam daturum fuisse, ut illum arte exsuperaret; praeterquam quod vvdd. ambigunt, num integra ad nos pervenerit Heraclidarum fabula [1]). Deinde id genus novata minime ab Euripidis ingenio abhorrere Wilamowitzius probare conatus est, cum Menoecei in Phoenissis sacrificium ab ipso perpetratum contulit, quod item ab Euripide demum confictum esse satis verisimile videtur. Sed tamen res adeo in dubio versatur, vix ut accuratius erui possit, quantopere Euripidis Heraclidae ab Aeschylea dependeat, praesertim si huius fabulae reliquias perexiguas esse consideramus. Sed „unum", ut Wilamowitzi utar ipsius verbis, „sane ipse titulus docet, Aeschylum fuisse, qui Marathoniam fabulam ex ore vulgi susceperit, neque fieri potuisse, quin pro suae aetatis studiis beneficia Atheniensium et concordiam eorundem Spartanorumque celebraret, fere in eum modum, qui in oratione Atheniensium apud Herodotum est; ipsam veterem fabulam Aeschyleae quidem tragoediae idoneum praebere argumentum, atque quaecumque Euripides novaverit etiam magis esse luculenta, si ab Aeschylo sciens deflexerit; denique lugendum sane, sed ingenue fatendum est, hic idem accidisse, quod cum alias accidit, tum in fabula valde simili, quae est de septem ducum corporibus per Athenienses Eleusine sepultis: praestrinxit Euripidis ingeniosa novitas antiquam Aeschyli simplicitatem." Atque haec quidem de necessitudine, quae inter Euripidis Heraclidas cognominemque Aeschyli intercedit fabulam.

Iam videamus, num aliorum quoque Aeschyli dramatum vestigia nobis occurrant. Iam quod ad prologum Euripideae tragoediae attinet, neminem fugiet praeconem illum Iolao vim afferentem similes partes agere atque caduceatorem illum Supplicum Aeschyleae [2]).

1) Wilamow. An. Eur. p. 151 „post 629 ingenti hiatu deformatam habemus Heraclidas."

2) Iure Elmsleyus ad Eur. Heracl. v. 293 (p. 81) „Sed ovum" inquit, „ovo non est similior, quam hic noster Copreus, qui modo discessit, praeconi Aegyptio apud Aeschylum Supplicibus, nec facile dixeris, uter eorum insolentius atque arrogantius se gerat."

Quin etiam tota conditio Heraclidarum admodum similis esse videtur Danaidibus illis, quae fugientes Aegyptios ad arae praesidium se receperunt timore trementes, ne inde avellantur. Huius generis scaenas Euripidem adamasse Schlegelius rectissime monuit, cum dixit: „Ein Lieblingsgegenstand sind ferner für ihn die Schutzflehenden, welche den Zuschauer mit der Besorgnis ängstigen, sie möchten von der geheiligten Zuflucht des Altars gewaltsam weggerissen werden“ [1]). Quod igitur scaenas Heraclidarum prologo similes Supplices, Hercules, Andromacha, Dictys [2]) exhibent, fortasse hae omnes redeunt ad exemplar in Aeschyli Supplicibus propositum. Sed ad Heraclidas ut redeamus, iam Firnhaberus „Ueber Euripides Herakliden“ Philol. I p. 443 sqq. congessit haud pauca huic fabulae cum Aeschyli Supplicibus communia. Quin talem esse similitudinem duarum fabularum atque tot versus ad Aeschyli exemplum factos in Euripidis recurrere tragoedia vd. statuit, ut Euripidem in imitando Aeschylo iustum excessisse modum iure sibi videretur dicere. Ab altera autem parte deprehendimus Euripidem in castigando Aeschylo, modo consideremus Eur. Heracl. vv. 40 sqq.:

> ἐγὼ μὲν ἀμφὶ τοῖσδε καλχαίνων τέκνοις,
> ἡ δ' αὖ τὸ θῆλυ παιδὸς Ἀλκμήνη γένος
> ἔσωθε ναοῦ τοῦδ' ὑπηγκαλισμένη
> σῴζει· νέας γὰρ παρθένους αἰδούμεθα
> ὄχλῳ πελάζειν κἀπιβωμιοστατεῖν

quibus Danaides praeter decorum aram circumsedentes perstringi quis est quin videat?

Cum Danao, Danaidum στασιάρχῳ, haud inepte comparavit Firnhaberus Iolaum, a quo Heraclidarum στρατηγεῖται φυγή. Similitudinem duorum praeconum iam supra attigimus. In utraque fabula iam in eo est, ut vim inferat caduceator supplicibus, cum clamore adducti apud Aeschylum Pelasgus rex comitibus stipatus, apud Euripidem primum Atheniensium senum caterva, deinde Demophon rei publicae princeps interveniunt. Pelasgus Aegyptio crimini dat impietatem Aesch. Suppl. 921:

> θεοῖσιν εἰπὼν τοὺς θεοὺς οὐδὲν σέβῃ.

1) Vorlesungen über dramatische Kunst usw. I p. 261.

2) Cf. Welcker, Griech. Trag. II p. 672 sq.

Item Iolaus queritur impie se gerere caduceatorem[1])
Eur. Heracl. 78 sq. . . . ὅδ' ὦ ξένοι με σοὺς ἀτιμάζων θεοὺς
ἕλκει βιαίως κτλ.

Similibus verbis repetunt praecones fugitivos:

cf. Aesch. Suppl. v. 918 . . . τἄμ' ὀλωλόθ' εὑρίσκων ἄγω[2]).
Eur. Heracl. v. 100 οἵ σου κρατοῦντες εὑρίσκουσί σε.

Pelasgo se supplices proditurum esse neganti Aegyptius bellum minitatur: idem fit in Euripidis fabula, etsi similitudinem verborum non deprehendis:

cf. Aesch. Suppl. 934 sqq. οὔτοι δικάζει ταῦτα μαρτύρων ὕπο
Ἄρης· τὸ νεῖκος δ' οὐκ ἐν ἀργύρου λαβῇ
ἔλυσεν· ἀλλὰ πολλὰ γίγνεται πάρος
πεσήματ' ἀνδρῶν κἀπολακτισμοὶ βίων.

Eur. Heracl. 158 sqq. ἢν δ' εἰς λόγους τε καὶ τὰ τῶνδ' οἰκτίσματα
βλέψας πεπανθῇς, εἰς πάλην καθίσταται
δορὸς τὸ πρᾶγμα· μὴ γὰρ ὡς μεθήσομεν
δόξῃς ἀγῶνα τόνδ' ἄτερ χαλυβδικοῦ.

Postremo apud utrumque praeco nimiam insolentiam prae se ferens iubetur modestius se agere, ne vapulet:

cf. Aesch. Suppl. 925 κλάοις ἄν, εἰ ψαύσειας, οὐ μάλ' ἐς μακράν.
Eur. Heracl. 270 κλαίων ἄρ' ἄψει τῶνδε κοὐκ ἐς ἀμβολάς.

Quibus auditis minas iactans uterque praeconum discedit. In Euripidea fabula Argivorum caduceator Demophontem monet, senis infantiumque liberorum causa ne leviter bellum suscipere mallet, quam Eurysthei amicitiam sibi parere. Aeschylus Pelasgum supplicibus auxilium initio satis cunctanter promittentem eademque fere argumenta proferentem fecerat, quibus apud Euripidem praeco Demophontem deterrere conatur, quominus Heraclidarum causam defendat:

cf. Aesch. Suppl. 341 βαρέα σύ γ' εἶπας, πόλεμον ἄρασθαι νέον.
ib 399 sqq. . . . . . καί μή ποτε
εἴπῃ λεώς, εἴ πού τι μὴ τοῖον τύχοι,
„ἐπήλυδας τιμῶν ἀπώλεσας πόλιν."

---

1) Negat Iolaus Eurystheum sui potestatem habere Heracl. 187 sqq. πῶς ἂν δικαίως ὡς Μυκηναίους ἄγοι Ὧδ' ὄντας ἡμᾶς, οὓς ἀπήλασαν χθονός; Ξένοι γάρ ἐσμεν. Similem sententiam exhibere Pelasgi verba Aesch. Suppl. 390 sq. dicentis Δεῖ τοί σε φεύγειν, κατὰ νόμους τοὺς οἴκοθεν Ὡς οὐκ ἔχουσι κῦρος οὐδὲν ἀμφὶ σοῦ optime iam Stanleyus monuit.

2) Sic Porson pro τἀπολωλόθ' εὑρίσκων ἐγώ.

Eur. Heracl. 165 sqq. . . . . . ἢ κακὸν λόγον
κτήσῃ πρὸς ἀστῶν, εἰ γέροντος εἵνεκα
τύμβου τὸ μηδὲν ὄντος, ὡς εἰπεῖν ἔπος,
παίδων τε τῶνδ' εἰς ἄντλον ἐμβήσῃ πόδα.

Danaides, postquam earum princeps iam antea se Argivorum consanguineas esse exposuit, ut ex Inacho oriundas, orant obsecrantque Pelasgum, ut sibi auxilietur, cum penes eum sit summum imperium:

cf. Aesch. Suppl. 370 sqq. σύ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δήμιον,
πρύτανις ἄκριτος ὤν,
κρατύνεις κτλ.

Iolaus a simili sententia profectus affirmans

Eur. Heracl. 205 sqq.: σοὶ δ' ὡς ἀνάγκη τούσδε βούλομαι φράσαι
σῴζειν, ἐπείπερ τῆσδε προστατεῖς χθονός

edocet Demophontem de Thesei patris cum Hercule affinitate et amicitia, quapropter illum dedeceat Heraclidas in tanto discrimine deserere (cf. Heracl. 207 sqq.). Atque Demophon adnuit tribus, ut dicit, permotus, quorum τὸ μὲν μέγιστον Ζεύς, quo Pelasgus quoque deterretur, ne supplicibus auxilium deneget

Aesch. Suppl. 478 sq.: ὅμως δ' ἀνάγκη Ζηνὸς αἰδεῖσθαι κότον
ἱκτῆρος· ὕψιστος γὰρ ἐν βροτοῖς φόβος.

Praeco Argivorum cum infecta re abierit, Iolaus Herculis hortatur filios, ne unquam obliviscantur, quae beneficia ab Atheniensibus acceperint (Eur. Heracl. 307 sqq.). Haud aliter iam Danaus filias, ut semper Argivis optime de se meritis gratiam haberent, monuerat (cf. Aesch. Suppl. 980 sqq.). Pelasgus rex, priusquam certum det responsum, abit ut apud populum de advenarum precibus referat; discedens

Aesch. Suppl. 517 sq. ἐγὼ δὲ λαοὺς inquit συγκαλῶν ἐγχωρίους
πατῶ, τὸ κοινὸν ὡς ἂν εὐμενὲς τιθῶ.

Similiter Demophon Eur. Heracl. 335
κἀγὼ μὲν ἀστῶν σύλλογον ποιήσομαι.

Idem ex contione propter mala omina sollicito animo rediens

Eur. Heracl. 420 sqq. ταῦτ' οὖν ὅρα σὺ καὶ ξυνεξευρίσχ' ὅπως
αὐτοί τε σωθήσεσθε καὶ πέδον τόδε,
κἀγὼ πολίταις μὴ διαβληθήσομαι.
οὐ γὰρ τυραννίδ' ὥστε βαρβάρων ἔχω.

et infra 472 sq. . . . . . ὡς ἔγωγ' ἀ μ ή χ α ν ο ς
χρησμῶν ἀκούσας ε ἰ μ ὶ καὶ φ ό β ο υ πλέως.

Quibus verbis sententiisque similia in Supplicibus quoque Aeschyli invenies, si contuleris ea, quae Pelasgus haesitans utrum Danaidibus obsequatur necne, profert

Aesch. Suppl. 379 ἀμηχανῶ δὲ καὶ φόβος μ' ἔχει φρένας.
ib. 398 εἶπον δὲ καὶ πρίν, οὐκ ἄνευ δήμου τάδε
πράξαιμ' ἄν, οὐδέπερ κρατῶν κτλ.
ib. 410 sq. (δεῖ .... φροντίδος) ὅπως ἄνατα ταῦτα πρῶτα μὲν πόλει
αὐτοῖσί θ' ἡμῖν ἐκτελευτήσει καλῶς κτλ.

Deinde conferas velim

Aesch. Suppl. 82 sqq. c ἔστι δὲ κἀκ πολέμου τειρομένοις
βωμὸς ἀρῆς φυγάσιν
ῥῦμα, δαιμόνων σέβας
cum Eur. Heracl. 260 ἅπασι κοινὸν ῥῦμα δαιμόνων ἕδρα.
Aesch. Suppl. 802 τὸ γὰρ θανεῖν ἐλευθεροῖ τοι[1]) φιλαιάκτων κακῶν
cum abeuntis Macariae illis
Eur. Heracl. 595 sq. .... τὸ γὰρ θανεῖν
κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται[2]).
Aesch. Suppl. 952 sqq. ἀλλ' ἄρσενάς τοι τῆσδε γῆς οἰκήτορας
εὑρήσετ' κτλ.
Eur. Heracl. 957 ἀλλ' ηὗρες ἄνδρας καὶ πόλισμ' ἐλεύθερον.
Aesch. Suppl. 220 Ἑρμῆς ὅδ' ἄλλος τοῖσιν[3]) Ἑλλήνων νόμοις.
Eur. Heracl. 1010 .... τοῖσιν Ἑλλήνων νόμοις κτλ.

Quoniam igitur tam saepe ad Aeschylum in Heraclidis respexit Euripides, fortasse non audacioris est putare ei in componendis

Heracl. vv. 377 sqq. ἀλλ' οὐ πολέμων ἐραστὰς
μή μοι δορὶ συνταράξεις
τὰν εὖ χαρίτων ἔχουσαν
πόλιν, ἀλλ' ἀνάσχου

obversatos esse

Aesch. Suppl. 679 sqq. μηδέ τις ἀνδροκμὴς
λοιγὸς ἐπελθέτω τάνδε πόλιν δαΐζων,
ἄχορον, ἀκίθαριν, δακρυογόνον Ἄρη
βοάν τ' ἔνδημον ἐξοπλίζων.

Fortasse licet etiam

Aesch. Suppl. 428 sqq. μή τι τλῇς τὰν ἱκέτιν εἰσιδεῖν
ἀπὸ βρετέων βίᾳ δίκας ἀγομέναν

1) Sic Weckl. pro ἐλευθεροῦται.

2) Haec tamen proverbii instar esse monet Wecklinus, Aeschylos, die Schutzflehenden, p. 97 (v. 810 sq.).

3) Ni cum Wecklino pro τοῖσιν scribendum est πομπός.

comparare cum Heracl. vv. 101 sqq., tamquam ad illorum exemplum expressis:

εἰκὸς θεῶν ἱκτῆρας αἰδεῖσθαι, ξένε,
καὶ μὴ βιαίῳ χειρὶ δαιμόνων
ἀπολιπεῖν (*τάδ' ἀλιτεῖν σ'* Schmidtius) *ἕδη.*
πότνια γὰρ Δίκα τάδ' οὐ πείσεται,

quamquam illic Danaides Pelasgum admonent, ne se ab aris avelli sinat, hic chorus Atheniensium caduceatorem reprehendit supplicibus vim afferentem. Sed haec hactenus [1]). Nam ex aliis quoque

---

1) Firnhaberus vel multo plura Aeschyli Supplicum vestigia in Heraclidis sibi eruisse videtur; neque vero in plurimis exemplis ei astipulari possum, quia necessitudines inter Aeschyli Euripidisque fabulam intercedentes nusquam non agnovit. Ad quantum autem comparandi ardorem vir doctus ille processerit, nonnullis demonstretur exemplis: Danaus filiaeque modo ad Argivorum terram appulsi Iovem, Apollinem, Solem implorant, ut sibi propitii sint (Aesch. Suppl. 206 sqq.). Apud Euripidem Atheniensium caterva, dum cives cum Argivis acerrime pugnant, Tellurem Lunam Solem orant, ut sibi nuntium afferant de proelii eventu

Heracl. 748 sqq. *γᾶ καὶ παννύχιος σελάνα*
καὶ λαμπρόταται θεοῦ
φαεσίμβροτοι αὐγαί,
ἀγγελίαν μοι ἐνέγκατ' κτλ.

Quo de loco Firnhaberus l. c. p. 457 „man wird", inquit, „nach dem obigen die Annahme nicht zu gewagt finden, dass

Aesch. Suppl. vv. 213—215 *ΧΟ. καλοῦμεν αὐγὰς ἡλίου σωτηρίους.*
ΔΑ. ἁγνόν τ' Ἀπόλλω, φυγάδ' ἀπ' οὐρανοῦ θεόν.
ΧΟ. εἰδὼς ἂν αἶσαν τήνδε συγγνοίη βροτοῖς.

dem Dichter auch einen Anlass gewähren konnte, so zu schreiben." Hoc ego non intellego. Neque quisquam Firnhabero concedet illam in Heracl. vv. 427 sqq. similitudinem ad naufragos spectantem (*ὦ τέκν', ἔοιγμεν ναυτίλοισιν, οἵτινες Χειμῶνος ἐκφυγόντες ἄγριον μένος Ἐς χεῖρα γῇ συνῆψαν, εἶτα χερσόθεν Πνοαῖσιν ἠλάθησαν ἐς πόντον πάλιν*) ab Euripide non esse adhibitam, nisi Aeschylus et ipse in metaphoris de re navali petitis praeisset utendis velut

Suppl. 440 sq. . . . *καὶ γεγόμφωται σκάφος*
στρέβλαισι ναυτικαῖσιν ὡς προσηγμένον.
et 469 sqq. *κακῶν δὲ πλῆθος ποταμὸς ὣς ἐπέρχεται·*
ἄτης δ' ἄβυσσον πέλαγος οὐ μάλ' εὔπορον
τόδ' ἐσβέβηκα, κοὐδαμοῦ λιμὴν κακῶν.

Namque, praeterquam quod ab his Aeschyleis diversissima est, quam Euripides adhibuit metaphoram, vix alia similia apud utrumque tragicum tam saepe recurrunt, quam ea quae ad mare navesque spectant.

Quonam modo tandem Euripides scribere debuit, ut vitaret crimen imitationis modum excedentis, si talia ex imitatione explicamus? Neque possum animum adducere, ut cum Firnhabero putem Macariae illis Heracl. 591 sqq. (*Τάδ' ἀντὶ παίδων ἐστί μοι κειμήλια Καὶ παρθενείας*), εἴ τι δὴ κάτω χθονός,

Aeschyli dramatis videntur nonnulla in Heraclidas fluxisse. Velut idem ille Firnhaberus indicat complures locos, qui sine dubio ex Persis colorem traxerunt:

cf. Aesch. Pers. 827 sq. Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόπων
ἄγαν Φρονημάτων ἔπεστιν.
Eur. Heracl. 387 sq. . . . ἀλλὰ τῶν φρονημάτων
ὁ Ζεὺς κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων[1]).
Aesch. Pers. 334 πόσον δὲ πλῆθος ἦν νεῶν Ἑλληνίδων;
Eur. Heracl. 668 πόσον τι πλῆθος συμμάχων πάρεστ' ἔχων;
Aesch. Pers. 426 sq. ἔπαιον ἐῤῥάχιζον, οἰμωγὴ δ' ὁμοῦ
κωκύμασιν κατεῖχε πελαγίαν ἅλα.
Eur. Heracl. 832 sq. πόσον τιν' αὐχεῖς πάταγον ἀσπίδων βρέμειν
πόσον τινὰ στεναγμόν, οἰμωγὴν δ' ὁμοῦ[2]);
Cum Aesch. Sept. 232 σὸν δ' αὖ τὸ σιγᾶν καὶ μένειν εἴσω
δόμων, quibus Eteocles lamentantem
increpat catervam,
velim conferas Macariae illa
Eur. Heracl. 476 sq. γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν
κάλλιστον εἴσω θ' ἥσυχον μένειν δόμων.

Wecklinus vero monet

Eur. Heracl. 349 sqq. τῶν μὲν γὰρ Ἥρα προστατεῖ, Διὸς δάμαρ,
ἡμῶν δ' Ἀθάνα. φημὶ δ' εἰς εὐπραξίαν
καὶ τοῦθ' ὑπάρχειν, θεῶν ἀμεινόνων τυχεῖν.
νικωμένη γὰρ Παλλὰς οὐκ ἀνέξεται

compositos esse ad exemplum sententiae illius, quae inest

Aesch. Sept. 514 sqq. κοὔπω τις εἶδε Ζῆνά του (που M) νικώμενον.
τοιάδε μέντοι προσφίλεια δαιμόνων·
πρὸς τῶν κρατούντων δ' ἐσμέν, οἱ δ' ἡσσωμένων,
εἰ Ζεύς γε Τυφῶ καρτερώτερος μάχῃ[3]).

Εἴη γε μέντοι μηδέν· εἰ γὰρ ἕξομεν Κἀκεῖ μερίμνας οἱ θανούμενοι βροτῶν, Οὐκ οἶδ' ὅποι τις τρέψεται· τὸ γὰρ θανεῖν κτλ. Euripidem corrigendi causa respexisse ad Aesch. Suppl. 228 sqq. . . . οὐδὲ μὴ 'ν Ἅιδου θανὼν Φύγῃ ματαίων αἰτίας, πράξας τάδε. Κἀκεῖ δικάζει τἀμπλακήμαθ', ὡς λόγος, Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας. — Alios autem locos, ubi Aeschylum exprimi ab Euripide iam Stanleyus et Abreschius rectissime monent, praetermisit vd.

1) Schroederus ex similitudine loci Aeschylei coni. ὑπερκόπων.

2) Musgravius maluit εὐχωλὴν δ' ὁμοῦ, neque aliter Halmius Pers. l. c. εὐχωλὴ δ' ὁμοῦ coniecit.

3) Des Euripides Herakliden ² von Bauer-Wecklein, p. 25.

Eidem Euripideae poeseos aetati, cui Heraclidae attribuitur, **Supplicum** fabula videtur assignanda esse, cuius argumentum iam ab Aeschylo Eleusiniis esse tractatum Plutarchus Thes. c 29 docet. Ab hac Aeschylea quantum dependeat Euripidis tragoedia, propter fragmentorum, quae de Eleusiniis supersunt, exiguitatem vix potest diiudicari; tamen videtur Euripides simili modo, atque in Heraclidis fecit, hic quoque multa novasse. Velut apud Aeschylum Theseum sine vi et armis Thebanis persuasisse, ut occisorum Argivorum corpora ederent Plutarchi constat testimonio[1]: Euripidem contra videmus in maiorem Atheniensium gloriam mytho usum esse narrantium a Theseo Thebanos non verbis, sed armis permotos esse, ut mortuos traderent sepeliundos[2]. Evadnae personam num iam Aeschylea exhibuerit tragoedia, nescimus. Wilamowitzio probabile videtur[3]. Certe autem ab Euripide demum illa scaena inventa est, qua Evadne ante spectatorum oculos in Capanei rogum se deicit.

Eleusinii Aeschylea quibuscum fabulis in trilogia fuerit coniuncta, vvdd. inter se discrepant. Nemea Argivos Eleusinios effecisse trilogiam Wilamowitzius proposuit Herm. vol. XXVI p. 227 et Griech. Trag. I p. 191. Wecklino autem (Aesch. fab. fragm. p. 484) „videntur Ἀργεῖαι supplices matres ducum ad Thebas caesorum fuisse et fortasse fabulae Ἀργεῖαι, Ἐλευσίνιοι, Ἐπίγονοι continuum argumentum“ habuisse. Qua in re si cum Wecklino faciendum est, Aeschyli Argivas agnosces in caterva supplicum Euripidis; Epigonorum vero argumentum fortasse sub fine Euripideae fabulae summatim contineri intelligendum est Minervae verbis, quibus patrum cladem filios ulcisci iubet vv. 1213—1226. Sed admodum dubitanter haec profero, praesertim cum non satis constet neque de titulo Argivarum, cui Argivos substituit Wilamowitzius, neque de tota trilogia, cui idem vd. Epigonos abiudicat, Nemea assignat.

1) *Συνέπραξε δὲ* (Theseus) *καὶ Ἀδράστῳ τὴν ἀναίρεσιν τῶν ὑπὸ τῇ Καδμείᾳ πεσόντων, οὐχ ὡς Εὐριπίδης ἐποίησεν ἐν τραγῳδίᾳ, μάχῃ τῶν Θηβαίων κρατήσας, ἀλλὰ πείσας καὶ σπεισάμενος κτλ.*

2) Rhetorem quendam Euripides in hac re secutus est, si recte Wilamow. Griech. Trag. I³ p. 196 „Irgend ein Redner nach Aesch. vor Eur. hat aus der diplomatischen eine bewaffnete Intervention gemacht.“

3) Griech. Trag. I p. 188.

Ut in Heraclidis locum exstare vidimus, quo Euripides Aeschylum perstringere videatur, ita in Supplicibus quoque illum cavillatur, sed multo acrius et acerbius, quam antea fecerat. Aeschylum enim aut in Argivis aut in Eleusiniis perlonga nuntii narratione explicuisse, quemadmodum singuli Argivorum duces mortem occubuissent et qualia quisque accepisset vulnera, iam ex apertissima Euripidis irrisione plane apparet illum hisce versibus perstringentis

Eur. Suppl. 846 sqq.: *Ἓν δ' οὐκ ἐρήσομαί σε, μὴ γέλωτ' ὄφλω,*
ὅτῳ ξυνέστη τῶνδ' ἕκαστος ἐν μάχῃ
ἢ τραῦμα λόγχης πολεμίων ἐδέξατο.
κενοὶ γὰρ οὗτοι τῶν τ' ἀκουόντων λόγοι
καὶ τοῦ λέγοντος· οὔτις ἐν μάχῃ βεβὼς
λόγχης ἰούσης πρόσθεν ὀμμάτων πυκνῆς
σαφῶς ἀπήγγειλ' ὅστις ἐστὶν ἀγαθός.
οὐκ ἂν δυναίμην οὔτ' ἐρωτῆσαι τάδε
οὔτ' ἂν πιθέσθαι τοῖσι τολμῶσιν λέγειν.
μόλις γὰρ ἄν τις αὐτὰ τἀναγκαῖ' ὁρᾶν
δύναιτ' ἂν ἑστὼς πολεμίοις ἐναντίος.

Ab Aeschylea igitur narratione, de qua Euripides cogitasse videtur loco modo collaudato, diversissima esse, quae Adrastus profert vv. 857—917, vix est, quod moneam. Tamen in una re eaque haud parvi momenti ab Aeschylo non recessit Euripides. Wilamowitzius enim, si recte intellego, monet l. c. Aeschyli Oedipodeae argumentum quasi continuari ea trilogia, in qua Argivos (?) Eleusiniosque collocaverit poeta, quamquam haec priore tempore, quam Oedipodea composita esse censenda sit. Nihil enim de exitu reliquorum praeter Polynicem Argivorum ducum in Septem comperimus: neque id mirum, si Wilamowitzium sequimur: noluit Aeschylus retractare, quae iam in Argivis vel Eleusiniis narraverat. Tamen verisimile est eum in Septem retinuisse eadem ducum nomina, quae ibi adhibuerat: Tydeum, Capaneum, Eteoclum, Hippomedontem, Parthenopaeum, Amphiaraum, Polynicem. Quos eosdem Euripides in Supplicibus et ipse Aeschylum secutus adhibuit, a quo postea eum in Phoenissis ita deflexisse, ut Aeschylea mythi forma leniter mutata partem nominum quoque immutaret, non est, quod moneam. Atque etiam eundem locum Euripides retinuit, quo Aeschyleam fabulam agi intellegere debemus, nimirum Eleusinem, quamquam et in hac ipsa re multae molestiae — quod quidem ad oeconomiam dramatis attinet — positae erant

neque omnino Euripidis fabula ad Eleusinia spectabat mysteria sicut Aeschylea [1]).

Viros effecisse catervam Eleusiniorum ipso discimus titulo. Ceteras res, quibus Euripides ab Aeschylea fabula recessisse videtur, iam supra indicavimus. Supplices multo magis actuosam esse, quam fuerit Eleusinii, quis est quin concedat, praesertim si cum Wilamowitzio putamus ex tribus illis scaenis, quibus antiquissima continebatur tragoedia, Eleusinios quoque constitisse? [2]).

Euripidem in Supplicibus ad alias quoque Aeschyli fabulas interdum respexisse atque nonnulla ex eis in suum vertisse usum vvdd. iam dudum recte evicerunt. Atque iam supra de similitudine illa, quae intercedit inter Danaidum conditionem matresque supplices, verba fecimus.

Hic Adrastus matresque, ibi Danaus eiusque filiae aram tenent circumsessam. Convenit utrosque ipse rex eius terrae, cuius in tutelam confugerunt. Et Pelasgus et Theseus initio supplicum precibus haud ita obsequuntur. Tandem misericordia permoti rem ad populum — qui in utraque fabula quodammodo sui iuris est — deferunt secum ducentes alter Danaum, alter Adrastum, commodius ut persuadere possint civibus:

cf. Aesch. Suppl. 488 ὑμῖν δ' ἂν εἴη δῆμος εὐμενέστερος.
ib. 517 sqq. ἐγὼ δὲ λαοὺς συγκαλῶν ἐγχωρίους
πατῶ, τὸ κοινὸν ὡς ἂν εὐμενὲς τιθῶ
522 sq. ἐγὼ δὲ ταῦτα πορσυνῶν ἐλεύσομαι.
πειθὼ δ' ἕποιτο καὶ τύχη πρακτήριος.
Eur. Suppl. 349 sqq. δόξαι δὲ χρῄζω καὶ πόλει πάσῃ τόδε.
δόξει δ' ἐμοῦ θέλοντος· ἀλλὰ τοῦ λόγου
προσδοὺς ἔχοιμ' ἂν δῆμον εὐμενέστερον.
354 sq. λαβὼν δ' Ἄδραστον δεῖγμα τῶν ἐμῶν λόγων
εἰς πλῆθος ἀστῶν εἶμι. καὶ πείσας τάδε . . Ἥξω.

Post discessum regis utrobique caterva canticum sonat. Danaides Iovem invocant, Argivae Palladem. Mox utraeque cer-

1) Wilamow. Griech. Trag. I³ 191 not. 2: „Der Chor kann nicht fort, daher muss Theseus das Heer nach Eleusis bescheiden. Am Schlusse aber geht der Chor ab, gleich als ob er nicht in Eleusis schwören könnte.“

2) l. l. p. 191: „bei der grossen Einfachheit der Handlung in der ältesten Tragödie genügen vollauf die drei notwendigen Scenen, die Bitte des Adrastos, die Verhandlung mit Theben und die Bestattung, die zu Liedern reichen Anlass bot.“

tiores fiunt de contionis exitu [1]). Atque redit etiam caduceator ille satis magnam adrogantiam prae se ferens, cuius exemplar iam Aeschylea Supplices praebet. Uterque abit bellum minitans, cum vix evitarit periculum vapulandi:

cf. Aesch. Suppl. 925 κλάοις ἄν, εἰ ψαύσειας. οὐ μάλ' ἐς μακράν.
Eur. Suppl. 458 κλαίων γ' ἂν ἦλθες, εἴ σε μὴ 'πεμψεν πόλις.

Firnhaberus quidem haud inepte similitudinem quandam agnovit in primis verbis, quibus praecones petulantissimi alter a Pelasgo alter a Theseo appellantur:

cf. Aesch. Suppl. 917 ξένος μὲν εἶναι πρῶτον οὐκ ἐπίστασαι.
Eur. Suppl. 403 πρῶτον μὲν ἤρξω τοῦ λόγου ψευδῶς, ξένε.

Verborum quaedam similitudo in hisce exemplis agnoscitur:

Aesch. Suppl. 1072 c καὶ δίκᾳ δίκας ἕπεσθαι (scil. αἰνῶ)
Eur. Suppl. 614 c δίκα δίκαν δ' ἐκάλεσε καὶ φόνος Φόνον...
Aesch. Suppl. 312 d ... χειρὶ φιτύει γόνον (Sic Scaliger pro φυτεύει).
Eur. Suppl. 986 an ἣν Ἶφις ἄναξ παῖδα φυτεύει.

Haec quidem de Aeschyli Supplicibus ab Euripide expressa. Praeter quam Septem quoque saepius esse respectam vix miramur, quoniam ex eodem mythorum cyclo desumpta est, ad quem Euripidea pertinet tragoedia. Velut conferas quaeso, quae hic et ibi de Capaneo dicuntur

Aesch. Sept. 427 sq. θεοῦ τε γὰρ θέλοντος ἐκπέρσειν πόλιν
καὶ μὴ θέλοντός φησιν.
Eur. Suppl. 498 sq. ὃς προσβαλὼν πύλαισιν ὤμοσεν πόλιν
πέρσειν θεοῦ θέλοντος ἤν τε μὴ θέλῃ

Aeschylus dixerat de bello tamquam Martio alearum lusu

Sept. 414 .... ἔργον δ' ἐν κύβοις Ἄρης κρινεῖ.

Quae haud scio an Euripidi obversata sint scribenti

Suppl. 328 sqq. ὡς οὔτε ταρβῶ σὺν δίκῃ σ' ὁρμώμενον
Κάδμου θ' ὁρῶσα λαὸν εὖ πεπραγότα
ἔτ' αὐτὸν ἄλλα βλήματ' ἐν κύβοις βαλεῖν Πέποιθ'.

Eandem fere sententiam exhibent

Aesch. Sept. 597 sqq. φεῦ τοῦ ξυναλλάσσοντος ὄρνιθος βροτοῖς
δίκαιον ἄνδρα τοῖσι δυσσεβεστάτοις.
κτλ. κτλ.

1) Hoc tamen enarrando Aeschylus viginti quinque explevit versus (600—625); Euripides rem absolvit duobus (393 sq.): καὶ μὴν ἑκοῦσά γ' ἀσμένη τ' ἐδέξατο Πόλις πόνον τόνδ', ὡς θέλοντά μ' ᾔσθετο, quos iure transponunt vvdd., sic ut confestim excipiant canticum.

et Eur. Suppl. 223 sqq. .... *χρῆν γὰρ οὔτε σώματα*
ἄδικα δικαίοις τὸν σοφὸν συμμιγνύναι κτλ.

Externa quaedam similitudo intercedit inter

Aesch. Sept. 1002 sq. *ΑΝ. ἰώ, ποῦ σφε θήσομεν χθονός;*
ΙΣ. ἰώ, ὅπου γε τιμιώτατον

et Eur. Suppl. 937 sq. *ΑΔ. ποῦ δῆτα θήσεις μνῆμα τῷδε χωρίσας;*
ΘΗ. αὐτοῦ παρ' οἴκους κτλ.

Ac ne tales quidem desunt loci, quibus nostro iure Aeschyli Oresteam recordari videamur. Velut in Agamemnonis cantico verba fiunt de occisorum cineribus vasis inclusis, quos propinqui tristissima compensatione ipsorum hominum loco recipiunt a Marte

Aesch. Ag. 440 sqq. *πυρωθὲν ἐξ Ἰλίου*
φίλοισι πέμπει βαρὺ
ψῆγμα δυσδάκρυτον ἀν-
τήνορος σποδοῦ γεμί-
ζων λέβητας εὐθέτους.

Similiter matres Argivae filiorum urnas conspicientes

Eur. Suppl. 1128 sqq. e (*πᾷ δάκρυα φέρεις φίλα ματρὶ τῶν ὀλωλότων*),
σποδοῦ τε πλῆθος ὀλίγον ἀντὶ σωμάτων
εὐδοκίμων δήποτ' ἐν Μυκήναις;

Aegisthus Agamemnoniam ob caedem laetitia exsultans affirmat tunc demum persuasum se habere deos esse

Aesch. Ag. 1578 sqq. *φαίην ἂν ἤδη νῦν βροτῶν τιμαόρους*
θεοὺς ἄνωθεν γῆς ἐποπτεύειν ἄγη,
ἰδὼν ὑφαντοῖς ἐν πέπλοις Ἐρινύων
τὸν ἄνδρα τόνδε κείμενον φίλως ἐμοί κτλ.

Haud secus supplicum catervae princeps Thebanorum clade audita

Eur. Suppl. 731 sqq. *νῦν τήνδ' ἄελπτον ἡμέραν ἰδοῦσ' ἐγὼ*
θεοὺς νομίζω καὶ δοκῶ τῆς συμφορᾶς
ἔχειν ἔλασσον, τῶνδε τισάντων δίκην.

Deinde velim conferas

Aesch. Cho. 25 sq. *πρέπει παρῇς φοινίοις ἀμυγμοῖς*
ὄνυχος ἄλοκι νεοτόμῳ

cum Eur. Suppl. 826 *κατὰ μὲν ὄνυξιν ἠλοκισμεθ'.*

Haec fortasse non deerit, qui casui attribuat: quod autem Euripides Supplicum sub fine Theseum fingens a Minerva moneri, ut Adrastum Argivosque foedere ac iure iurando sibi obstringat,

ne umquam Atheniensibus bellum inferant neve illos ab alia gente armis peti sinant, locutionibus utitur satis similibus eis, quas Aeschylus adhibuit, cum Orestem faceret pollicentem se suosque semper fore fidelissimos Atheniensium socios — de fortuita similitudine cogitare nullo modo possum. En videas quaeso ipse:

Aesch. Eum. 764 sqq. *ὁρκωμοτήσας νῦν ἄπειμι πρὸς δόμους,*
μήτοι τιν' ἄνδρα δεῦρο πρυμνήτην χθονός
ἐλθόντ' ἐποίσειν εὖ κεκασμένον δόρυ κτλ.

Eur. Suppl. 1191 sqq. *ὁ δ' ὅρκος ἔσται, μήποτ' Ἀργείους χθόνα*
ἐς τήνδ' ἐποίσειν πολέμιον παντευχίαν
ἄλλων τ' ἰόντων ἐμποδὼν θήσειν δόρυ κτλ.

Restat, ut afferam sententiam Euripideam in eadem Supplicum fabula occurrentem eamque talem, ut ex compluribus locis Aeschyleis quasi conflata esse videatur, nimirum

Eur. Suppl. 775 sqq. ... *τοῦτο γὰρ μόνον βροτοῖς*
οὐκ ἔστι τἀνάλωμ' ἀναλωθὲν λαβεῖν,
ψυχὴν βροτείαν. χρημάτων δ' εἰσὶν πόροι.

Quibuscum velim conferas

Ag. 1018 sqq. *τὸ δ' ἐπὶ γᾶν πεσὸν ἅπαξ θανάσιμον*
προπάροιθ' ἀνδρὸς μέλαν αἷμά τίς ἂν
πάλιν ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων; κτλ.

Cho. 520 sq. *τὰ πάντα γάρ τις ἐκχέας ἀνθ' αἵματος*
ἑνός, μάτην ὁ μόχθος (cf. etiam Cho. 66 sqq.).

Eum 645 sqq. *πέδας μὲν ἂν λύσειεν, ἔστι τοῦδ' ἄκος*
καὶ κάρτα πολλὴ μηχανὴ λυτήριος·
ἀνδρὸς δ' ἐπειδὰν αἷμ' ἀνασπάσῃ κόνις
ἅπαξ θανόντος, οὔτις ἔστ' ἀνάστασις κτλ.

Aesch. Suppl. 443 *καὶ χρημάτων μὲν ἐκ δόμων πορθουμένων*
445 *γένοιτ' ἂν ἄλλα κτλ.* 1)

Age vero iam videamus, num ceterae quoque huius aetatis fabulae, quae quidem aetatem tulerint, Aeschyli dramatum vestigia impressa exhibeant. Ac primum quidem in **Hippolytum** inquirendum est.

In Phaethonte quidem Euripidea luctum Heliadum locum non habuisse iam supra monuimus. In Hippolyto autem poetam haud diverse ab Aeschylo Phaethontis sororum rationem habuisse Hipp. vv. 735 sqq. intellegitur hisce:

1) Cf. Wecklein, Aeschylos, die Schutzflehenden p. 69.

Ἀρθείην δ' ἐπὶ πόντιον
κῦμα τᾶς Ἀδριηνᾶς
ἀκτᾶς Ἠριδανοῦ θ' ὕδωρ.
ἔνθα πορφύρεον σταλάσσουσ'
ἐς οἶδμα πατρὸς τάλαιναι
κόραι Φαέθοντος οἴκτῳ δακρύων
τὰς ἠλεκτροφαεῖς αὐγάς [1]).

In dictione vero quantopere Hippolytus ex Aeschyleis fabulis colorem traxerit, fortasse ex hac collectione locorum apparet:

Aesch. Prom. 511 *οὐ ταῦτα ταύτῃ Μοῖρά πω τελεσφόρος*
κρᾶναι πέπρωται.

Eur. Hipp. 41 *ἀλλ' οὔτι ταύτης τῇδ' ἔρωτα δεῖ πεσεῖν.*

Aesch. Prom. 121 sqq. . . . *ὁπόσοι*
τὴν Διὸς αὐλὴν εἰσοιχνεῦσιν.

Eur. Hipp. 68 sq. (*ἃ . . .*) *ναίεις εὐπατέρειαν αὐλάν. Ζηνὸς*
(Weckl. *Δῖον*) *πολύχρυσον οἶκον.*

Aesch. Prom. 183 sq. *πᾷ ποτε τῶνδε πόνων*
χρή σε τέρμα κέλσαντ' ἐσιδεῖν;

Eur. Hipp. 139 sq. . . . . *θανάτου θέλουσαν κέλσαι ποτὶ τέρμα*
δύστανον.

Aesch. Prom. 143 sqq. *φοβερὰ δ' ἐμοῖσιν ὄσσοις*
ὀμίχλα προσῇξε πλήρης
δακρύων.

Eur. Hipp. 172 sq. *στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὐξάνεται* [2]).

Aesch. Prom. 1008 sq. *τέγγῃ γὰρ οὐδὲν οὐδὲ μαλθάσσῃ λιταῖς*

Eur. Hipp. 302 sq. . . . *οὔτε γὰρ τότε*
λόγοις ἐτέγγεθ' ἥδε νῦν τ' οὐ πείθεται.

1) Vvdd. iam dudum eruerunt ad hunc Hippolyti locum Aeschylique Heliados pertinere ea, quae Plinius N. H. XXXVII 31 et 32 disputat: „Phaethontis fulmine icti sorores luctu mutatas in arbores populos lacrimis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocavimus, electrum appellatum, quoniam sol vocitatus sit ἠλέκτωρ, plurimi poetae dixere, primique, ut arbitror, Aeschylus, Philoxenus, Euripides, Nicander, Satyrus. — Quod Aeschylus in Hibernia, hoc est in Hispania, Eridanum esse dixit eundemque appellari Rhodanum, Euripides rursus et Apollonius in Hadriatico litore confluere Rhodanum et Padum, faciliorem veniam facit ignorati sucini in tanta ignorantia orbis.“ vide supra p. 56 not. 3.

2) Plura huius locutionis exempla congessit Wecklinus, ed. Prom. p. 46 ad v. 144.

Aesch. Prom. 479 sqq. οὐκ ἦν ἀλέξημ' οὐδέν, οὔτε βρώσιμον,
οὐ χριστόν, οὔτε πιστόν, ἀλλὰ φαρμάκων
χρείᾳ κατεσκέλλοντο.

Eur. Hipp. 516 πότερα δὲ χριστόν, ἢ ποτὸν τὸ φάρμακον;

Aesch. Prom. 1044 an πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος κτλ.

Eur. Hipp. 559 c βροντᾷ γὰρ ἀμφιπύρῳ.

Aesch. Prom. 502 sq. χαλκόν, σίδηρον, ἄργυρον, χρυσόν τε τίς
φήσειεν ἂν πάροιθεν ἐξευρεῖν ἐμοῦ;

Eur. Hipp. 621 ἢ χρυσὸν ἢ σίδηρον ἢ χαλκοῦ βάρος.

Aesch. Prom. 746 δυσχείμερόν γε πέλαγος ἀτηρᾶς δύης.

Aesch. Suppl. 470 ἄτης δ' ἄβυσσον πέλαγος οὐ μάλ' εὔπορον.

Aesch. Pers. 433 . . . κακῶν δὴ πέλαγος ἔρρωγεν μέγα

Aesch. Prom. 886 στυγνῆς πρὸς κύμασιν ἄτης.

Eandem metaphoram magis excultam deprehendis

Eur. Hipp. 822 sqq. κακῶν δ', ὦ τάλας, πέλαγος εἰσορῶ
τοσοῦτον ὥστε μήποτ' ἐκνεῦσαι πάλιν
μηδ' ἐκπερᾶσαι κῦμα τῆσδε συμφορᾶς.

Aesch. Prom. 375 ἐγὼ δὲ τὴν παροῦσαν ἀντλήσω τύχην.

Eur. Hipp. 898 ἀλώμενος ξένην ἐπ' αἶαν λυπρὸν ἀντλήσει βίον.

Aesch. Prom. 701 sq. . . . μαθεῖν γὰρ τῆσδε πρᾶτ' ἐχρῄζετε
τὸν ἀμφ' ἑαυτῆς ἆθλον ἐξηγουμένης.

Eur. Hipp. 491 sq. . . . . ὡς τάχος διιστέον,
τὸν εὐθὺν ἐξειπόντας ἀμφὶ σοῦ λόγον.

Aesch. Prom. 1009 sq. . . . δακὼν δὲ στόμιον ὡς νεοζυγὴς
πῶλος βιάζῃ καὶ πρὸς ἡνίας μάχῃ (translate
de Prometheo).

Eur. Hipp. 1223 sqq. αἳ δ' ἐνδακοῦσαι στόμια (proprie de equis)
πυριγενῆ [1]) γναθμοῖς
βίᾳ φέρουσιν, οὔτε ναυκλήρου χερὸς
. . . μεταστρέφουσαι.

Aesch. Prom. 470 sq. . . . αὐτὸς οὐκ ἔχω σόφισμ' ὅτῳ
τῆς νῦν παρούσης πημονῆς ἀπαλλαγῶ
(cf. Soph. El. 939).

ib. 1000 πρὸς τὰς παρούσας πημονὰς ὀρθῶς φρονεῖν.

Eur. Hipp. 482 sq. Φαίδρα, λέγει μὲν ἥδε χρησιμώτερα
πρὸς τὴν παροῦσαν συμφοράν, αἰνῶ δὲ
σέ (cf. Soph. Phil. 884 sq.).

---

1) Cum illis *στόμια πυριγενῆ* velim conferas Sept. 207 *στόμια πυριγενετᾶν χαλινῶν*, ubi tamen Dindorfius *πυριβρεμετᾶν* maluit.

Aesch. Prom. 778 *δυοῖν λόγοιν σε θατέρῳ δωρήσομαι.*
Eur. Hipp. 894 *δυοῖν δὲ μοίραιν θατέρᾳ πεπλήξεται* [1]).
Aesch. Prom. 1014 *σκέψαι δ', ἐὰν μὴ τοῖς ἐμοῖς πεισθῇς λόγοις*
Eur. Hipp. 1088 *δράσω τάδ', εἰ μὴ τοῖς ἐμοῖς πείσει λόγοις.*
Aesch. Prom. 1015 *οἷός σε χειμὼν καὶ κακῶν τρικυμία*
ἔπεισ' ἄφυκτος.
Eur. Hipp. 1213 sq. *αὐτῷ δὲ σὺν κλύδωνι καὶ τρικυμίᾳ*
κῦμ' ἐξέθηκε ταῦρον.
Aesch. Prom. 1050 sqq. an ... *ἔς τε κελαινὸν*
Τάρταρον ἄρδην ῥίψειε δέμας
τοὐμὸν ἀνάγκης στερραῖς δίναις.
Eur. Hipp. 1290 sq. an *πῶς οὐχ ὑπὸ γῆς τάρταρα κρύπτεις*
δέμας αἰσχυνθείς [2]);
Aesch. Prom. 263 sq. *ἐλαφρὸν ὅστις πημάτων ἔξω πόδα*
ἔχει παραινεῖν κτλ.
Eur. Hipp. 1292 sq. an *ἢ πτηνὸς ἄνω μεταβὰς βίοτον*
πήματος ἔξω πόδα τοῦδ' ἀπέχεις;

Io repente furoris stimulis agitata hisce utitur anapaestis
Aesch. Prom. 877 sqq.: *ἐλελεῦ ἐλελεῦ,*
ὑπό μ' αὖ σφάκελος καὶ φρενοπληγεῖς
μανίαι θάλπουσ', οἴστρου δ' ἄρδις
χρίει μ' ἄπυρος·

Similiter Hippolytus doloribus quasi laceratus
Eur. Hipp. 1347 sqq. *αἰαῖ αἰαῖ·*
δύστηνος ἐγώ, πατρὸς ἐξ ἀδίκου
χρησμοῖς ἀδικοῖς διελυμάνθην.
ἀπόλωλα τάλας, οἴμοι μοι.
διά μου κεφαλῆς ᾄσσουσ' ὀδύναι,
κατὰ δ' ἐγκέφαλον πηδᾷ σφάκελος.

Euripidem et ipsum hoc loco anapaestis usum esse vix debeo monere.

Prometheus vultum prae vinculis retro convertere non pollens Oceanidum dearum adventum quodammodo odorari videtur

1) Cf. Eur. Andr. 383 *δυοῖν δ' ἀνάγκη θατέρῳ λιπεῖν βίον*

2) Cf. Prom. 152 sqq. an.
εἰ γάρ μ' ὑπὸ γῆν νέρθεν θ' Ἅιδου
τοῦ νεκροδέγμονος εἰς ἀπέραντον
Τάρταρον ἧκεν.

Aesch. Prom. 114 sq. ἆ ἆ, ἔα ἔα
τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προσέπτα μ' ἀφεγγής,
θεόσυτος κτλ.

Eodem modo Hippolytus Dianam adesse sentit
Eur. Hipp. 1391 ἔα·
ὦ θεῖον ὀδμῆς πνεῦμα.

Quas similitudines inter Prometheum Hippolytumque intercedentes maximam partem fortuitas esse non nego. Tamen multitudo exemplorum satis mirifica esse videtur, praesertim cum aliarum Aeschyli fabularum vestigiis impressis haud ita abundet Hippolytus, ut ipse statim cognosces:

Aesch. Suppl. 111 c τοιαῦτα πάθεα μέλεα θρεομένα κτλ.
Eur. Hipp. 362 sqq. c ἄιες ὤ, ἔκλυες ὢ
ἀνήκουστα τᾶς
τυράννου πάθεα μέλεα θρεομένας;

Aesch. Pers. 913 an λέλυται γὰρ ἐμῶν γυίων ῥώμη.
Eur. Hipp. 199 an λέλυμαι μελέων σύνδεσμα φίλων.

Aesch. Pers. 839 ἐγὼ δ' ἄπειμι γῆς ὑπὸ ζόφον κάτω.
Eur. Hipp. 1416 ἔασον· οὐ γὰρ οὐδὲ γῆς ὑπὸ ζόφον κτλ.

Aesch. Sept. 839 ἦ δύσορνις ἅδε ξυναυλία δορός.
Eur. Hipp. 758 sq. ἢ γὰρ ἀπ' ἀμφοτέρων ἢ
Κρησίας ἐκ γᾶς δύσορνις ἔπτατ' κτλ [1]).

Aesch. Sept. 1047 ἤδη τὰ τοῦδ' οὐ διατετίμηται θεοῖς;
Eur. Hipp. 1457 κεκαρτέρηται τἄμ'.
(cf. ea, quae Wecklinus de hac locutione disputat in ed. Sept. p. 97.)

Aesch. Ag. 1628 καὶ ταῦτα τἄπη κλαυμάτων ἀρχηγενῆ.
Eur. Hipp. 881 αἰαῖ, κακῶν ἀρχηγὸν ἐκφαίνεις λόγον.

Valckenarius ad Eur. Hipp. 1416 sqq.:
ἔασον· οὐ γὰρ οὐδὲ γῆς ὑπὸ ζόφον
θεᾶς ἄτιμοι Κύπριδος ἐκ προθυμίας
ὀργαὶ κατασκήψουσιν ἐς τὸ σὸν δέμας κτλ.

„dum haec scribebat Euripides“, inquit, „imitabatur, opinor Aeschylum, cuius in Agamemnone Cassandra v. 1288 (1279):
οὐ μὴν ἄτιμοί γ' ἐκ θεῶν τεθνήξομεν.
ἥξει γὰρ ἡμῶν ἄλλος αὖ τιμάορος
‚non moriar inulta‘.“

1) Ad exemplar loci Aeschylei mutavit Wecklinus ἢ γὰρ .... ἦν δύσορνις.

Idem vir doctissimus
Eur. Hipp. 525 sqq.: *Ἔρως, Ἔρως, ὃς κατ' ὀμμάτων*
στάζεις πόθον, εἰσάγων γλυκεῖαν
ψυχᾷ χάριν οὓς ἐπιστρατεύσῃ
expressos esse putat ad exemplum Aeschyli, qui et ipse amorem per oculos in viscera penetrantem fingat:

Aesch. Ag. 742 sq. *μαλθακὸν ὀμμάτων βέλος,*
δηξίθυμον ἔρωτος ἄνθος.

Aesch. Suppl. 1003 sqq. *καὶ παρθένων χλιδαῖσιν εὐμόρφοις ἔπι*
πᾶς τις παρελθὼν ὄμματος θελκτήριον
τόξευμ' ἔπεμψεν, ἱμέρου νικώμενος.

Temporis rationem quia sequimur, iam de **Andromacha** nobis disputandum est. Quae tabula quoniam et ipsa ad Troicas respicit res, vix miraberis, quod nonnullos exhibet locos, qui in memoriam nobis revocent Aeschyli Oresteam.

Velut Agamemnonis alterius stasimi versuum 681—749 quasi summam praebere videntur haec:

Eur. Andr. 103 sq. *Ἰλίῳ αἰπεινᾷ Πάρις οὐ γάμον ἀλλά τιν' ἄταν*
ἠγάγετ' εὐναίαν ἐς θαλάμους Ἑλέναν.

Atque etiam ex Aesch. Ag. 403 sqq. colorem traxisse tibi videbitur hoc distichum, dummodo comparaveris Ag. 406 *ἄγουσά τ' ἀντίφερνον Ἰλίῳ φθορὰν* cum illis *οὐ γάμον ἀλλά τιν' ἄταν.*

Clytaemestra reducem maritum appellat
Aesch. Ag. 899 sq. *⟨καὶ⟩ γῆν φανεῖσαν ναυτίλοις παρ' ἐλπίδα*
κάλλιστον ἦμαρ εἰσιδεῖν ἐκ χείματος.

Similiter Hermiona Orestem conspiciens
Eur. Andr. 891: *Ὦ ναυτίλοισι χείματος λιμὴν φανείς.*

Aesch. Cho. 24 sq. *πρέπει παρῇς φοινίοις ἀμυγμοῖς ὄνυχος*
ἄλοκι νεοτόμῳ.

Eur. Andr. 826 sq. *⟨σπάραγμα κόμας⟩ ὀνύχων τε δάι' ἀ-*
μύγματα θήσομαι.

Orestes patrem ob inhonestissimam caedem lugens
Aesch. Cho. 345 sqq. c *εἰ γὰρ ὑπ' Ἰλίῳ*
πρός τινος Λυκίων, πάτερ,
δορίτμητος κατηναρίσθης.

Similiter Peleus de Neoptolemo turpissimis insidiis sublato
Eur. Andr. 1181 sqq. c *ὦ φίλιον στόμα καὶ γένυ καὶ χέρες,*
εἴθε σ' ὑπ' Ἰλίῳ ἤναρε δαίμων
Σιμοεντίδα παρ' ἀκτάν.

Aesch. Eum. 25 sq. ἐξ οὗτε Βάκχαις ἐστρατήγησεν θεός,
λαγὼ δίκην Πενθεῖ καταρράψας μόρον.
Eur. Andr. 836 ἀλγεῖς, φόνον ῥάψασα συγγάμῳ σέθεν;
ib 911 sq. ΟΡ. μῶν εἰς γυναῖκ' ἔρραψας οἷα δὴ γυνή;
ΕΡ. φόνον γ' ἐκείνῃ καὶ τέκνῳ νοθαγενεῖ.[1])
Aesch. Pers. 856 sq. c οὐκέτι δασμοφοροῦσιν
δεσποσύναισιν ἀνάγκαις.
Eur. Andr. 130 sq. c .... τί σοι
καιρὸς ἀτυζομένᾳ δέμας αἰκέλιον καταλείβειν
δεσποτῶν ἀνάγκαις;
Aesch. Prom. 39 τὸ συγγενές τοι δεινὸν ἥ θ' ὁμιλία.
Eur. Andr. 985 τὸ συγγενὲς γὰρ (Hermannus τοι) δεινὸν κτλ.

In **Hecuba** Euripidis paucissima Aeschyli vestigia inveniuntur eaque talia, ut ad Agamemnonem praecipue respicere videantur. Velut in Hecuba quoque calamitates Troicae ad Paridis cum Helena adulterium referuntur haud secus atque in Aeschyli illa fabula senes catervae illud matrimonium scelestissime initum abominati erant propter infelicissimum eventum (cf. Ag. 699 sqq. 744 sqq.). Eidem fingunt a Troibus patriae ruina afflictis Paridem appellari αἰνόλεκτρον (Ag. 709 sqq.), proponunt sibi γάμου πικρὰς τελευτάς (Ag. 745), affirmant Helenam fuisse ἀνδρὸς οἰζύν (Ag. 1461). Qui loci nonne Euripidi obversati esse videntur, cum Hec. 943 sqq. haec scriberet:

τὰν τοῖν Διοσκόροιν Ἑλέναν κάσιν
Ἰδαῖόν τε βούταν
αἰνόπαριν κατάρᾳ
διδοῦσ', ἐπεί με γᾶς
ἐκ πατρίας ἀπώλεσεν
ἐξῴκισέν τ' οἴκων γάμος, οὐ γάμος
ἀλλ' ἀλάστορός τις οἰζύς?

Agamemno Aeschyleus de vastata Troianorum urbe fumo insigni dixerat

Ag. 818 καπνῷ δ' ἁλοῦσα νῦν ἔτ' εὔσημος πόλις.

Hecuba de eadem

Eur. Hec. 1215 καπνῷ δ' ἐσήμην' ἄστυ πολεμίων ὕπο.

In illa quoque componenda scaena, in qua Polymestorem obcaecari eiusque liberos trucidari nobis fingere debemus, ad Aeschylum respexisse videtur Euripides. Ille enim Agamemnonem facit exclamantem

1) Vide supra p. 27.

Ag. 1343 *ὤμοι, πέπληγμαι καιρίαν πληγὴν ἔσω*
et post versum a coryphaeo recitatum
Ag. 1345 *ὤμοι μάλ' αὖθις, δευτέραν πεπληγμένος.*
Hic Polymestorem
Hec. 1035 *ὤμοι, τυφλοῦμαι φέγγος ὀμμάτων τάλας*
(v. 1036 item coryphaeo est datus) et
Hec. 1037 *ὤμοι μάλ' αὖθις, τέκνα, δυστήνου σφαγῆς.*

Praeterea velim conferas hasce similitudines:

Aesch. Ag. 45 sqq. an *στόλον Ἀργείων ..... ἦραν*
Eur. Hec. 1141 (*ἔδεισα μὴ .... Ἀχαιοὶ*)
Φρυγῶν ἐς αἶαν αὖθις ἄρειαν στόλον.
Aesch. Cho. 930 *κάνες γ' ὃν οὐ χρῆν, καὶ τὸ μὴ χρεὼν πάθε.*
Eur. Hec. 1250 sq. .... *ἀλλ' ἐπεὶ τὰ μὴ καλὰ*
πράσσειν ἐτόλμας, τλῆθι καὶ τὰ μὴ φίλα.
Aesch. Pers. 658 sq. anima Darei invocatur sic:
βαλλὴν ἀρχαῖος βαλλὴν
ἴθι, ἱκοῦ, ἐλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυμβον ὄχθου·
de Achillis anima similiter Hec. 93 an. lyr.:
ἦλθ' ὑπὲρ ἄκρας τύμβου κορυφᾶς
φάντασμ' Ἀχιλέως.
Aesch. Pers. 586 c *οὐκέτι δασμοφοροῦσιν*
δεσποσύνοισιν ἀνάγκαις[1]).
Eur. Hec. 1294 sqq. an *ἴτε πρὸς λιμένας σκηνάς τε, φίλαι,*
τῶν δεσποσύνων πειρασόμεναι
μόχθων.
Aesch. Sept. 829 sqq. caterva fratrum corporibus conspectis:
τάδ' αὐτόδηλα, προῦπτος ἀγγέλου λόγος·
διπλαῖ μέριμναι, quibuscum velim conferas
Eur. Hec. 895 sqq. *Πολυξένης ἐπίσχες, Ἀγάμεμνον, τάφον,*
ὡς τώδ' ἀδελφὼ πλησίον μιᾷ φλογί.
δισσὴ μέριμνα μητρί, κρυφθῆτον χθονί.

Illud quidem argumentum, in quo **Hercules** Euripidis versatur, Aeschylus non attigit. Sed haud scio an et ipse labores illos Herculeos quodammodo celebraverit idque in Heraclidarum fabula. Atque videtur ex tali laborum descriptione desumptum esse Aesch. Heraclid. fr. 74, quo de Geryone tricorpore ab Hercule superato agitur, multo autem fusius, quam apud Euripidem fit. Haec tantum quodammodo inter se congruunt:

1) Praeivit simili locutione usus Tyrtaeus (ed. Hiller p. 25) 6 *μεγάλοις ἄχθεσι ... δεσποσύνοισι.*

Aesch. fr. 74, 4 *βοτῆρας τ' ἀδίκους κατέκτα* (cod. *κτεῖναι*)
δεσπότην τε τρίπτυχον (cod. *τριύτατον*) [1]).
Eur. Herc. 422 sqq. *βέλεσί τ' ἀμφέβαλλε ⟨ἰὸν⟩*
τὸν τρισώματον οἷσιν ἔκτα βοτῆρ' Ἐρυθείας.

Euripides autem non modo Aeschyli illam de Heraclidis fabulam, utpote quae ad eundem mythorum cyclum pertineret, in quo ipsius versabatur Hercules, respexit, sed etiam ex aliis fabulis Aeschyleis, quae ei apta videbantur, desumpsit et in suum vertit usum. Velut constat Lyssae personam ab eo inductam esse ad exemplum *Ξαντριῶν* Aeschyli, ubi illam deam prodisse Photius Lex. p. 326, 22 et Suidas s. t. *ὀκτώπουν* docent (cf. Aesch. fr. 169). „Er hat", inquit Wilamowitzius [2]), „in der Person Lyssas die mythische Versinnlichung des psychischen Affectes zur Einleitung verwandt, und er hat die sonst häufig und auch von ihm für den Tod des Lykos schon verwandte Sitte, einzelne Rufe hinter der Bühne ertönen und von dem Chore gedeutet werden zu lassen, in einziger Art erweitert und gesteigert, einmal dadurch, dass sie die einzelnen Akte der drinnen vorgehenden Handlung hervorheben, zum andern dadurch, dass die Rufe selbst nichts Thatsächliches melden, sondern der Chor in visionärer Erleuchtung die Erläuterung gibt, so dass der Zuschauer, ohne sich davon Rechenschaft geben zu können, in das Reich des Wunders mit entrückt wird. Es giebt nur eine vergleichbare Scene, die Visionen Kassandras vor der Ermordung des Agamemnon und diese selbst."

Cum Cassandra de dape Thyestea divinaverit, caterva abhorrens
Ag. 1099 . . . *προφήτας δ' οὔτινας ματεύομεν.*

Similiter apud Euripidem post nuntii illa *ἄλαστα τὰν δόμοισι* coryphaeus
Herc. 912 *μάντιν οὐχ ἕτερον ἄξομαι.*

Cassandra de Oreste redituro praefatur
Ag. 1282 sq. *φυγὰς δ' ἀλήτης τῆσδε γῆς ἀπόξενος*
κάτεισιν, ἄτας τάσδε θριγκώσων φίλοις.

---

1) Ceterum haud scio an Aeschylus in illa de Geryone superato stropha Stesichori secutus sit Geryoneidem. Similitudo quaedam dictionis etiam nunc cognosci potest. Ille enim fr. 6 de Sole: *Ἀέλιος . . δέπας ἐσκατέβαινεν χρύσεον, ὄφρα δι' Ὠκεανοῖο περάσας κτλ.* hic de Hercule fr. 74, 3 *ὠκεανὸν περάσας ἐν δέπᾳ* (sic pro *διπλῇ* Weil et Wilamow.) *χρυσηλάτῳ.* Ceterum de Solis illo vehiculo cf. Usener, Sintfluths. IV p. 130 sqq. et Rh. M. 56, 494.

2) Heracles I² p. 125.

Hercules de caede liberorum ab ipso perpetrata eandem adhibet metaphoram, cum dicit

Herc. 1279 τὸν λοίσθιον δὲ τόνδ᾽ ἔτλην τάλας φόνον,
παιδοκτονήσας δῶμα θριγκῶσαι κακοῖς [1]).

Agamemnonis parodi illa:

Κύριός εἰμι θροεῖν ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν
ἐκτελέων· ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει πειθώ,
μολπᾶν ἀλκάν, σύμφυτος αἰών· (cf. vv. 104 sqq.).

non dubitant vvdd., quin non modo de caterva dicta esse intellegenda sint, sed etiam ad ipsum poetam quodammodo respiciant, quem tunc, cum Agamemnonis componeret fabulam iam provectioris fuisse aetatis quis est quin sciat? [2]). Cuius loci non immemor fuisse videtur Euripides, cum et ipse catervam faceret similia dicentem

Herc. 673 sqq: *οὐ παύσομαι τὰς Χάριτας Μούσαις συγκαταμειγνύς,*
ἁδίσταν συζυγίαν. μὴ ζῴην μετ᾽ ἀμουσίας,
αἰεὶ δ᾽ ἐν στεφάνοισιν εἴην.
Ἔτι τοι γέρων ἀοιδὸς κελαδεῖ Μναμοσύναν
ἔτι τὰν Ἡρακλέους καλλίνικον ἀείδω. [3])

Aesch. Cho. 602 sqq. componuntur cum scelere Clytaemestrae famosissima mulierum parricidia, nimirum ab Althaea, Scylla, Lemniis mulieribus perpetrata. Similiter Eur. Herc. 1016 sqq. caedes liberorum ab Hercule effecta cum Procnae Danaidumque sceleribus confertur.

Deinde recurrunt in Hercule Euripidis nonnullae metaphorae locutionesque, quae iam apud Aeschylum inveniuntur.

Velut Prometheus saxo vinculis affixus conditionem suam cum nave contulerat, quae ancoris rudentibusque teneretur. Cuius loci quamquam versionem tantum Latinam novimus:

„. . . aspicite religatum asperis
vinctumque saxis, navem ut horrisono freto
noctem paventes timidi adnectunt navitae“ (Aesch. Prom. lib. fr. 193, 2 sqq.)

tamen neminem fugiet ab Euripide ad Aeschyleum illud exemplar expressa esse

1) Cf. Cho. 932. Tro. 489. Vide etiam supra p. 41.

2) Weilius de l. c. affirmat „. . . Quae non sine tristitia veterem militem Marathonium scripsisse puto.“

3) Wilamow. Herael. II [1] p. 174 sq. „. . . das hält sich im Rahmen des Stückes und ist nicht mehr als der Chor im ersten Liede des Agamemnon auch sagt, an das Euripides auch hier, wie 110, gedacht hat.“

Herculis expergiscentis seque columnae alligatum conspicientis haec:
Herc. 1094 sqq. *ἰδού, τί δεσμοῖς ναῦς ὅπως ὡρμισμένος*
νεανίαν θώρακα καὶ βραχίονα,
πρὸς ἡμιθραύστῳ λαΐνῳ τυκίσματι
ἧμαι κτλ.; [1]).

Aesch. Cho. 576 gladius quodammodo cum reticulo vel plaga confertur, qua Aegisthus circumicitur. Orestes enim ... *νεκρὸν* inquit
θήσω ποδώκει περιβαλὼν χαλκεύματι.

Quam similitudinem ab Aeschylo receptam magis excoluit Euripides
Herc. 729 sq. .. *βρόχοισι δ' ἀρκύων γενήσεται* (Pierson *δεδήσεται*) *ξιφηφόροισι.*

Orestes apud Aeschylum furore correptus affirmat cor suum saltare atque ad numerum modosque a Timore indicatos se movere
Cho. 1024 sq. ... *πρὸς δὲ καρδίᾳ φόβος*
ᾄδειν ἕτοιμος, ἡ δ' ὑπορχεῖσθαι κρότῳ (Sic Abreschius pro *κότῳ*).

Similem metaphoram sibi sumpsit Euripides, cum Herculem iam delirantem sic finxit a Lyssa appellari
Herc. 871 *τάχα σ' ἐγὼ μᾶλλον χορεύσω καὶ καταυλήσω φόβῳ* [2]).

Praeterea velim conferas
Prom. 903 c *ἀπόλεμος ὅδε γ' ὁ πόλεμος*
cum Herc. 1133 *ἀπόλεμον, ὦ παῖ, πόλεμον ἔσπευσας τέκνοις.*

Cresphontes [3]) Euripidis locum exhibet, quo poeta ad Septem Aeschyli respexisse videatur:
Aesch. Sept. 936 sqq. (*ἐτελεύτησαν*) *ἔριδι μαινομένᾳ*
941 sqq. *πικρὸς λυτὴρ νεικέων ....*
.... θηκτὸς σίδαρος.
Eur. fr. 453, 10 sqq. *τὰν δ' ἐχθρὰν στάσιν εἶργ' ἀπ' οἴκων τὰν μαινομέναν τ' ἔριν θηκτῷ τερπομέναν σιδάρῳ.*

Erechtheus, quam una cum Supplicibus doctam esse Wilamowitzius coniecit, unum exhibet locum, qui cum Aeschyleo versu ad verbum fere congruit:
cf. Aesch. Prom. 505 *βραχεῖ δὲ μύθῳ πάντα συλλήβδην μάθε*
Eur. Erechth. fr. 362, 5 *βραχεῖ δὲ μύθῳ πολλὰ συλλαβὼν ἐρῶ.*

1) Wilamow. Her. II² p. 229 ad v. 1094.

2) Wilamowitzius de hoc versu „hier ist *φόβος* das Instrument, auf welchem Lyssa dem Heracles den Takt zu seinem *ῥυθμός, πίτυλος μανίας* spielt."

3) De Cresphonte una cum Heraclidis docta cf. Wilamow. A. E. p. 175.

Sed iam satis est. Si locorum collectionem ad Aeschyli exemplum compositorum, quam modo dedimus, perlustramus, hoc fere apparet: Hippolytum praeter ceteras alterius aetatis fabulas impressis vestigiis non tam aliorum Aeschyli dramatum, quam Promethei abundare, sed ita comparatis, ut saepe in dubio versemur, utrum illae similitudines nescio cui casui seu potius fortuitae memoriae, ut ita dicam, tribuendae sint an imitationi consulto factae. Andromacham, Hecubam, Herculem haud ita insignes esse eiusmodi locis observavimus; contra et in Hecuba et in Hercule nobis occurrere totas scaenas quodammodo ad Aeschyli exemplum expressas, ut mittamus praestantissimas locutiones figuratas, quas quin Euripides ab Aeschylo desumptas in suum verterit usum, dubitari nequit. Heraclidas vero Supplicesque non modo oeconomia, sed etiam dictione Aeschyleam Supplices imitari suo loco satis demonstratum est. Ab altera parte non desunt loci, quibus Euripides tragicae artis magistrum admodum ingrate perstrinxisse videatur.

Cum hac altera Euripideae poeseos aetate si priorem illam contulerimus, discrimina magni momenti vix eruemus, praeterquam quod argumenta huius periodi in materia ab illis longe diversa versantur. Atque Euripidem etiam tunc, cum novas inauditasque proferret fabulas, adeo non contempsisse Aeschyleam artem, ut non modo certas quasdam phrases ab illo mutuaretur, sed etiam interdum totos eius versus ad verbum fere exprimeret, iam supra monuimus. Praeterea hoc quoque considerandum est, omnes eas primae aetatis fabulas, quarum argumentum Aeschylus iam attigerat, nonnisi fragmentis perlaceris esse notas, vix ut interdum argumentum perspicere possimus, nedum accurate cum Aeschyleis exemplaribus conferre liceat oeconomiam dictionemque. Medeam vero et Alcestidem, quamquam in his argumentis suus est Euripides, tamen Aeschyleis locutionibus metaphorisque scatere ex eis, quae supra collegi, exemplis, ni fallor, clarescit. Atque iam tum Euripidem exstitisse Aeschyli quamvis mortui castigatorem e Medeae illo de mulierum conditione loco discimus.

Age vero iam ad fabulas transeamus annorum 415—408 „tempestatis summi patriae discriminis, cui debentur fabulae poeta minus dignae.“ Ac primum quidem huius aetatis absolvamus dramata deperdita eorum, quae ad Aeschyli exemplum composita esse videntur. **Palamedis** argumentum, ut ex hac tragoedia ordiamur, ab Aeschylo iam cognomine fabula esse tractatum schol. A Il. Δ 319 docet. Ac ne Sophocles quidem hanc

materiem praetermisit: neque enim Palamedem solum, sed etiam Nauplium composuit et *καταπλέοντα* et *πυρκαέα*, quibus illius argumentum quodammodo continuaretur. Quemadmodum autem trium tragicorum de Palamede fabulae inter se distinctae fuerint, accurate erui adeo nequit, ut solam Euripidis tragoediam paulo melius habeamus cognitam, inter quam et Hygini fab. 105am satis artas intercedere necessitudines vvdd. docent[1]). Liceat ea proferre, quae Welckerus de similitudine trium tragoediarum disputavit; cum enim explicuerit, quomodo in Cypriis formatus esset ille de Palamedis nece mythus: „In der Tragödie", inquit, „erfuhr diese Fabel die grosse Veränderung, dass gegen Palamedes von seinem Nebenbuhler Odysseus, welchen er vor dem Auszug überlistet hatte, eine falsche Anklage des Verrats aufgebracht, und er im Gerichte von diesem besiegt und von den Achäern zum Tode verurteilt wurde. Dies war das Gemeinsame in dem Palamedes der drei Tragiker; dazu, dass der Beklagte zu seiner Verteidigung seine Verdienste um das Heer, und damit seine berühmten Erfindungen aufzählte" [2]). Ulixem in Aeschylea fabula ad turpissimam illam fraudem esse adductum prisco in Palamedem odio, quia hic Telemacho ipsius filio usus erat ad Ulixis simulatum furorem detegendum Welckerus Aesch. Tril. p. 468 e fragmento 181° sagacissime collegit[3]). Schmidtius vero, quoniam apud Hyginum Serviumque similis Ulixeae fraudis causa profertur, nil obstare censet „quin Euripidem quoque ad Aeschyli exemplum hac re usum esse coniciamus" [4]). Palamedes igitur utrobique in ius vocatus malignam Ulixis criminationem ita infringere studet, ut quae de Achivorum exercitu bene sit meritus, enumeret suaque explicet inventa. Quibus de orationibus, quas et Aeschylus et Euripides Palamedem apud iudices habentem fecerunt, bene accidit, quod nonnulla tulerunt aetatem. Apud Aeschylum enim ille fr. 182:

---

1) Welcker, Griech. Trag. II p. 503. J. O. Schmidt, Ulixes posthomericus I p. 73. Laudandus praeter Hyginum Servius ad Aen. II 81.

2) Griech. Trag. I p. 129 sq.

3) Aesch. Tril. p. 467 sq., ubi tamen aliam de Palamedis nece opinionem atque postea protulit. Nauplii esse haec verba: *τίνος κατέκτας κτλ.* Butlerus et Vaterus putaverant. Demonstrat tamen Welckerus l. c. Nauplium omnino non prodisse apud Aeschylum. Idem sensit de fragmento illo Schmidtius l. l. p. 49.

4) l. l. p. 73.

καὶ ταξιάρχας καὶ στρατάρχας καὶ ἑκατοντάρχας
ἔταξα, σῖτον δ' εἰδέναι διώρισα,
ἄριστα, δεῖπνα δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρίτα [1]).

Euripidem quoque Palamedem fecisse talia de se praedicantem e fr. 578° clarescit:

τὰ τῆς γε λήθης φάρμακ' ὀρθώσας μόνος,
ἄφωνα φωνήεντα συλλαβὰς τιθεὶς
ἐξηῦρον ἀνθρώποισι γράμματ' εἰδέναι [2]),
ὥστ' οὐ παρόντα ποντίας ὑπὲρ πλακὸς
τἀκεῖ κατ' οἴκους πάντ' ἐπίστασθαι καλῶς,
παισίν τ' ἀποθνήσκοντα χρημάτων μέτρον
γράψαντας εἰπεῖν, τὸν λαβόντα δ' εἰδέναι.
ἃ δ' εἰς ἔριν πίπτουσιν ἀνθρώποις κακὰ
δέλτος διαιρεῖ, κοὐκ ἐᾷ ψευδῆ λέγειν.

Quibus in versibus componendis Euripides non modo ad Palamedem Aeschyli respexisse videtur, sed etiam ex eiusdem Prometheo (cf. 442—71, 476—506) nonnulla mutuatus est, quod optime perspicies, si cum illius fragmenti initio comparaveris Aesch. Prom. 459 sqq.:

καὶ μὴν ἀριθμόν, ἔξοχον σοφισμάτων,
ἐξηῦρον αὐτοῖς γραμμάτων τε συνθέσεις
μνήμην ἁπάντων, μουσομήτορ' ἐργάνην [3]).

1) Similiter Sophocles Palam. fr. 438:

οὐ λιμὸν οὗτος τῶνδ' ἔπαυσε, σὺν θεῷ
εἰπεῖν, χρόνου τε διατριβὰς σοφωτάτας
ἐφηῦρε κτλ.;

et Naupl. fr. 399:

οὗτος δ' ἐφηῦρε τεῖχος Ἀργείων στρατῷ,
σταθμῶν ἀριθμῶν καὶ μέτρων εὑρήματα
τάξεις τε ταύτας οὐράνιά τε σήματα κτλ.

2) Hoc loco Euripidem cum Stesichoro consentire ex Schol. Dionys. Thr. p. 786, 12 apparet: *Στησίχορος δὲ Παλαμήδην εὑρετὴν αὐτῶν* (scil. *τῶν γραμμάτων*) *ποιεῖται, ᾧ συμφωνεῖ καὶ Εὐριπίδης.*

3) Quos versus ex Palamede in Prometheum illatos esse Kiehlius coniecit. Ad eandem Aeschyli Palamedem rettulit Blomfieldus adesp. 470

ἔπειτα πάσης Ἑλλάδος καὶ ξυμμάχων
βίον διῴκησ' ὄντα πρὶν πεφυρμένον
θηρσίν θ' ὅμοιον. πρῶτα μὲν τὸν πάνσοφον
ἀριθμὸν ηὕρηκ' ἔξοχον σοφισμάτων

quae leguntur Stob. Ecl. I prooem. coroll. 1 a p. 15, 12 adhaerentia Prom. vv. 454—459 modo collaudatis.

Sed ut iam ad argumentum redeamus, Palamedes quamvis diserte tamen frustra suam dicit causam. Persuadet Ulixes Achivorum principibus proditionem molitum esse Naupliadam [1], sumuntque supplicium de eo. Hucusque igitur Euripides cum Aeschylo conspirare videtur. Apud illum quomodo Palamedes eiusque frater Oeax Achaeorum vindictam praeparaverint, illustrant scholia Arist. Thesm. v. 771: *ὁ γὰρ Εὐριπίδης ἐν τῷ Παλαμήδει ἐποίησε τὸν Οἴακα τὸν ἀδελφὸν Παλαμήδους ἐπιγράψαι εἰς τὰς ναῦς τὸν θάνατον αὐτοῦ, ἵνα φερόμεναι αὗται ἔλθωσιν εἰς τὸν Ναύπλιον τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ ἀπαγγείλωσι τὸν θάνατον αὐτοῦ· ὥσπερ Οἴαξ τῷ Ναυπλίῳ γράφει ἐν τῷ Παλαμήδει Εὐριπίδου· ὁ γὰρ Οἴαξ ἐγχαράττει πολλαῖς πλάταις τὰ περὶ τὸν Παλαμήδην καὶ ἀφίησιν εἰς θάλασσαν, ὥστε μιᾷ γέ τινι τὸν Ναύπλιον προσπεσεῖν.*

In Aeschylea fabula quidnam post Naupliadae supplicium sit factum, nescitur. Welckerus vero suo iure monet de discrepantia, quam in describendis Ulixis moribus inter tres tragicos intercessisse videatur, etsi non intellego, quomodo vel Aeschylus illius malignitatem fraudemque turpissimam obumbrasse censendus sit, ut non contemnendus videretur Ulixes [2]).

Tres tragicae artis principes, ut Palamedis argumentum attigerunt omnes, ita etiam de Glauco Polyidoque tragoediam composuerunt unusquisque, Aeschylus Cressas, Sophocles vates, Euripides **Polyidum** [3]). De Euripideae fabulae argumento, ut fere fit, plura habemus cognita quam de Sophoclea, nedum de Aeschylea, cuius fragmenta tam exigua sunt, ut omni fere comparandi copia destituti simus.

Proficiscuntur vvdd. in restituenda Polyido Euripidis ab Hygin. fab. 136 [a] et Apollod. III 3, 1, ubi, quae narrantur, etiam Aeschyli Sophoclisque argumentis non dissimilia fuisse putandum est [4]).

1) Schmidt l. l. p. 49 „quae quidem praeterea Ulixes (apud Aeschylum) de ipso scelere protulerit, plane incerta sunt, quamquam ex posteriorum scriptorum testimoniis etiam de Aeschyleo dramate colligi poterit falsum fuisse proditionis crimen et a Laertiada maligne confictum." Welcker, Griech. Trag. I 131: „In Ansehung der gegen Palamedes erhobenen Beschuldigungen lässt sich nur, was Euripides vorgebracht hat, erforschen, und es ist nicht zu erraten, was die beyden Aelteren eigen gehabt haben."

2) Cf. Welcker l. l. p. 130 et Schmidt p. 49.

3) Carl Eckermann, Melampus und sein Geschlecht, ein Cyclus mythologischer Untersuchungen, p. 140 sqq.

4) Welcker, Griech. Trag. II 767 sqq.

Scaenam Cretae fuisse in propatulo est. Praeter ipsum Polyidum vatem quin Minos rex, Glauci pater, prodierit idque apud omnes tres poetas, nullus dubito. Chorum effecisse apud Aeschylum Cressas mulieres e titulo elucet [1]). Sophocles contra vates produxit Curetes, qua in re cum eo Euripidem fecisse, ut qui et ipse sacerdotum catervam adhibuisset. Eckermannus l. l. p. 141 adn. putabat Cretenses Polyidumque unam eandemque fabulam fuisse ratus. Vydd. autem iam dudum evicerunt non ad Polyidi res, sed ad Daedali Pasiphaaeque mythum hoc drama spectasse, ita ut de Eckermanni coniectura actum sit. Illud de vitulo moroque tricoloribus aenigma apud neminem tragicorum defuisse apparet [2]). Quo soluto Polyidum in Aeschylea quoque fabula a Minoe minis coactum esse filium desideratum restituere e fr. 117 *αὐτορέγμονος πότμου* collegit Welckerus [3]). Glaucus redivivus haud scio an apud Euripidem sub fine fabulae prodierit suasque egerit partes [4]): de Aeschylo tale quid conicere nolim.

Cum Aesch. fr. 392 *ἦ βαρὺ φόρημ᾽ ἄνθρωπος εὐτυχῶν ἄφρων*
similitudinem quandam exhibet
Eur. Polyid. fr. 643 *βαρὺ τὸ φόρημ᾽* [5]) *οἴησις ἀνθρώπου κακοῦ.*

Circa annos 420—410 **Oedipum** esse doctam Wilamowitzius A. E. p. 156 affirmavit. Cuius in mytho tragice exornando et Aeschylus et Sophocles praecesserant Euripidi, qui, cum alterius de Oedipo fabulam nullo modo aequiperari posse non ignoraret, quid mirum, quod omnino novam et ab illis diversissimam tragoediam de eodem composuit mytho? Oedipus Aeschyli medium tenet trilogiae locum inter Laium et Septem, cuius ternionis argumentum praeter ceteros summatim restituit Wecklinus [6]). Idem vd. Euripidis quoque Oedipo lucem afferre conatus est (Sitzungsb. d. Münch. Ak. 1901).

---

1) Cf. Welcker l. l. p. 768 („Aeschylus hatte für die Tragödie vom Glaukos den weiblichen Chor der Kreterinnen gewählt, vermutlich um durch dessen Klagelieder die Bestürzung und Trauer des Minos und des Volks über das vermisste, nachher tot gefundene Königskind desto eindringlicher darzustellen“).

2) Cf. Aesch. fr. 116. Soph. fr. 363.

3) l. l. p. 770.

4) Ex hac re mihi apparere videtur, quod saepissime hoc drama appellatur Glaucus (cf. fr. 637, 643, 644).

5) Sic Salmasius pro *φρόνημ᾽*.

6) Ed. Sept. praef. p. 6 sqq., ubi etiam alia huc pertinentia enumerantur scripta.

Sophocleam fabulam huc spectantem si ad comparandum admittimus, apparet multo maiorem inter hanc Aeschyleamque intercedere similitudinem, quam inter Aeschyli Euripidisque Oedipum. Accuratius explicare, quae ab Euripide novata sint meum non est. Eo autem maxime a prioribus discedit, quod Oedipum a satellitibus Lai enecati obcaecari fingit, Iocastamque quamvis Oedipodis patefacta sint et patricidium et incestus, in vita facit permanentem [1]).

Haec autem ab Aeschylo Sophocleque recepta facere nequivit Euripides, quin retineret: et ipse enim finxit

1. Oedipodem infantem a Laio expositum esse oraculo invito progenitum;

2. deinde mirum in modum servatum ad Polybum Corinthiorum regem pervenisse;

3. adultaque aetate occidisse inscium suum ipsius patrem;

4. soluto vero Sphingis aenigmate Thebanorum regnum adeptum Iocastam ipsius matrem duxisse in matrimonium,

5. donec infanda eius scelera quodammodo luerentur crudelissima obcaecandi poena. — Etenim quamvis aliter atque Aeschylus fecit, Euripides Oedipodem obcaecari finxisse censendus sit, tamen merito Schneidewinus monet „und so vielfach die Art der Blendung umgewandelt ist, nirgend wird eine andere Bestrafung an die Stelle gesetzt, mag Oedipus, und das ist das Aechte, für seine geistige Blindheit sich eigenhändig der Augen berauben, oder wie bei Euripides (?) im *Οἰδίπους*, die Waffengefährten des Laios, oder nach Scholl. Eur. Phoen. 26, sein durch ein Orakel über den Vatermord in Kenntnis gesetzter Pflegevater Polybus ihn blenden“ [2]).

Plura autem de similitudine, quae inter Euripideae Oedipodis argumentum Aeschyleumque intercessisse videatur, non ausim pro-

1) Sic quidem statuit Welckerus, Griech. Trag. II p. 545 sq. („Jokaste nahm sich das Leben nicht, wie wir sie denn auch in den Phönissen wieder antreffen“); Wecklinus vero l. l. p. 692 omnino aliter de Iocastae sorte sentit („Jokaste erfährt die entsetzliche Wahrheit, dass sie die Gemahlin ihres Sohnes ist und erhängt sich“).

2) F. W. Schneidewin, Sage vom Oedipus. Abh. d. Ges. d. Wiss. zu Gött. 1852, p. 167. Atque Wecklinus sagacissime coniecit Polybum oraculo audito Oedipum patricidam fore Thebas profectum Lai satellites certiores fecisse de caedis regiae auctore eisque persuasisse, ut illi oculos effoderent. Sic enim Polybum putasse tutum se fore ab imminente periculo (cf. l. l. p. 691), utpote qui etiam tum ignoraret non e sua stirpe Oedipum oriundum fuisse.

ferre. Hoc solum monuerim: in Euripidea fabula amplius sermonem fuisse de Sphinge haud scio an ex Iohannis Malalae verbis eluceat, qui p. 53, 12 *ὁ γὰρ σοφώτατος Εὐριπίδης*, inquit, *ποιητικῶς ἐξέθετο δρᾶμα περὶ τοῦ Οἰδίποδος καὶ τῆς Ἰοκάστης καὶ τῆς Σφιγγός*: cuius belluae ex descriptione desumptum esse videtur Eur. Oed. fr. 540 *Οὐρὰν δ' ὑπίλασ' ὑπὸ λεοντόπουν βάσιν Καθέζετο* . . .

Neque dubito, quin in Laio vel in Sphinge Aeschyli iam haec bestia quodammodo adumbrata fuerit, unde facile quid in Euripidis de Sphinge narrationem fluere potuit.

Ceterum Oedipodis in fragmentis nonnullae insunt sententiae, quas cum Aeschylo similitudinem quandam habere affirmaverim: velut Choephoron illius stasimi: *πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει κτλ.* (585 sqq.) quasi summam praebet

Eur. Oed. fr. 544 *ἄλλως δὲ πάντων δυσμαχώτατον γυνή.*

Praestantiores esse viros mulieribus in Eumenidibus si non aperte dicitur, tamen ex Apollinis (625 sqq. 657 sqq.) Minervaeque (736 sqq.) orationibus iudicioque sine dubio intelligendum est.

Vix autem apertius haec sententia edici potuit, quam Euripides fecit Oed. fr. 546: *πᾶσα γὰρ ἀνδρὸς κακίων ἄλοχος,*
κἂν ὁ κάκιστος
γήμῃ τὴν εὐδοκιμοῦσαν.

Cum Aesch. Cho. 61 sqq. c *ῥοπὴ δ' ἐπισκοπεῖ δίκας,*
ταχεῖα τοὺς μὲν ἐν φάει
τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου
μένει χρονίζοντας ἄχη [βρύει] κτλ.

similitudinem quandam habet

Eur. Oed. fr. 555, 2 (*οὐ δῆκταί πως κύνες οἱ θεοί, ἀλλ'*)
ἡ Δίκη γὰρ καὶ διὰ σκότου βλέπει.

Iam vero ad aliam huius aetatis fabulam nos convertamus, ad **Ixionem.**

Aeschyli Ixionem cum Perrhaebidibus in eadem trilogia coniunctam fuisse, ita ut hic narraretur, quomodo Ixion Deioneum socerum dona nuptialia a se exigentem turpiter enecuisset, ibi autem de illius lustratione ab ipso Iove effecta ageretur deque Ixionis novo scelere in Iunonem commisso eiusque poena, K. O. Muellerus rectissime evicit (Götting. gel. Anz. 1827, p. 670 sq.). E schol. Pind. Pyth. II 21 (39) *τὸν δὲ Ἰξίονα οἳ μὲν Ἀντίονος* (*Ἀντίωνος* in aliis libris) *γενεαλογοῦσιν, ὡς Αἰσχύλος, Φερεκύδης δὲ Πεισίωνος, ἔνιοι δὲ Ἄρεος, οἳ δὲ Φλεγύα* vvdd. collegerunt, quoniam Diodorus Siculus IV 69, 3 idem nomen Ixionis patri tribuit atque

Aeschylum fecisse scholiasta ille auctor est, cetera quoque in Diodori narratione cum Aeschylo congruere. Ἀντίων, inquit ille l. l. . . . ἐγέννησεν Ἰξίονα. οὗτος δ', ὥς φασιν, ὑποσχόμενος ἕδνα πολλὰ δώσειν Δηιονεῖ [1]) ἔγημε τὴν Δηιονέως θυγατέρα Δίαν, ἐξ ἧς ἐγέννησε Πειρίθουν. ἔπειθ' ὁ μὲν Ἰξίων οὐκ ἀπέδωκε τὰ ἕδνα [τῇ γυναικί], ὁ δὲ Δηιονεὺς τὰς ἵππους ἀντὶ τούτων ἠνεχύρασεν· ὁ δ' Ἰξίων τὸν Δηιονέα μετεπέμψατο ἐπαγγελλόμενος πάντα ὑπακούσεσθαι καὶ τὸν Δηιονέα παραγενόμενον ἔβαλεν εἰς βόθρον πυρὸς μεστόν. διὰ δὲ τὸ [2]) μέγεθος τῆς παρανομίας μηδένα βούλεσθαι καθᾶραι τὸν φόνον· [3]) τέλος δὲ ὑπὸ τοῦ Διὸς κατὰ τοὺς μύθους ἁγνισθεὶς [4]) ἠράσθη μὲν τῆς Ἥρας καὶ κατετόλμησεν ὑπὲρ συνουσίας λόγους ποιεῖσθαι. ἔπειτα τὸν μὲν Δία εἴδωλον ποιήσαντα τῆς Ἥρας νεφέλην ἐξαποστεῖλαι, τὸν δὲ Ἰξίονα τῇ νεφέλῃ μιγέντα γεννῆσαι τοὺς ὀνομαζομένους κενταύρους ἀνθρωποφυεῖς. τέλος δὲ μυθολογοῦσι τὸν Ἰξίονα — ὑπὸ Διὸς εἰς τροχὸν ἐνδεθῆναι καὶ τελευτήσαντα τὴν τιμωρίαν ἔχειν αἰώνιον [5]). Hanc igitur materiem, quam Aeschylus Perrhaebidibus et Ixione (et vel tertia fabula?) tractavit, in una Ixionis tragoedia coegit Euripides. Quem ab Aeschylo non modo in eo, quod e Phlegya oriundum esse fingit Ixionem, discrepuisse, sed etiam in rebus maioris momenti in propatulo est.

Sed iam Welckerus Griech. Trag. II p. 750 monet: „Wie Euripides die Fabel genommen habe, ist unbekannt; vermuten aber lässt sich der neue Charakter, unter dem sein Ixion auftrat. Es brachte dieser die Unrechtlichkeit auf Grundsätze zurück und bestritt mit der frechsten Sophistik das Wesen aller Tugend und Pflicht" [6]).

---

1) Sic Cobetus pro Ἠιονεῖ hic et in sequentibus verbis.

2) 3) Supplevit Wecklinus διὰ δὲ τὸ ⟨διὰ τὸ⟩ μέγεθος . . . τὸν φόνον ⟨λύσσα ἐνέπεσεν αὐτῷ⟩.

4) Cf. Eum. 441 σεμνὸς προσίκτωρ ἐν τρόποις Ἰξίονος, ubi scholiasta . . . πρῶτος γὰρ Ἰξίων φόνον ποιήσας ἐκαθαρίσθη ὑπὸ Διὸς et Eum. 717 sq. ἦ καὶ πατήρ τι σφάλλεται βουλευμάτων Πρωτοκτόνοισι προστροπαῖς Ἰξίονος; schol. καθάρας τὸν πρωτομυσῆ Ἰξίονα.

5) Ixionem tandem aliquando gravi poena esse multatum etiam apud Aeschylum Muellerus l. l. persuasum habet („nur soviel hält Ref. für gewiss, dass die Geschichte, welche mit jener Mordthat anhob, nicht eher als mit Ixions Bestrafung aufhören konnte").

6) Aesch. Eum. 430 Minerva furiarum principi hoc crimini dat:

κλύειν δίκαιος μᾶλλον ἢ πρᾶξαι θέλεις

Apud Euripidem quoque Ixionem scelera sua merita luisse poena — id quod de Aeschyleo si non constat, attamen certe iudicandum est — Plutarchi apparet testimonio, qui de audiendis poetis c. 4, p. 19 *E*: *ὥσπερ ὁ Εὐριπίδης εἰπεῖν λέγεται πρὸς τοὺς τὸν Ἰξίονα λοιδοροῦντας ὡς ἀσεβῆ καὶ μιαρόν, „οὐ μέντοι πρότερον αὐτὸν ἐκ τῆς σκηνῆς ἐξήγαγον ἢ τῷ τροχῷ προσηλῶσαι"*, quibus cum verbis velim conferas schol. Eur. Phoen. 1185 *ὀργισθεὶς δὲ ὁ Ζεὺς ὑποπτέρῳ τροχῷ τὸν Ἰξίονα δήσας ἀφῆκε τῷ ἀέρι φέρεσθαι μαστιζόμενον καὶ λέγοντα „χρὴ τιμᾶν τοὺς εὐεργέτας."*

In captivarum **Troadum** rebus tragice exornandis Aeschylus Euripidi non praeivit: quod non obstat, quin Euripideae Troadibus cum aliorum Aeschyli dramatum vestigia invenias impressa tum vel Agamemnonis, utpote quae et ipsa cum Troianorum bello artissime cohaereat. Troadum in prologo breviter a Neptuno narratur, quomodo Pergamum expugnatum eversumque sit (cf. Tro. 7 sqq.); de excidio Troiae ab illis haud diversa Aeschylus iam fecerat referentes et nuntium (cf. Ag. 525 sqq.) et ipsum Agamemnonem (ib. 818 sqq.).

Apud Aeschylum Clytaemestra de victoria Graecorum certior facta in timore videtur versari, ut illi manus abstineant deorum templis sacrisque:

(Ag. 338) *εἰ δ' εὐσεβοῦσι*, inquit, *τοὺς πολισσούχους θεοὺς*
τοὺς τῆς ἁλούσης γῆς θεῶν θ' ἱδρύματα,
οὔ τἂν ἑλόντες αὖθις ἀνθαλοῖεν (sic Auratus pro
αὖ θάνοιεν) *ἄν κτλ.*

Atque quae Clytaemestra hic metuit, ea in Troadibus evenisse videmus. Indignantur Neptunus et Minerva tam insolentes impiosque se praebuisse Graecos, ut ne locis sacris divinisque quidem parcerent constituuntque redeuntem classem Achivorum procellis fulminibusque pessumdare. Neptunus quidem similiter atque Clytaemestra Agamemnonis l. l.

Eur. Tro. 95 sqq. *μῶρος δέ*, inquit, *θνητῶν ὅστις ἐκπορθεῖ πόλεις,*
ναούς τε τύμβους θ', ἱερὰ τῶν κεκμηκότων,
ἐρημίᾳ δοὺς αὐτὸς ὤλεθ' ὕστερον.

cf. etiam Ag. 788 sq. *πολλοὶ δὲ βροτῶν τὸ δοκεῖν εἶναι*
προτίουσι δίκην παραβάντες.

Haec tamquam norma vitae statuitur fr. adesp. Ixion. 4
τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο,
τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος ἔνθα κερδανεῖς.

quae non dubitant vvdd. quin ab Euripidis Ixione dicta sint (cf. Welcker l. l. p. 750, Weckl. Aesch. fr. p. 516).

Tempestatem vero, de qua cienda inter ambos convenit deos, Euripides tantum indicandam curavit. In Aeschylea fabula iam de eventu procellae erat relatum.

In Agamemnonis canticis identidem sermo est de Helenae adulterio, quam ut infelicissimi belli auctricem caterva detestatur. Unde nonnulla fluxerunt in Hecubae illam orationem, qua persuadere conatur Menelao, ut uxorem supplicio afficiat. Velut ad

Ag. 687 sqq. *ἐπεὶ πρεπόντως*
ἑλέναυς, ἕλανδρος, ἑλέπτολις,
. . . ἔπλευσεν

sine dubio respiciunt

Tro. 890 sqq. (*αἰνῶ σε, Μενέλα᾽, εἰ κτενεῖς δάμαρτα σήν.*)
ὁρῶν (*ὁρᾶν*?) *δὲ τήνδε φεῦγε, μή σ᾽ ἕ λ ῃ π ό θ ῳ.*
αἱρεῖ γὰρ ἀνδρῶν ὄμματ᾽, ἐ ξ α ι ρ ε ῖ π ό λ ε ι ς,
πίμπρησι δ᾽ οἴκους· ὧδ᾽ ἔχει κηλήματα.

Cum Ag. 694 sqq. *πολύανδροί τε φεράσπιδες κυναγοὶ*
κ α τ᾽ ἴ χ ν ο ς πλατᾶν . . . . κτλ.

similitudinem quandam habent

Tro. 1002 sq. *ἐπεὶ δὲ Τροίαν ἦλθες, Ἀργεῖοί τέ σου*
κ α τ᾽ ἴ χ ν ο ς κτλ. [1])

Iam Aeschylus in Agamemnone Cassandram iusserat prodire vaticinandi furore correptam idque ita, ut primo eam faciat lyricis modis utentem, tunc descendentem ad senarios. Haud aliter instituit rem Euripides, cum induceret Cassandrae personam. Quae quamvis in ceteris rebus diversa sit ab Aeschylea, tamen nonnulla communia videtur habere cum hac. Etenim utraque Cassandra praedicit Agamemnonis suamque ipsius caedem neque tacet de matricidio ab Oreste perpetrato (cf. Ag. 1281 *μητροκτόνον φίτυμα* et Eur. Tro. 363 *μητροκτόνους ἀγῶνας*). Utraque Cassandra conquesta quod tam turpem in modum peritura sit, cum Apollinis fuerit sacra, abicit insignia muneris a deo assignati:

Aesch. Ag. 1264 sqq. *τί δῆτ᾽ ἐμαυτῆς καταγέλωτ᾽ ἔχω τάδε,*
καὶ σκῆπτρα καὶ μαντεῖα περὶ δέρῃ στέφη;
σὲ μὲν πρὸ μοίρας τῆς ἐμῆς διαφθερῶ.
ἴτ᾽ ἐς φθόρον πεσόντ᾽, ἐγὼ δ᾽ ἅμ᾽ ἕψομαι.

---

1) Fortasse ad Aeschylea illa item de Helena dicta Ag. 742 sqq. *μαλθακὸν ὀ μ μ ά τ ω ν βέλος, Δηξίθυμον ἔρωτος ἄνθος. Παρακλίνασ᾽ ἐπέκρανεν κτλ.* respiciunt ea, quae Andromacha illi crimini vertit Tro. 772 sq. *ὄλοιο· κ α λ λ ί σ τ ω ν γὰρ ὀ μ μ ά τ ω ν ἄ π ο Αἰσχρῶς τὰ κλεινὰ πεδί᾽ ἀπώλεσας Φρυγῶν*

Eur. Tro. 451 sqq. ὦ στέφη τοῦ φιλτάτου μοι θεῶν, ἀγάλματ' εὔια,
χαίρετ'. ἐκλέλοιφ' ἑορτάς, αἷς πάροιθ' ἠγαλλόμην.
ἴτ' ἀπ' ἐμοῦ χρωτὸς σπαραγμοῖς, ὡς ἔτ' οὖσ'
ἁγνὴ χρόα
δῶ θοαῖς αὔραις φέρεσθαί σοι τάδ', ὦ μαντεῖ' ἄναξ.

Deinde in Aeschylea fabula caterva sibi fingit Paridem Lacedaemone cum Helena redeuntem hymenaeis esse celebratum, devastata autem urbe hymenaeorum loco lugubres audiri cantus et diras, quibus devoverent Troes Alexandrum

Aesch. Ag. 707 sqq. . . . . . . ὑμέναιον, ὃς τότ' ἐπέρρεπεν
γαμβροῖσιν ἀείδειν.
μεταμανθάνουσα δ' ὕμνον
Πριάμου πόλις γεραιὰ
πολύθρηνον μέγα που στένει κτλ.

Similis sententia recurrit in Troadibus. Comparat enim Hecuba questus lamentationesque, quas nunc edit, cum pristinis laetificis cantibus

Tro. 146 sqq. μάτηρ δ' ὡσεί τις πτανοῖς κλαγγὰν
ὄρνισιν ὅπως[1]) ἐξάρξω 'γὼ
οἵαν ποτὲ δὴ
σκήπτρῳ Πριάμου διερειδομένα
ποδὸς ἀρχεχόρου πλαγαῖς Φρυγίαις
εὐκόμποις ἐξῆρχον θεούς.

In utraque fabula recurrit similitudo illa de baculo dicta, quippe quo senes tamquam tertio utantur pede:

cf. Aesch. Ag. 73 sqq. (ἡμεῖς . . . .) μίμνομεν ἰσχὺν
ἰσόπαιδα νέμοντες ἐπὶ σκήπτροις
et 79 sqq. τί θ' ὑπέργηρως φυλλάδος ἤδη
κατακαρφομένης; τρίποδας μὲν ὁδοὺς
στείχει κτλ.

Eur. Tro. 275 sq. ἐγὼ δὲ τῷ πρόσπολος ἁ τριτοβάμονος χερὶ
δευομένα βάκτρου γεραιῷ κάρᾳ;

De Oreste calamitatibus domus Atridarum tamquam fastigium imponente matris caede Cassandra

Aesch. Ag. 1283 κάτεισιν, inquit, ἄτας τάσδε θριγκώσων
φίλοις.

1) Simile ab avibus petitum iam Aeschylus Ag. 48 sq. adhibuerat: μέγαν ἐκ θυμοῦ κλάζοντες Ἄρη τρόπον αἰγυπιῶν.

Eodem simili utitur Euripides, cum Hecubam facit querentem Tro. 489 τὸ λοίσθιον δέ, θριγκὸς ἀθλίων κακῶν,
δούλη γυνὴ γραῦς Ἑλλάδ' εἰσαφίξομαι.

Restat, ut breviter enumerem, quarum praeter Agamemnonem fabularum vestigia Troadibus impressa sint:

Pers. 421 ἀκταὶ δὲ νεκρῶν χοιράδες τ' ἐπλήθυνον.
Tro. 89 ἀκταὶ δὲ Μυκόνου Δήλιοί τε χοιράδες
Σκῦρός τε Λῆμνός θ' αἱ Καφήρειοί τ' ἄκραι
πολλῶν θανόντων σώμαθ' ἕξουσιν νεκρῶν.
Pers. 1072 γοᾶσθ' ἁβροβάται[1]).
Tro. 506 ἄγετε τὸν ἁβρὸν δήποτ' ἐν Τροίᾳ πόδα.
ib. 821 ὦ .. ἁβρὰ βαίνων.
Aesch. Suppl. 1013 τὸ σωφρονεῖν τιμῶσα τοῦ βίου πλέον.
Eur. Tro. 1027 ... τὸ σῶφρον τῆς ἀναιδείας πλέον Ἔχουσαν...
Aesch. Cho. 900 sq. ποῦ δὴ τὰ λαμπρὰ Λοξίου μαντεύματα;
Eur. Tro. 428 ...... ποῦ δ' Ἀπόλλωνος λόγοι κτλ.;
Aesch. Cho. 779 ἄγγελλ' ἰοῦσα, πρᾶσσε τἀπεσταλμένα.
Eur. Tro. 1149 σὺ δ' ὡς τάχιστα πρᾶσσε τἀπεσταλμένα.

Ionis fabulae[2]) fere omnino deesse locos ad Aeschyli exemplum compositos haud ita mirum videbitur, dummodo consideraveris Ionis argumentum cum nulla de Aeschyleis fabulis comparari posse. Inveniuntur tamen nonnullae similitudines, quas en videas ipse:

Aesch. Suppl. 450 sq. δεῖ κάρτα θύειν καὶ πεσεῖν χρηστήρια
θεοῖσι πολλοῖς πολλά.
Eur. Ion. 419 χρηστήριον πέπτωκε τοῖς ἐπήλυσι
κοινὸν πρὸ ναοῦ.

1) Id genus composita per ἁβρο- formata in ipsa Persarum fabula saepius recurrunt quam in alio Aeschyli dramate. Cf. Pers. 41 ἁβροδιαίτων, 135 ἁβροπενθεῖς (?), 541 ἁβρόγοοι. Et Persae et Troades in commum exeunt; quamquam vix similitudinem verborum deprehendes, nisi quidem putas illas repetitiones Tro. 1310 ἄλγος ἄλγος βοᾷς, 1326 ἔνοσις ἅπασαν ἔνοσις ἐπικλύσει πόλιν, 1328 τρόμερα τρόμερα μέλεα ab Euripide compositas esse ad Aeschyli exemplum scribentis Pers. 985 ἔλιπες ἔλιπες, ib. 1000 ἔταφον ἔταφον. 1038 δίαινε δίαινε πῆμα, 1046 ἔρεσσ' ἔρεσσε κτλ. (huic quidem exemplo simile videtur Tro. 1235 illud ἄρασσ' ἄρασσε κρᾶτα).

2) Ion quo anno acta sit, in dubio reliquit Wilamow. A. E. p. 154. Ego in hoc dramate collocando secutus sum Enthovenum (de Ione Euripidea quaestiones selectae p. 11 sq.) et qui illi astipulatus est Schroederum (l. l. p. 83).

Aesch. Suppl. 917 sq. *ΒΑΣΙΛΕΥΣ.* ξένος μὲν εἶναι πρῶτον οὐκ ἐπίστασαι.

ΚΗΡΥΞ. πῶς δ' ο ὐ χ ί; τἄμ' ὀλωλόθ' ε ὑ ρ ί σ κ ω ν ἄγω.

Eur. Ion. 523 *ΞΟΥΘΟΣ.* ἅψομαι· κοὐ ῥυσιάζω, τ ἀ μ ὰ δ' ε ὑ-ρ ί σ κ ω φίλα.

ib. 1406 sq. *ΙΩΝ.* τάδ' ο ὐ χ ὶ δεινά; ῥυσιάζομαι λόγῳ.

ΚΡΕΟΥΣΑ. ο ὔ κ, ἀλλὰ σοῖς φίλοισιν ε ὑ ρ ί σ κ ῃ φίλος.

Aesch. P e r s. 599 sq. … ὅταν κ λ ύ δ ω ν Κακῶν ἐπέλθῃ κτλ.

Eur. Ion. 60 (ἦν ταῖς Ἀθήναις τοῖς τε Χαλκωδοντίδαις)

…. πολέμιος κ λ ύ δ ω ν.

Aesch. Pers. 511 ὡς σ τ έ ν ε ι ν π ό λ ι ν Περσῶν[1]).

Eur. Ion. 721 σ τ ε ν ο μ έ ν α … π ό λ ι ς κτλ.

Aesch. Pers. 807 οὗ σφιν κακῶν ὕψιστ' ἐ π α μ μ έ ν ε ι π α θ ε ῖ ν.

Eur. Ion. 1246 sq. τί ποτ', ὦ μελέα δέσποινα, μ έ ν ε ι

ψυχῇ σε π α θ ε ῖ ν;

Aesch. C h o. 639 sq. τὸ δ' ἀγχὶ π ν ε υ μ ό ν ω ν ξίφος

δ ι α ν τ α ί α ν ὀξυπευκὲς οὐτᾷ.

Eur. Ion. 767 sq. δ ι α ν τ α ῖ ο ς ἔτυπεν ὀδύνα με π λ ε υ-μ ό ν ω ν τῶνδ' ἔσω.

Aesch. S e p t. 5 ε ἰ δ' αὖθ', ὃ μ ὴ γ έ ν ο ι τ ο, συμφορὰ τ ύ χ ο ι,

Eur. Ion. 731 ὃ μ ὴ γ έ ν ο ι τ ο δ', ε ἴ τι τ υ γ χ ά ν ο ι κακόν.

Iam saepius in hac disputatione incidimus talia in argumenta, quae omnes tres tragici attigerunt. Nusquam autem copia erat facta singula quoque comparandi, sed fragmentis tantum eisque saepissime perexiguis nixi coniectando efficere studuimus, quonam modo eandem materiem tractatam esse ab Aeschylo Sophocle Euripide censendum sit, quantumque a vetustiore aemulo recentiores dependere videantur. Aliter res se habet in eis fabulis, quae de caede Clytaemestrae compositae sunt, Aeschyleam dico Choephoros, Sophoclis Euripidisque Electram: quas tragoedias iterum iterumque inter se esse comparatas etsi non ignoro, tamen facere non possum, quin hac in re actissima agens et ipse inquiram, quaenam necessitudines intercedant inter Aeschyli C h o e p h o r o s Euripidisque **Electram**[2]). Atque in hisce fabulis comparandis

1) Cf. Pers. 62 οὓς πέρι χθὼν Ἀσιᾶτις … στένεται. Sept. 247 στένει πόλισμα. 901 στένουσι πύργοι κτλ. Ag. 711 Πριάμου πόλις … στένει etc.

2) De Aeschylo et Euripide in Electrae Orestisque fabula tragice tractanda Stesichori vestigia legentibus praeter ceteros luculenter disputavit post Robertum M. Mayer l. l. p. 35 sqq. Qui ubi utrumque tragicum vel solum

Sophocleam quoque tragoediam adhibendam esse, vix est, quod moneam.

Quae autem vvdd. de similitudine trium fabularum iudicaverunt, diversissima inter se videntur esse. Velut Hermannus Richter „de Euripide Aeschyli Sophoclisque et correctore et vituperatore“ Kieliae 1870 doctissime disserens p. 11 „Non miraberis“ inquit, „quod Sophocles .... quamvis in Electra fabula componenda Aeschyli vestigiis insisteret, haud pauca omisit, addidit, mutavit. Sed auctoritatem aemuli veritus nonnisi mutationibus silentio factis, quae in fabulis eius sibi displicerent, indicavit. Contra Euripides et longe diversam in fabula tractanda viam ingressus est et data occasione Aeschylum Sophoclemque modo iure modo iniuria aperte vituperare non dubitavit.“ Contra audias Augustum Mau, qui commentat. philol. in hon. Th. Mommseni p. 291 duabus Electris cum Choephoris comparatis „Thatsache ist“, inquit, „dass Euripides ... so sehr er auch im übrigen seine eigenen Wege ging, doch in den meisten der berührten Punkte zum Aischylos zurückkehrte .... an einigen Stellen ist die Annäherung an Aischylos so stark, dass sie fast den Charakter der absichtlichen Reminiscenz, einer dem Aischylos dargebrachten Huldigung annimmt.“

Sed iam ipsi videamus. Propria trilogia explicuerat Aeschylus Agamemnoniae domus sortem. Cuius ternionis quoniam in medio posuerat loco illam de Clytaemestrae caede fabulam, et quae antecedebant et quae sequebantur parricidium, propriis tragoediis potuit explicare. Contra Sophocles, cum trilogica ratione omissa una tragoedia hunc mythum tractavit omnemque artem impendit unius Electrae moribus adumbrandis, iam ideo facere non potuit, quin multis in rebus eisque haud parvi momenti ab Aeschylo recederet [1]. At ne Euripides quidem, cum attingeret idem illud argumentum, materiem more Aeschyleo per tres disposuit tragoedias. Sed tamen quodammodo ad Aeschyli rationem rediit, quia in singulis tragoediis coartare solebat omnes eas res, quibus ille totas expleverat trilogias. Namque res est pervolgata prologos epilogosque Euripideos per se iam fere instar esse utrosque dramatis Aeschylei. Omnia igitur ea, in quibus

Euripidem ad Stesichorum redisse statuerit, suo quoque loco semper indicare supersedeo, cum quod hac re a proposito longius, quam par est, abducerer, tum quod vd. ille mihi quidem in agnoscendis Stesichori vestigiis interdum paulo audacius se gessisse videtur.

1) Weil, Sept tragédies d'Euripide, Ἠλέκτρα p. 564.

Agamemno Aeschylea versata erat. Euripides Electrae prologi vv. 1—13 respexit[1]). Abhinc autem quae narrantur, discrepant ab Aeschylo. Hic enim finxerat Orestem ab ipsa Clytaemestra commissum esse Strophii hospitis tutelae: quod Euripides ita immutavit, ut paedagogum fingeret puerulum manibus Aegisthi mortem machinantis surripuisse: sed quod summum est, ipsam Electram audimus ab Aegistho in matrimonium esse datam rustico, cuius in agello totam fabulam agi intellegendum est. Sophocles enim Aeschyli scaenam retinuerat: Euripides igitur nova proferre cupiens ab utroque eorum recessit. Prologum Aeschyleae fabulae dicit Orestes. Adest Pylades, persona muta. Cincinnum ille deponit patris in busto. Caterva *χοηφόρων* appropinquante iubet Pyladem secum de via secedere, ut mulieres possint observare. Apud Sophoclem alterno sermone prologum dicunt paedagogus et Orestes praesente Pylade. Inter quos ubi convenit, quemadmodum Clytaemestram Aegisthumque dolo circumventuri sint, abeunt, paedagogus, ut dolum paret, Orestes, ut patris sepulcrum capillis ornet. Iam prodit Electra et paulo post caterva. Omnino aliter atque Aeschyli Sophoclisque fabula orditur Euripidea, cuius prologum dicit rusticus ille, de quo iam supra verba fecimus. Quin primo obtutu tibi videris maiorem similitudinem inter Aeschylum Sophoclemque observare quam inter Euripidem et Aeschylum[2]). Sed conferas quaeso Euripideae Electrae prologum a versu 83° cum Aeschyleo, iam intelleges hanc saltem partem ad Aeschyli exemplum ab Euripide esse compositam. Longa oratione Orestes, quis unde cur venerit, explicat. Adest Pylades, *κωφὸν πρόσωπον*. Enarrat ille se proxima nocte patris in busto cincinnum deposuisse atque rem divinam fecisse. Repente conspicit mulierem urnam

1) Idque sic, ut similitudo quaedam elocutionis inveniatur:
Ag. 45 sq. (*Μενέλαος ἄναξ . . . ἠδ' Ἀγαμέμνων . . .*)
στόλον Ἀργείων χιλιοναύτην τῆσδ' ἀπὸ χώρας . . .
. . . ἦραν. El. 1 sqq. *Ὦ γῆς παλαιὸν Ἄργος, Ἰνάχου ῥοαί.*
ὅθεν ποτ' ἄρας ναυσὶ χιλίαις Ἄρη
ἐς γῆν ἔπλευσε Τρῳάδ' Ἀγαμέμνων ἄναξ.
Ex Ag. 577 sqq. *Τροίαν ἑλόντες δή ποτ' Ἀργείων στόλος*
θεοῖς λάφυρα ταῦτα τοῖς καθ' Ἑλλάδα
δόμοις ἐπασσάλευσαν ἀρχαῖον γάνος.
fluxit Eur. El. 6 *ὑψηλῶν δ' ἐπὶ ναῶν τέθεικε σκῦλα πλεῖστα βαρβάρων.*

2) Sed monendum est ab Aeschylo et Euripide duas tantum Agamemnonis filias commemorari, Electram Iphigeniamque immolatam. Sophocles autem praeter illas El. 157 memorat Iphianassam et Chrysothemin.

gerentem. Secedit cum Pylade, ut illam observare possit. Iam sequitur monodia Electrae, quam Euripides substituit Choephoron parodo. An putas hasce cum Aeschylo similitudines fortuito esse factas? Nam conferas quaeso:

Aesch. Cho. 24 sqq. *πρέπει παρὴς φοινίοις ἀμυγμοῖς*
ὄνυχος ἄλοκι νεοτόμῳ·
δι' αἰῶνος δ' ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ.

Eur. El. 144 sqq. *πάτερ, σοὶ κατὰ γᾶς ἐννέπω γόους,*
οἷς ἀεὶ τὸ κατ' ἆμαρ,
διέπομαι, κατὰ μὲν φίλαν
ὄνυχι τεμνομένα δέραν [1]).

Quae autem sequuntur valde discrepant ab Aeschylo. Huius enim Orestes vix moratus prodit e secreto aperitque sorori quis sit. Euripideus non item. Hic enim postquam diutissime dissimulavit se ipsum esse Orestem [2]), tandem agnoscitur a servo sene, per quem olim Strophio erat traditus: neque vero anagnorisis fit ex capillorum cum libato cincinno similitudine, sed ex cicatrice. Iam deliberatur, quomodo Aegisthus, quem haud procul ab Electrae tugurio in villa diem festum agere audimus, commodissime

---

1) Praeterea in hac ipsa monodia Electrae recurrunt duo loci, qui in memoriam nobis revocent Aeschyli Oresteam.

Aesch. Cho. 158 sq. *ἴτω* (Sic Bothe pro *ἰώ*) *τις δορυσθενὴς ἀνήρ,*
ἀναλυτὴρ δόμων

similitudinem quandam habent cum

Eur. El. 135 sq. (*τλᾶμον σύγγονε . . .*) *ἔλθοις τῶνδε πόνων ἐμοὶ*
τᾷ μελέᾳ λυτήρ.

Ag. 1494 sq. caterva regem turpiter obtruncatum conqueritur:
ὤμοι μοι κοίταν τάνδ' ἀνελεύθερον
δολίῳ μόρῳ δαμείς κτλ.

Neque aliter Electra Euripidis 156 sqq.
πατέρ' ἐγὼ κατακλαίομαι
λουτρὰ πανύσταθ' ὑδρανάμενον χροΐ
κοίτᾳ ἐν οἰκτροτάτᾳ θανάτου.

2) In hac quoque scaena redeunt Aeschylea. Orestes professus se libenter moriturum esse, dummodo patris ultus sit caedem

Cho. 438 *ἔπειτ' ἐγώ*, inquit, *νοσφίσας ὀλοίμαν.*

Item Electra Eur. El. 281 *θάνοιμι μητρὸς αἷμ' ἐπισφάξας ἐμᾶς.*

Eur. El. 288 sqq. ⟨*ΟΡ.*⟩ *ὁ κατθανὼν δὲ σὸς πατὴρ τύμβου κυρεῖ;*
⟨*ΗΛ.*⟩ *ἔκυρσεν ὡς ἔκυρσεν. ἐκβληθεὶς δόμων*

mihi respicere videntur ad Aesch. Cho. 430 sqq. *πάντολμε μᾶτερ, δαΐαις ἐν ἐκφοραῖς | ἄνευ πολιτᾶν ἄνακτ', | ἄνευ δὲ πενθημάτων | ἔτλας ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι.*

possit obtruncari. Inito consilio abeunt Orestes et Pylades mox victores redituri occisi Aegisthi corpus secum ferentes. Haec Euripidea scaena quamvis nova esse videatur — Aeschylus et Sophocles prodeuntem fecerant Aegisthum mendaci Orestae mortis nuntio arcessitum — tamen exhibet haud pauca cum Aeschylo communia. Apud Euripidem enim Orestes, priusquam cum Pylade ad caedem inimici proficiscatur, sororque Electra alternis precibus implorant deos Agamemnonisque manes, ut faveant conamini (vv. 671—684). Quorum versuum exemplar fuisse perlongam illam Choephoron imprecationem, quae pertinet inde a v. 246um usque ad v. 509um quis est, quin videat?

Velut Aesch. Cho. vv. 246—264:

Ζεῦ Ζεῦ, θεωρὸς τῶνδε πραγμάτων γενοῦ κτλ.

apud Euripidem summatim praebentur El. vv. 671—673

ΟΡ. *Ὦ Ζεῦ πατρῷε καὶ τροπαῖ' ἐχθρῶν ἐμῶν,*
οἴκτειρέ θ' (*οἴκτειρον* Dobraeus) *ἡμᾶς, οἰκτρὰ γὰρ πεπόνθαμεν.*
ΗΛ. *οἴκτειρε δῆτα σούς γε φύντας ἐκγόνους.*

Apud Aeschylum imploratur Proserpina Cho. v. 490 *ὦ Περσέφασσα, δὸς δέ τ' εὔμορφον κράτος*, cui deae substituit Euripides Iunonem Argivam 674 sqq.:

ΟΡ. *Ἥρα τε, βωμῶν ἣ Μυκηναίων κρατεῖς,*
νίκην δὸς ἡμῖν, εἰ δίκαι' αἰτούμεθα.
ΗΛ. *δὸς δῆτα πατρὸς τοῖσδε τιμωρὸν δίκην* (libri *νίκην*).

Cum Eur. El. vv. 677 sqq.

σύ τ', ὦ κάτω γῆς ἀνοσίως οἰκῶν πάτερ
καὶ Γαῖ' ἄνασσα, χεῖρας ᾗ δίδωμ' ἐμάς,
ἄμυν' ἄμυνε τοῖσδε φιλτάτοις τέκνοις.

conferas quaeso

Aesch. Cho. 315 *ὦ πάτερ αἰνόπατερ κτλ.*
332 *κλῦθί νυν, ὦ πάτερ, ἐν μέρει κτλ.*
399 *κλῦτε δὲ Γᾶ* (Sic Ahrens pro *τα*) *χθονίων τε τιμαί.*
489 *ὦ γαῖ', ἄνες μοι πατέρ' ἐποπτεῦσαι μάχην.*

Eur. El. 680—82 *νῦν πάντα νεκρὸν ἐλθὲ σύμμαχον λαβών,*
οἵπερ γε σὺν σοὶ Φρύγας ἀνήλωσαν δορί,
χὤσοι στυγοῦσιν ἀνοσίους μιάστορας

non habent simile apud Aeschylum. Sed haud scio an compositi sint non sine recordatione Aeschyli Cho. 355 sq. scribentis:

φίλος φίλοισι τοῖς ἐκεῖ καλῶς θανοῦσιν κατὰ χθονὸς ἐμπρέπων κτλ.

Eur. El. 682 *ἤκουσας, ὦ δεῖν' ἐξ ἐμῆς μητρὸς παθών;*

respicit ad Cho. 495 sq.

ΟΡ. ἆρ' ἐξεγείρῃ τοῖσδ' ὀνείδεσιν, πάτερ;
ΗΛ. ἆρ' ὀρθὸν αἴρεις φίλτατον τὸ σὸν κάρα;

et quae hisce antecedunt Cho. 491 sqq. *μέμνησο λουτρῶν κτλ.* Deinde Cho. 324 sqq. *τέκνον, φρόνημα τοῦ θανόντος οὐ δαμάζει πυρὸς μαλερὰ γνάθος, φαίνει δ' ὕστερον ὀργάς·*

et Eur. El. 684 *πάντ' οἶδ', ἀκούει τάδε πατήρ,*

quae et hic et illic Oresti respondentur dubitanti, perveniantne preces suae ad mortui patris aures, eadem niti sententia in propatulo est. Sed ad oeconomiam fabularum ut redeamus, primo cognosces obtutu Euripidem in eo quoque redisse ad Aeschylum, quod ante Clytaemestrae caedem Aegisthum fingit trucidari. Sophocles contra in fine fabulae posuerat caedem Aegisthi, ne fabula exiret in parricidium.

Eiusdem Orestes intrepidus immotusque horridum illud matris mactandae opus aggreditur [1]). Contra Aeschyleus matrem sibi supplicantem mammasque denudantem obtruncare dubitans e Pylade quaerit, quid sibi faciendum

Cho. 899: *Πυλάδη, τί δράσω; μητέρ' αἰδεσθῶ κτανεῖν;*

Euripideus vero Orestes iam tremit matricidium parentem e longinquo conspiciens adventantem: neque aliter atque apud Aeschylum erat factum et ipse dubitanter quaerit

El. v. 967 *τί δῆτα δρῶμεν; μητέρ' ἦ φονεύσομεν;*

Altercationem illam Electrae Clytaemestraeque ab Euripide insertam esse, ut Sophoclem aemularetur, Woltersdorffius et Vahlenus [2]) recte evicerunt. Aeschylea fabula talem rixam nondum exhibet.

Quae autem illud colloquium apud Euripidem sequuntur, Electrae verba matrem caedi obviam ducentis haec:

El. 1142 sqq. *κανοῦν δ' ἐνῆρκται καὶ τεθηγμένη σφαγίς,*
ἥπερ καθεῖλε ταῦρον (scil. *Αἴγισθον*), *οὗ πέλας πεσῇ*
πληγεῖσα· νυμφεύσῃ δὲ κἀν Ἅιδου δόμοις
ᾧπερ ξυνηῦδες ἐν φάει.

---

1) W. Nestle, Euripides, der Dichter der griechischen Aufklärung, p. 123 „Bei Sophocles vollends“, inquit, „ist von sittlichen Erwägungen des Orestes keine Rede: In kalter Berechnung geht er an das Werk der Rache.“ (Soph. El. 1288 ff.) — Praeterea cf. Aug. Mau l. c. p. 293.

2) Woltersdorff, Soph. et Eur. Electrae quo ordine sint compositae Ienae 1891; Vahlen, Herm. XXVI, p. 352 sqq.; Astipulatus est Olivieri Riv. di Philol. 25, 577 sqq.

expressa esse ad

Cho. 904 sqq. ἕπου, πρὸς αὐτὸν τόνδε σὲ σφάξαι θέλω·
καὶ ζῶντα γάρ νιν κρείσσον' ἡγήσω πατρός.
τούτῳ θανοῦσα συγκάθευδ', ἐπεὶ φιλεῖς
τὸν ἄνδρα τοῦτον,

quibus verbis Orestes Clytaemestram iubet secum ad Aegisthi corpus accedere, optime monuit Steigerus[1]).

Utrobique et in Choephoris et in Euripidea Electra caterva canticum dochmiaco rhythmo canit, dum perpetratur matricidium. Atque exultant Choephori, quod domus Atridarum, quae ad id temporis momentum quasi humi iacuerit, tunc demum erigatur

Cho. 942 sqq. ἐπολολύξατ' ὤ, δεσποσύνων δόμων
ἀναφυγᾷ κακῶν κτλ.

Euripidea caterva illis similiter exorsa

El. 1147 sq. ἀμοιβαὶ κακῶν· μετάτροποι πνέου-
σιν αὖραι δόμων.

quamquam abhinc profert res a Choephoron illo cantico alienas, tamen attingit lyricis modis caedem enarrans Agamemnoniam talia, quae ab Aeschylo alibi quidem, sed non aliter explicata erant: conferas quaeso:

Cho. 1070 (δεύτερον ἀνδρὸς βασίλεια πάθη),
λουτροδάϊκτος δ' ὤλετ' Ἀχαιῶν
πολέμαρχος ἀνήρ.

Eur. El. 1148 sq. ... τότε μὲν ἐν λουτροῖς
ἔπεσεν ἐμὸς ἐμὸς ἀρχέτας[2]).

Neque immerito Steigerus l. l. p. 572: „Auch gibt uns das Chorlied (Eur. El.) 1147—64, unter dessen Klängen Klytaimestra ihrem Geschick entgegengeht, in grossen Zügen den Inhalt des Agamemnon". Fingit igitur Euripides quoque Agamemnonem in balneo esse occisum haud aliter atque Aeschylus[2]).

Sophocles quidem Homerum secutus narrat inter epulas enecatum esse Agamemnonem

Soph. El. 283 sqq. κλαίω, τέτηκα, κἀπικωκύω πατρὸς
τὴν δυστάλαιναν δαῖτ' ἐπωνομασμένην
αὐτὴ πρὸς αὑτήν·

1) Hugo Steiger, Warum schrieb Euripides seine Elektra? Philol. LVI (N. F. X) 1897, p. 572.

2) Praeter hos locos conferas Ag. 1109 τὸν ὁμοδέμνιον πόσιν λουτροῖσι φαιδρύνασα. Eur. El. 156 sq. πατέρ' ἐγὼ κατακλαίομαι, λουτρὰ πανύσταθ' ὑδρανάμενον χροΐ κτλ. Cho. 491. Eum. 461.

Eur. El. 1163 confert caterva Clytaemestram propter atrocitatem caedis ab ea perpetratae cum leaena. Praeiverat in hac quoque re Aeschylus, a quo illa Ag. 1258 *δίπους λέαινα* appellatur. Princeps Choephoron quamvis oderit Aegisthum Clytaemestramque, tamen non sine misericordia

Cho. 931 sq. *στένω μὲν οὖν καὶ τῶνδε συμφορὰν διπλῆν.*

Haud secus miseret apud Euripidem chorum Clytaemestrae clamorem audientem: affirmat enim El. v. 1168

ᾤμωξα κἀγὼ πρὸς τέκνων χειρουμένης.

Ipsam illam scaenam, in qua Clytaemestra iugulatur, sapienter nemo de tragicis ante spectatorum oculos agi iussit. Aeschylus quidem ostendit angorem moriturae matris facitque eam filio supplicantem

Cho. 896 sqq. *ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἴδεσαι, τέκνον,*
μαστόν, πρὸς ᾧ σὺ πολλὰ δὴ βρίζων ἅμα
οὔλοισιν ἐξήμελξας εὐτραφὲς γάλα.

Clytaemestrae dum iugulatur vocem non percipimus, quoniam poeta iam in Agamemnone regis clamores et in ipsa Choephoron fabula occidentis Aegisthi vociferationes audiri iusserat. Sophocles vero Agamemnonis illam scaenam in suam rem convertens facit Clytaemestram horrendos clamores edentem. Item Euripides. Praeterea autem hic, quam in Choephoris spectatores ante oculos habuerant scaenam, narrandam curavit respiciens ad Cho. vv. 896 sqq., quos supra exscripsimus, sic:

(El. 1206 sqq.) *κατεῖδες οἷον ἁ τάλαιν' ἔξω πέπλων*
ἔβαλεν, ἔδειξε μαστὸν ἐν φοναῖσιν,
ἰώ μοι, πρὸς πέδῳ
τιθεῖσα γόνιμα μέλεα; τακόμαν δ' ἐγώ.

Apud Sophoclem videri potuit Aegisthus Clytaemestrae occisae corpus develans. Qui cum primum abductus est, finita est fabula. Aliter rem instituerat Aeschylus, cuius exemplum sequebatur Euripides. Apud utrumque enim matricidio peracto *ἐκκύκλημα* fit [1]). Gladio perfossi iacent Clytaemestra et Aegisthus. Adstant, qui caedem perpetrarunt dicentes

1) H. Weil ad Eur. El. v. 1177: „Le fond de la scène s'ouvre, et l'on voit Oreste et Electre, ainsique Pylade, à coté des corps sanglants de Clytémnestre et d'Egisthe."

Aesch. Cho. 973 sq. *Ἴδεσθε χώρας τὴν διπλῆν τυραννίδα*
πατροκτόνους τε δωμάτων πορθήτορας.

Eur. El. 1177 sqq. *Ἰὼ Γᾶ καὶ Ζεῦ πανδερκέτα*
βροτῶν, ἴδετε τάδ' ἔργα φόνι-
α μυσαρά, δίγονα σώματ' ἐν
χθονὶ κείμενα, πλαγᾷ
χερὸς ὑπ' ἐμᾶς, ἄποιν' ἐμῶν πημάτων.

Sophoclea fabula ad finem perducta est vindicta peracta, neque minus Atridarum prolem ad finem pervenisse laborum docent catervae haec:

(Soph. El. 1508 sqq.) *ὦ σπέρμ' Ἀτρέως, ὡς πολλὰ παθὸν*
δι' ἐλευθερίας μόλις ἐξῆλθες
τῇ νῦν ὁρμῇ τελεωθέν.

Atque tantum abest, ut Furiae Orestem exagitent, ut contra eius facinus tamquam pium nullaque poena multandum nobis proponatur. Quin videtur Orestes apud Sophoclem ultro hoc factum attigisse, non Apollinis iussu impulsus, cuius oraculum non adiit, nisi ut consuleret, quomodo patris interfectores optime posset petere. Aeschyli Orestes ab ipso Apolline iussus est matricidium perpetrare, quod ni faceret, ipsum gravissimas poenas esse daturum ille vaticinatur (cf. Cho. 269 sqq.). Haud aliter res se habere videtur in Euripidea Electra: namque auctorem facti esse ipsum Apollinem iterum iterumque audimus [1]). Aeschylo autem matricidium probabatur, Euripidi non item: immo ipsum Phoebum valde vituperandum curavit propter illud oraculum idque per Dioscuros (Eur. El. 1245 sqq). En audias de hoc discrimine, quod inter Aeschyli Euripidisque intercedit fabulam, Augustum Mau, qui l. l. p. 294 „Die religiöse Pflicht der Blutrache“, inquit, „findet bei Aeschylus ihren Ausdruck in dem Befehle des Apollo. Sophokles wagte auch dieses Motiv zu beseitigen: die That erscheint ihm absolut berechtigt. Anders Euripides: er vernimmt jene Stimme sehr wohl; ja er sucht sie recht hörbar zu machen, und die ihr zu gebende Antwort beschäftigt ihn im letzten Teile der Tragödie, wie bei Aeschylus ihr das letzte Stück der Trilogie gewidmet ist. Apollo ist ihm der Urheber der That. Bei Aeschylus aber ist Apollo die Verkörperung einer sittlichen Idee u. s. w.“ Apud Sophoclem Orestes, ut iam supra monuimus, matris scelestae

1) Cf. Eur. El. 971 sqq. 1190 sqq. 1245 sqq.

caedem omnino impune fert a deis. Neque deerant qui putarent poetam haec ita finxisse, quod Orestis factum tamquam ab ipsis deis sancitum et ipse probasset [1]). Ab altera autem parte exstiterunt qui dicerent Sophoclem, quoniam omissa trilogica ratione singulis tragoediis operam navasset componendis, quae per se quaeque absolutum praeberent argumentum, facere omnino non potuisse, ut alium imponeret finem suae Electrae atque re vera fecisset [2]). Etenim Aeschylus, quamvis comprobasse videatur illud matricidium, tamen iam sub fine ipsius Choephoron fabulae fingit Orestem a Furiis animo perturbari matris sanguinem exigentibus, ut non dicam de insequenti Eumenidum fabula. Euripidem vero hac in re omnino fecisse cum Aeschylo El. vv. 1250—70 et 1342 sqq. satis intellegitur [3]), quippe qui in nuce exhibeant omnia quae Eumenidum efficiunt argumentum iamque in Choephoris vv. 1048 sqq. indicata. Ac ne verborum quidem similitudo deest, si conferimus Aesch. Eum. 79 sq. ... *μολὰν δὲ Παλλάδος ποτὶ πτόλιν*
ἵζου παλαιὸν ἄγκαθεν λαβὼν βρέτας.
cum Eur. El. 1254 sq. *ἐλθὼν δ' Ἀθήνας Παλλάδος σεμνὸν βρέτας*
πρόσπτυξον.

Similiter utrobique Furiae describuntur.
Apud Aeschylum (Cho. 1048 sqq.) sunt
... *Γοργόνων δίκην*
φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
πυκνοῖς δράκουσιν.
Euripides eas appellat El. 1255 sq.
ἐπτοημένας (*ἐστομωμένας* Kirchhoff)
δεινοῖς δράκουσιν.
et 1345 *χειροδράκοντες* (*χαιτοδράκοντες* Wecklein) *χρῶτα κελαιναί* [4]).
Cho. 1054 dicuntur eaedem ab Oreste
μητρὸς ἔγκοτοι κύνες [5]).

---

1) Velut Steigerus l. l. „Sophocles“, inquit, „schuf eine Elektra ohne Reue der Thäter, weil er dachte (Thyest. fr. 226) *ἀλλ' εἰς θεοὺς ὁρῶντα, κἂν ἔξω δίκης Χωρεῖν κελεύῃ, κεῖσ' ὁδοιπορεῖν χρεών· Αἰσχρὸν γὰρ οὐδὲν ὧν ὑφηγοῦνται θεοί.* Idem sensisse videtur W. Nestle l. l. p. 123, 126.

2) Weil, Sept tragédies d'Euripide p. 564.

3) Verum enim vero de Orestis in Arcadia mansione, de qua Euripides El. 1273 sqq. refert, Aeschylus tacet; ceterum cf. M. Mayer p. 42 sq.

4) *μέλαιναι* Furiae esse iam Eum. 52 dicuntur.

5) Cf. Cho. 924 *ὅρα φύλαξαι μητρὸς ἐγκότους κύνας.* Eum. 132 *κλαγγαίνεις δ' ἅπερ κύων.* ib. 246 *τετραυματισμένον γὰρ ὡς κύων νεβρὸν* (*νεκρὸν M*) ... *ἐκματεύομεν.*

Eur. El. 1252 appellantur αἱ κυνώπιδες θεαὶ et 1342 simpliciter κύνες.

Eum. 372 sqq. Furiae dira munera, quibus funguntur, nimirum homicidarum insectationes explicantes haec proferunt in ephymnio:

μάλα γὰρ οὖν ἁλομένα
ἀνέκαθεν βαρυπεσῆ
καταφέρω ποδὸς ἀκμάν,
σφαλερὰ ⟨καὶ⟩ τανυδρόμοις
κῶλα, δύσφορον ἄταν.

Quem locum haud scio an Euripides respexerit, cum Dioscuros faceret Oresti haec praedicentes

Eur. El. 1344 δεινὸν γὰρ ἴχνος βάλλουσ' ἐπὶ σοὶ
χειροδράκοντες χρῶτα κελαιναί,
δεινῶν ὀδυνῶν καρπὸν ἔχουσαι.

Euripides igitur etiamsi multa in hoc mytho tractando mutavit, tamen haud paucis in rebus ad Aeschylum rediit a Sophoclea ratione recedens. Cui in uno tamen eoque summi momenti magis se applicuit quam Aeschylo, nimirum in eo, quod Electrae partes quam maxime studuit augere, quae apud Aeschylum secundarias tantum egerat [1]). Item retinuit Sophocleam catervam, quam e mulieribus Electrae amicis constare nobis fingere debemus. Sed tamen etiam Aeschyli induxit captivas Troades, ut optime observavit Steigerus [2]). His enim prosequentibus Clytaemestram rus esse vectam El. 998 sq. discimus [3]).

Restat, ut paucis absolvamus illum locum, quo Euripides, quem adhuc paene imitatorem Aeschyli cognovimus, acerrime perstrinxisse videtur illum, nimirum vv. 516—44, quos ad Choephoron anagnorisin respicere tritissima res est. Verum enim vero vvdd. valde ambigunt inter se, utrum genuini habendi sint illi versus necne. Mau enim (l. l. p. 291) sibi persuasit Electram Euripideam, quoniam tot et tantas cum Choephoris similitudines exhiberet, quasi dedicatam esse Aeschylo, sic ut nullo modo tam apertam tamque acerbam eiusdem poetae vituperationem ibi locum habere

1) Steiger l. l. 568 „nicht zur äschyleischen Nebenperson kehrte er zurück; seine Elektra sollte die sophokleische an Entschlossenheit und Thatkraft übertreffen.“

2) l. l. 587.

3) Currum iam Aeschylus in Agamemnone adhibuerat (Ag. 1039 ἔκβαιν' ἀπήνης τῆσδε). Hoc imitatus est Euripides (El. 998 ἐκβῆτ' ἀπήνης).

posset. Schroederus vero sibi visus est novo argumento illius sententiam stabilisse, cum affirmaret Euripidem priore quidem poeseos aetate, donec respueret Aeschyleam artem, talia admisisse, neque vero posteaquam Aeschylum sibi sumpsisset tragicae artis ducem [1]). At constat Phoenissas, quam fabulam haud minus Electra ad Aeschyli exemplum esse factam et tamen similem exhibere vituperationem eiusdem Aeschyli brevi post explicabimus, vel post ipsam Electram esse compositam. Ideo putaverim Euripidem nusquam desiisse aemulum perstringere. Sed considera cur tandem Euripides huius cincinni fecerit mentionem. Iam enim in prologo commemoratur

Eur. El. 90 sqq. *νυκτὸς δὲ τῆσδε πρὸς τάφον μολὼν πατρὸς*
δάκρυά τ' ἔδωκα καὶ κόμης ἀπηρξάμην
πυρᾷ τ' ἐπέσφαξ' αἷμα μηλείου φόνου κτλ.

An ideo ut senem paedagogum faceret paucissimis verbis eum attingentem, tunc autem omnino silentio obrueret? Quod ut credam animum inducere nequeo, praesertim cum valde miranda esset Euripidis imitatio ut retinentis rem ab Aeschylo inventam, qua in ipsa oeconomia omnino non opus erat. Notissimam fuisse Choephoron illam anagnorisin ex Aristophanis significatione [2]) perspicitur. Quid igitur mirum, quod Euripides, qua erat *συνέσει καὶ περὶ πάντα ἐπιμελείᾳ* haec quoque, quoniam satis incredibilia ei videbantur, non sine quadam animi pusillitate exagitavit? Choephoron illius scaenae vestigia etiam in dictione Euripidea hoc loco deprehendi posse docent haecce exempla:

Aesch. Cho. 174 usurpatur *ὁμόπτερος* de cincinno Electrae simili: Eur. El. 530 idem recurrit vocabulum (*βοστρύχους ὁμοπτέρους*).

Aesch. Cho. 180 *χαίτην* [3]) *κουρίμην.*
Eur. El. 521 *κουρίμης τριχός.*
Aesch. Cho. 230 *σκέψαι τομῇ προσθεῖσα βόστρυχον τριχός.*
Eur. El. 520 *σκέψαι δὲ χαίτην προστιθεῖσα σῇ κόμῃ.*
Aesch. Cho. 231 *ἰδοῦ δ' ὕφασμα τοῦτο, σῆς ἔργον χερός.*
Eur. El. 539 ⟨*οὐκ ἔστιν*⟩ *κερκίδος ὅτῳ γνοίης ἂν ἐξύφασμα σῆς;*

Solam locutionum similitudinem in hisce tantum exemplis inveni:

---

1) De iteratis etc. p. 121.
2) Cf. Nub. 534 (Kock.).
3) Sic Victorius certissima coniectura pro *καὶ τήν.*

Aesch. Cho. 874 … *μάχης γὰρ δὴ κεκύρωται τέλος.*
Eur. El. 1069 … *θυγατρὸς πρὶν κεκυρῶσθαι σφαγάς*[1]).
Aesch. Cho. 1004 … *πολλὰ θερμαίνοι φρένα.*
Eur. El. 402 … *χαρᾷ θερμαινόμεσθα καρδίαν*[2]).

Omnes loci Euripideae Electrae, de quibus adhuc verba fecimus, ad Oresteam Aeschyli quodammodo respexerunt. Aliorum Aeschyli dramatum vestigia in Electra non deprehendi, nisi quidem putandum est in componendo primo huius fabulae cantico (vv. 432 sqq.). Euripidi obversatam esse Nereides Aeschyleam. Hic enim videntur Nereides *δελφινοφόρον πόντου πεδίον Διαμειψάμεναι* (Aesch. fr. 150) prodisse, ut Achilli arma adferrent a Vulcano facta, id quod Euripides quoque commemorat El. 442 sqq.

Νηρῇδες δ' Εὐβοΐδας ἀκτὰς λιποῦσαι
Ἡφαίστου χρυσέων ἀκμόνων
μόχθους ἀσπίστας ἔφερον τευχέων.

Armorum vero descriptio haud scio an ne apud Aeschylum quidem defuerit, qui tamen fortasse magis Homero se applicuit quam fecit Euripides.

Eandem fere sententiam, quam Aeschylus dedit

Sept. 597 sqq. *φεῦ τοῦ ξυναλλάσσοντος ὄρνιθος βροτοῖς*
δίκαιον ἄνδρα τοῖσι δυσσεβεστάτοις.
ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς
κάκιον οὐδὲν κτλ.
et 602 sqq. *ἢ γὰρ ξυνεισβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ*
ναύταισι θερμοῖς καὶ πανουργίᾳ τινὶ
ὄλωλεν ἄνδρων σὺν θεοπτύστῳ γένει κτλ.

praebent multo praecisiore forma

El. 1354 sqq. *οὕτως ἀδικεῖν μηδεὶς θελέτω*
μηδ' ἐπιόρκων μέτα συμπλείτω.

Tauricas Iphigeniae res neque ab Aeschylo neque ab alio poeta tragico ante Euripidem attactas esse Robertus Arch. Zeitg. N. F. VIII (1876) p. 134, N. 3 recte evicisse videtur. Quia autem cum ceteris ad Atridas spectantibus mythis artissime cohaerent, Euripides facere non potuit, quin etiam in **Taurica**

1) Schroederus de his locis p. 97 „*κυροῦν*“ inquit, „ab Aeschylo saepius usurpatum hoc uno loco comparet apud Euripidem.“ Quod casu factum esse non putaverim.

2) Quod Schroederus de locis modo commemoratis dicit, idem valet etiam in hos. Praeterea conferas quaeso Ag. 487 *πυρωθέντα καρδίαν.*

Iphigenia, quamvis novum tractaret argumentum, saepius respiceret ad Aeschyleas illius generis fabulas. Ac primum quidem Aeschyli Iphigeniae rationem habuit in prologi vv. 6—29 idque aliter ac postea fecit in Aulidensi Iphigenia, qua in fabula quemadmodum ab illo recesserit, infra videbimus. Causam irae Dianae, qua naves Aulide retinentur[1]), Euripides indicat v. 20 sq. (*ὅ τι γὰρ ἐνιαυτὸς τέκοι Κάλλιστον, ηὔξω φωσφόρῳ θύσειν θεᾷ*), eandem quam olim Stesichorus protulerat. Cetera cum Aeschylo conspirare videntur:

. . . καί μ' Ὀδυσσέως τέχναι
μητρὸς παρείλοντ' ἐπὶ γάμοις Ἀχιλλέως.
ἐλθοῦσα δ' Αὐλίδ' ἡ τάλαιν' ὑπὲρ πυρᾶς
μεταρσία ληφθεῖσ' ἐκαινόμην ξίφει·
ἀλλ' ἐξέκλεψεν ἔλαφον ἀντιδοῦσά μου
Ἄρτεμις Ἀχαιοῖς.

Vv. 24 sq. si recte interpretor, Clytaemestram filiam non esse prosecutam ad Argivorum exercitum nobis fingere debemus: Sophocles demum eumque secutus Euripides in Iphigenia Aulidensi illam in scaenam prodire iusserunt: nam in Aeschyli eo dramate, quod in ipso Iphigeniae sacrificio versabatur, Clytaemestrae personam defuisse Weilius, ni fallor, iure censuit. Ipsa vero immolatio haud aliter in Iphigenia Taurica narratur atque in Aeschyleae Agamemnonis primo cantico. Liceat mihi afferre, quae Weilius Sept trag. d'Eur. p. 122 de hac re disputat: „Dans l'Agamemnon d'Eschyle", inquit, „dans la première Iphigénie (en Tauride) d'Euripide lui même, la fille d'Agamemnon était encore, comme elle le sera plus tard chez Lucrèce, une lamentable victime, traînée à l'autel malgré ses supplications." Idem iam antea p. 42: „Anciennement . . . Agamemnon . . . était lui même son bourreau, ‚il souillait ses mains patruelles d'un sang virginal', *μιαίνων παρθενοσφάγοισιν ῥείθροις πατρῴους χέρας.* Euripide lui même, dans son Iphigénie à Tauris, suivait encore cette barbare version de la fable (v. 360)." Quid mirum igitur, quod Euripides eadem narrans facta, quae Aeschylus in Agamemnonis illo cantico illustraverat, saepius etiam eadem fere verba adhibuit, quibus ille usus erat?

1) Ad similitudinem verborum quod attinet, liceat conferre: Aesch. Ag. 45 (*Μενέλαος ἄναξ ἠδ' Ἀγαμέμνων*) *στόλον Ἀργείων χιλιοναύτην . . . ἦραν.* Eur. J. T. 10 *ἐνταῦθα γὰρ δὴ χιλίων ναῶν στόλον Ἑλληνικὸν συνήγαγ' Ἀγαμέμνων ἄναξ.* Aesch. Ag. 187 *εὖτ' ἀπλοίᾳ κεναγγεῖ βαρύνοντ' Ἀχαικὸς λεώς.* Eur. J. T. 15 *δεινῆς τ' ἀπλοίας πνευμάτων τ' οὐ τυγχάνων.*

Velut Ag. 232 sq. iubentur sacrificii ministri virginem: ὕπερθε βωμοῦ .... λαβεῖν ἀέρδην.

Apud Euripidem Iphigenia v. 26 sq. ἐλθοῦσα δ' Αὐλίδ' ἡ τάλαιν', inquit, ὑπὲρ πυρᾶς Μεταρσία ληφθεῖσ' ἐκαινόμην ξίφει.

Deinde velim conferas Ag. v. 232 illud: δίκαν χιμαίρας cum J. T. v. 359 οὔ μ' ὥστε μόσχον Δαναΐδαι χειρούμενοι Ἔσφαζον.

Ag. 224 sq. ἔτλα δ' οὖν θυτὴρ γενέ-
σθαι θυγατρὸς,

J. T. 360 ... ἱερεὺς δ' ἦν ὁ γεννήσας πατήρ.

ib. 862 ᾤμωξα κἀγὼ τόλμαν, ἣν ἔτλη πατήρ.

Ad exemplum Ag. 228 sqq. λιτὰς δὲ καὶ κληδόνας πατρῴους
παρ' οὐδὲν αἰῶνα παρθένειον
ἔθεντο φιλόμαχοι βραβῆς

composita esse videntur

J. T. 361 sqq. οἴμοι· κακῶν γὰρ τῶν τότ' οὐκ ἀμνημονῶ,
ὅσας γενείου χεῖρας ἐξηκόντισα
γονάτων τε τοῦ τεκόντος ἐξαρτωμένη,
λέγουσα τοιάδ'· ὦ πάτερ κτλ.

Haec quidem de locis, quibus ad Agamemnonem Aeschyli respexit Euripides[1]). Tale autem erat argumentum, quod sibi sumpserat tractandum, ut Eumenidum quoque Aeschyleae rationem habere deberet.

Aeschylus quidem finxerat Orestem in Areopago pari suffragiorum numero capitis esse absolutum Furiasque facto iudicio matricidam persequi destitisse. Euripideus Orestes et ipse in Areopago iudicium subit praesentibus Minerva Phoeboque. Postquam autem Minervae opera dimidia suffragiorum parte capitis absolutus est, Furiarum alterae quidem sibi pactae Athenis templum habere statim eum exagitare desinunt, alterae autem vexare pergunt, quas ut effugiat a Phoebo Dianae statuam ex Tauris Athenas perferre iubetur (cf. J. T. 961 sqq.). Atque mirum in modum Euripides in adumbrandis Furiis ipse sibi repugnat. Nam ut pro eruditiore

1) Haud scio an fortuito factae sint hae similitudines et ipsae ad Agamemnonem spectantes: Ag. 36: τὰ δ' ἄλλα σιγῶ. J. T. 37 τὰ δ' ἄλλα σιγῶ, τὴν θεὸν φοβουμένη. Ag. 1138 ΚΑΣΣΑΝΔΡΑ: ποῖ δή με δεῦρο τὴν τάλαιναν ἤγαγες; J. T. 77 ΟΡΕΣΤΗΣ: ὦ Φοῖβε, ποῖ μ' αὖ τήνδ' ἐς ἄρκυν ἤγαγες; Ag. 659 sq. ὁρῶμεν ἀνθοῦν πέλαγος Αἰγαῖον νεκροῖς Ἀνδρῶν Ἀχαιῶν ναυτικοῖς τ' ἐρειπίοις. J. T. 300 ὡς αἱματηρὸν πέλαγος (πέλανον) ἐξανθεῖν ἁλός.

doctrina Diras nihil esse nisi delirantis Oresteae mentis vanas visiones fingit — id quod e pastoris narratione satis intellegitur — ita adeo etiamtum dependet ab Aeschylea mythi forma, qualis in Eumenidum fabula obtinet, ut illum secutus furias tamquam veras deas suo numine praesentes et agentes faciat (cf. 961 sqq.). Ceterum velim conferas, quae uterque poeta facit Minervam dicentem:

(Aesch. Eum. 741) *νικᾷ δ' Ὀρέστης, κἂν ἰσόψηφος κριθῇ.*
(Eur. J. T. 1470 sqq.) .... *ἐξέσωσα δὲ*
καὶ πρίν σ' Ἀρείοις ἐν πάγοις ψήφους ἴσας
κρίνασ', Ὀρέστα· καὶ νόμισμ' ἔσται τόδε,
νικᾶν ἰσήρεις ὅστις ἂν ψήφους λάβῃ.

Praeterea sine dubio Eur. J. T. 1200 illud *μητροκτόνος κηλὶς* compositum est ad exemplum Aeschylei *μητροκτόνον μίασμα* Eum. 281.

Haec imitatio Aeschyli non continetur locis Oresteae modo collaudatis. Immo respexit Euripides etiam ad Persas eiusdem poetae idque saepius, quam ut casu hoc factum esse cogitari possit. Velut vvdd. iam dudum observaverunt poetam in componendis J. T. vv. 159 sqq. rationem habuisse notissimae illius Persarum scaenae, ubi Atossa apud Darei sepulcrum rem facit divinam: libamina enim, quae funduntur, utrobique locutionibus fere eisdem enumerantur mutato tamen ordine. En ipse videas:

Pers. 608 sqq.

(κέλευθον .... ἐκ δόμων πάλιν
ἔστειλα), παιδὸς πατρὶ πρευμενεῖς χοὰς
φέρουσ', ἅπερ νεκροῖσι μειλικτή-
ρια,
βοός τ' ἀφ' ἁγνῆς λευκὸν εὔπο-
τον γάλα,
τῆς τ' ἀνθεμουργοῦ στάγμα, παμ-
φαὲς μέλι,
λιβάσιν ὑδρηλαῖς παρθένου πηγῆς
μέτα,
ἀκήρατόν τε μητρὸς ἀγρίας ἄπο
ποτὸν παλαιᾶς ἀμπέλου γάνος
τόδε·
τῆς τ' αἰὲν ἐν φύλλοισι θαλλούσης βίον
ξανθῆς ἐλαίας καρπὸς εὐώδης πάρα,
ἄνθη τε πλεκτά, παμφόρου γαίας τέκνα.

J. T. 157 sqq.

.... *⟨ὃς τὸν*
μοῦνόν με κασίγνητον συλᾷς
Ἅιδᾳ πέμψας⟩ ᾧ τάσδε χοὰς
μέλλω κρατῆρά τε τὸν φθιμένων
ὑδραίνειν γαίας ἐν νώτοις
πηγάς τ' οὐρείων ἐκ μόσχων
Βάκχου τ' οἰνηρὰς λοιβὰς
ξουθᾶν τε πόνημα μελισσᾶν,
ἃ νεκροῖς θελκτήρια χεῖται.

Utrobique affirmat chorus se libante domina concenturum esse (Pers. 623 sqq. J. T. 178 sqq.): Persarum senes eliciunt carminibus Darei animam; Iphigeniae famulae queruntur Atridarum

infelicissimam sortem. — E Choephoris, quamquam Iphigeniae simillimam exhibent scaenam primo in episodio, nostrum in locum nihil fluxisse videtur. Sed non desunt alii loci, qui et ipsi Persarum quasdam locutiones nobis in memoriam revocent.

Velut nox appellatur

Aesch. Pers. 428 *κελαινῆς νυκτὸς ὄμμα*

Eur. J. T. 110 *νυκτὸς ὄμμα λυγαίας.*

De remigibus dicuntur haec

Aesch. Pers. 397: *ἔπαισαν ἅλμην βρύχιον ἐκ κελεύματος.*

Eur. J. T. 1390: *οἱ δὲ στεναγμὸν ἡδὺν ἐκβρυχώμενοι ἔπαισαν ἅλμην.*

ib. 1404 .... *ἐπωμίδας κώπῃ προσαρμόσαντες ἐκ κελεύσματος.*

Copiae navales cum fluctibus comparantur

Aesch. Pers. 412 *τὰ πρῶτα μέν νυν ῥεῦμα Περσικοῦ στρατοῦ ἀντεῖχεν.*

Item terrestres

Eur. J. T. 1437 *παῦσαι διώκων ῥεῦμά τ' ἐξορμῶν στρατοῦ.*

Haec quidem, quae modo enumeravi iterata, haud scio an diligenti Persarum Aeschyleae studio debeat Euripides. Casui attribuo, quod

Pers. 230 illud .... *κεῖνα δ' ἐκμαθεῖν θέλω,*

recurrit J. T. 257 ...... *τοῦτο γὰρ μαθεῖν θέλω*

quam esse formulam tritissimam Schroederus l. l. 98 multis docuit exemplis.

Iphigeniam Tauricam eodem fere tempore esse actam atque **Helenam,** quam anno 412° prodisse traditum accepimus, Schroederus l. l. p. 88 ex similitudine argumentorum admodum mirifica collegit. Christius[1]) vero et Bruhnius[2]) et Lindskogius[3]) argumentis, ut mihi videtur, satis firmis nixi statuerunt, etsi inter duas illas fabulas haud multum temporis spatii interesset, tamen Iphigeniam ante Helenam esse collocandam. Atque Euripides sicut in Taurica Iphigenia novam fabulam tragice exornans iam recessit ab Aeschylea mythopoeia, ita in tractando Helenae argumento etiam multo magis a solita eademque Aeschylea mythi forma declinavit Stesichori

1) Griech. Litteraturgesch.³ p. 222.
2) E. Bruhn, Prooem. ad Iph. Taur. p. 11 sq.
3) Studien zum antiken Drama p. 118 sq.

palinodiae premens vestigia[1]). Ab altera parte fieri non potuit, quin nonnullis in rebus cum Aeschylea quoque mythopoeia consentiret Euripides eaque tali, qualis in Orestea invenitur. Velut iam Aeschylus in Proteo satyris Homerum secutus finxerat Menelaum Helenamque a Pergamo reduces procella delatos esse in Aegyptum ibique Idotheam convenisse Proteumque fatiloquum. Apud Euripidem quoque Helena defertur ad Proteum neque tamen deum marinum, sed regem Aegyptiorum. Neque deest Idothea vel potius Ido[2]) regis Protei filia, quam a Nereo matris Psamathae patre quasi hereditate accepisse divinationem vv. 13 sqq. legimus[3]).

Protei Aeschyleae argumentum iam in Agamemnone quodammodo indicatur. Quaerit enim coryphaeus ex Argivorum nuntio, salvusne redierit in patriam Menelaus. Ille quidem negans se quidquam compertum habere de Menelai reditu enarrat, quemadmodum Achivorum naves tempestate correptae dissipataeque sint. In Euripidea fabula Helena a Teucro sciscitatur, quam sortem nactus sit Menelaus. Refert Teucer de eadem illa tempestate. Agamemnonis nuntius in dubio reliquerat, quid factum esset Menelao, Teucer persuasum habet eum undis perisse.

Haec quidem ad ipsas pertinent res. Iam videas, quae similitudo intercedat hac in re inter sermonem Aeschyli et Euripidis:

Aesch. Ag. 617 *ΧΟ.* *σὺ δ' εἰπέ, κῆρυξ, Μενέλεων δὲ πεύθομαι*
εἰ νόστιμός τε καὶ σεσωσμένος κτλ.
Ag. 624 *ΚΗ.* *ἀνὴρ ἄφαντος ἐξ Ἀχαιϊκοῦ στρατοῦ κτλ.*
Ag. 626 sq. *ΧΟ.* *πότερον ἀναχθεὶς ἐμφανῶς ἐξ Ἰλίου,*
ἢ χεῖμα, κοινὸν ἄχθος, ἥρπασε στρατοῦ;
Ag. 630 sqq. *ΧΟ.* *πότερα γὰρ αὐτοῦ ζῶντος ἢ τεθνηκότος*
φάτις πρὸς ἄλλων ναυτίλων ἐκλήζετο;
ΚΗ. *οὐκ οἶδεν οὐδεὶς κτλ.*
Eur. Hel. 123 sq. *ΕΛ.* *ἤδη δ' ἐν οἴκοις σὺν δάμαρτι Μενέλεως;*
ΤΕΥ. *οὔκουν ἐν Ἄργει κτλ.*

---

1) Hanc inter Stesichorum et Euripidem similitudinem praeter ceteros optime illustravit Lindskogius, Stud. z. ant. Drama p. 103 sqq.

2) Eandem nominis formam iam adhibuerat Aeschylus, quam apud Euripidem Hel. 11 legimus: *Εἰδώ.* Etenim Schol. Od. δ 366 *Εἰδοθέη, ἀπὸ τῆς εἰδήσεως καὶ ἐπιστήμης τοῦ πατρὸς τὸ ὄνομα· καὶ Αἰσχύλος δὲ ἐν Πρωτεῖ Εἰδοθέαν αὐτὴν καλεῖ.* Etym. Gud. p. 316, 30 e cod. Paris. (p. 1445 C) correctum: *κερδώ ὑποκοριστικῶς, ὡς παρ' Αἰσχύλῳ ἡ Εἰδὼ ... ἀντὶ τοῦ Εἰδοθέα.*

3) Ceterum cf. Max Mayer p. 15.

Hel. 126 sqq. *ΤΕΥ. ὡς κεῖνος ἀφανὴς σὺν δάμαρτι κλῄζεται.*
ΕΛ. οὐ πᾶσι πορθμὸς αὑτὸς Ἀργείοισιν ἦν;
ΤΕΥ. ἦν, ἀλλὰ χειμὼν ἄλλοσ' ἄλλον ὥρισε.
Hel. 131 sq. *ΕΛ. κἀκ τοῦδε Μενέλεων οὔτις εἶδ' ἀφιγμένον;*
ΤΕΥ. οὐδείς· θανὼν δὲ κλῄζεται καθ' Ἑλλάδα.
Aesch. Ag. 659 *ὁρῶμεν ἀνθοῦν πέλαγος Αἰγαῖον νεκροῖς.*
Eur. Hel. 130 *μέσον περῶντας πέλαγος Αἰγαίου πόρου.*

Execrationes illae, quae apud Aeschylum in auctores Troici belli effunduntur, ne in Euripidis quidem fabula desunt. Velut Paris ob nuptias infauste initas appellatur

Ag. 712 *αἰνόλεκτρος*
et Hel. 1120 *αἰνόγαμος*

Helenae adulterium urguet praecipue Agamemnonis chorus [1]) (681 sqq.) affirmans illam Troibus venisse non nuptae sed Furiae instar armatos trahentem perniciemque dotis loco secum ferentem
Aesch. Ag. 690 sqq.: *ἐκ τῶν ἁβροπήνων* (Salmasius pro *ἁβροτίμων*)
προκαλυμμάτων ἔπλευσεν
ζεφύρου γίγαντος αὔρᾳ.
πολύανδροί τε φεράσπιδες κυναγοὶ
κατ' ἴχνος κτλ.
ib. 403 sqq. *λιποῦσα δ' ἀστοῖσιν ἀσπίστορας*
κλόνους λογχίμους τε καὶ ναυβάτας ὁπλισμούς.
ἄγουσά τ' ἀντίφερνον Ἰλίῳ φθοράν, Βέβακεν κτλ.
ib 744 sqq. *παρακλίνασ' ἐπέκρανεν*
δὲ γάμου πικρὰς τελευτάς,
δύσεδρος καὶ δυσόμιλος
συμένα Πριαμίδαισιν... νυμφόκλαυτος Ἐρινύς.

Quibus ex locis nonnulla in suum usum vertisse Euripidem, cum chorum dicentem faceret de simulacro Helenae loco Troiam advecto, etiam ex corrupto versuum contextu perspicitur:
cf. Eur. Hel. 1132 sqq. (*ἀλίμενα δ' ὄρεα μέλεα, βαρβάρου στολᾶς*)
ὅτ' ἔσυτο πατρίδος ἀποπρὸ χειμάτων πνοᾷ
(cf. Ag. 692 *ζεφύρου αὔρᾳ*)
γέρας οὐ γέρας, ἀλλ' ἔριν (cf. Ag. 406 *ἀντίφερνον φθορὰν*)
Δαναῶν νεφέλαν ἐπὶ ναυσὶν ἄγων (cf. Ag. 404, 693)
εἴδωλον ἱερὸν (*ἔργον* F. G. Schmidt) *Ἥρας.*

1) M. Mayer p. 17 „Quam libertatem iudicii de Helena lati sponte sua Aeschylus nunquam assecutus esset; ductus esse videtur Stesichorea poesi, quam in Orestia trilogia adhibuit.“

Praeterea velim conferas haecce exempla.

Caterva quaerens e Clytaemestra

Aesch. Ag. 278 *ποίου χρόνου δὲ καὶ πεπόρθηται πόλις;*

Helena item e Teucro

Eur. Hel. 111 *πόσον χρόνον γὰρ διαπεπόρθηται πόλις;*

Aesch. Ag. 44 (*Μενέλαος ἄναξ ἠδ' Ἀγαμέμνων* ...) *ζεῦγος Ἀτρειδᾶν*,

Eur. Hel. 392 (*ὃς ἐξέφυσεν* ...) *Ἀγαμέμνον' ἐμέ τε Μενέλεων, κλεινὸν ξυγόν*.

Aesch. Ag. 1142 sq. chorus Cassandram cum fletu et luctu querentem cum luscinia comparat Ityn flebilibus vocibus desiderante (*οἷά τις ξουθὰ Ἀκόρετος βοᾶς, φεῦ, ταλαίναις* (*φοιταλέαις* Wecklein) *φρεσὶν Ἴτυν Ἴτυν στένουσ' ἀμφιθαλῆ κακοῖς Ἀηδὼν βίον.*). Qui locus haud scio an obversatus sit Euripidi scribenti

Hel. 1109 sqq. (*ἀναβοάσω*) *σὲ τὰν ἀοιδοτάταν*
ὄρνιθα μελῳδὸν ἀηδόνα δακρυόεσσαν,
ἐλθὲ διὰ ξουθᾶν γενύων ἐλελιζομένα
θρήνοις ἐμοῖς ξυνῳδός.

Restat, ut enumerem nonnullas similitudines fortuitas, quae hac in fabula inter Aeschyleam et Euripideam dictionem intercedere videantur:

Aesch. Cho. 4 *τύμβου δ' ἐπ' ὄχθῳ τῷδε* ...
Eur. Hel. 984 *τύμβου 'πὶ νώτοις τοῦδ'* ....
Aesch. Prom. 470 sq. .... *οὐκ ἔχω σόφισμ' ὅτῳ*
τῆς νῦν παρούσης πημονῆς ἀπαλλαγῶ
ib. 1000 *πρὸς τὰς παρούσας πημονὰς κτλ.*
Aesch. Pers. 470 sq. ... *τοιάνδε σοι*
πρὸς τῇ πάροιθε συμφορὰν πάρα στένειν
Eur. Hel. 457 *πρὸς τὰς πάροιθεν συμφορὰς εὐδαίμονας*
ib. 508 sq. ... *τὰ πρόσφορα*[1])
τῆς νῦν παρούσης συμφορᾶς αἰτήσομαι
Pers. 411 ... *ἐπ' ἄλλην δ' ἄλλος ηὔθυνεν δόρυ*
Hel. 1611 ... *ἐς Ἑλλάδ' εἶπεν εὐθύνειν δόρυ.*

Euripides simili modo atque in Electra Choephoros vel potius totam Aeschyli Oresteam respexerat, in **Phoenissis** rationem habuit

1) Cho. 714 *κἀκεῖ κυρούντων σώμασιν τὰ πρόσφορα.*

eiusdem Oedipodeae, aemulum modo imitans eiusque versus ad verbum fere exprimens, modo eundem acerrime perstringens. Quae Aeschylus tota tractaverat trilogia, Euripides solito more una fabula, qua tamen magis actuosa magisque episodiis abundans vix ulla exstitit, complexus est. Velut iam prologus Phoenissarum ea fere continet, quae apud Aeschylum in Laio Oedipoque narrata esse videntur, ita tamen, ut Euripidem haud pauca novasse statim cognoscas. Nam, ut exemplum afferam, vix dubitari potest, quin Aeschyli in fabula Iocasta incestu patefacto mortem sibi consciverit, cum Euripides eam vitam perferre fingat, donec post filiorum caedem mortem obeat voluntariam. Idem fere de Oedipo iudicandum est, quem eo tempore, cum fabulam Septem agi censendum est, iam dudum obisse nobis fingere debemus aliter atque Euripideum, qui, cum domi remanserit, postremo filiis exstinctis patria expulsus filia duce Graeciam permigrare instituit [1]. In universum tamen ea, quae in Phoenissarum prologo ab Iocasta referuntur, cum Aeschylo congruunt, id quod haud scio an optime intellegatur ex Septem illo cantico, quo summa videatur contineri Lai Oedipodisque fabularum

Sept. 742 sqq.: *παλαιγενῆ γὰρ λέγω*
παρβασίαν ὠκύποινον·
αἰῶνα δ' ἐς τρίτον μένει,
Ἀπόλλωνος εὖτε Λάϊος
βίᾳ, τρὶς εἰπόντος ἐν
μεσομφάλοις Πυθικοῖς
χρηστηρίοις, θνάσκοντα γέν-
νας ἄτερ σώζειν πόλιν κτλ.

Clarius responderat apud Euripidem Pythia

Phoen. 17 sqq.: ... *ὦ Θήβαισιν εὐίπποις ἄναξ,*
μὴ σπεῖρε τέκνων ἄλοκα [2]) *δαιμόνων βίᾳ·*
εἰ γὰρ τεκνώσεις παῖδ', ἀποκτενεῖ σ' ὁ φύς,
καὶ πᾶς σὸς οἶκος βήσεται δι' αἵματος.

1) Frid. Spiro, De Eur. Phoen. doctissime disserens et eos locos, quos ad Aeschyli exemplar compositos putat, commemorat (p. 20 sq., adn. 17) et Euripidis enumerat in hoc argumento novata (p. 16 sq.). Quod ad illam priorem quaestionem attinet, apertissimum quidque attulit, sed plurima omisit. Ingentem copiam suppeditat Valckenarius, ex quo me permultum profecisse libere profiteor.

2) Praeivit Euripidi in hac metaphora adhibenda idem Aeschylus scribens Sept. 752 sqq. *πατροκτόνον Οἰδιπόδαν, Ὅστε ματρὸς ἁγνὰν Σπείρας ἄρουραν, ἵν' ἐτράφη, Ῥίζαν αἱματόεσσαν ἔτλα.* (Cf. Soph. O. T. 1256. Ant. 569.)

Invito Apolline Laius generat filium lubidini indulgens, cf. Sept. 750 sqq. κρατηθεὶς [δ'] ἐκ φίλων ἀβουλιᾶν
ἐγείνατο μὲν μόρον αὐτῷ,
πατροκτόνον Οἰδιπόδαν κτλ.
Phoen. 21 sq. ὁ δ' ἡδονῇ δοὺς ἔς τε βακχεῖον πεσὼν
ἔσπειρεν ἡμῖν παῖδα κτλ.

Quomodo apud Aeschylum parentes conati sint puerum de medio tollere, illo cantico non discimus, sed Ranarum vv. 1189 sqq., quo loco quin Aristophanes Aeschylum Oedipodis sortem explicantem faciens Aeschyleae fabulae formam respexerit vix est, quod dubitemus; sic enim ibi legitur:

ὅτε δὴ πρῶτον μὲν αὐτὸν γενόμενον
χειμῶνος ὄντος ἐξέθεσαν ἐν ὀστράκῳ [1]),
ἵνα μὴ 'κτραφεὶς γένοιτο τοῦ πατρὸς φονεύς.
εἶθ' ὡς Πόλυβον ἤρρησεν οἰδῶν τὼ πόδε...

Hieme puerum esse expositum idque in olla Euripides non refert. De vulnere, unde nomen duxit Oedipus, et ipse tacere nequivit (cf. Phoen. 26 sq. 805). Quomodo apud Aeschylum Oedipus ad Polybum pervenerit, nescimus. Hoc tamen Euripides videtur novasse, quod finxit Meropen, Polybi uxorem, puerulum marito tamquam ipsius partum subdidisse (Phoen. 30 sq.). Lai caedem quaeque cum ea cohaerent, quonam modo Aeschylus enarraverit, ignoramus [2]). De eis quoque rebus, quae apud Aeschylum parricidium sequebantur, nihil constat nisi Oedipum Thebas venisse et Sphingis aenigmate soluto inscium insciam in matrimonium duxisse matrem liberosque ex ea suscepisse. Quae autem Oedipodis in fabula parricidio incestuque detectis facta sint, haud scio an intellegantur Aesch. Sept. v. 778 sqq.:

ἐπεὶ δ' ἀρτίφρων ἐγένετο μέλεος ἀθλίων γάμων,
ἐπ' ἄλγει δυσφορῶν
μαινομένᾳ κραδίᾳ
δίδυμα κάκ' ἐτέλεσεν.
πατροφόνῳ χερὶ τῶν
κρεισσοτέκνων ὀμμάτων ἐπλάγχθη.
τέκνοισιν δ' ἀρὰς ἐφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς, αἰαῖ
πικρογλώσσους ἀράς κτλ.

1) Cf. Aesch. Lai. fr. 122 χυτρίζειν.

2) Ad locum patricidii respicere videtur Aesch. Oed. fr. 173: ... ἐπῆμεν τῆς ὁδοῦ τροχήλατον Σχιστῆς κελεύθου τρίοδον, ἔνθα συμβολὰς Τριῶν

Audimus igitur Oedipodem quasi furore stimulatum duo facinora commisisse, et ipsum se obcaecasse et liberos diris devovisse. Sed prae pessimo sequentium versuum habitu haud satis intellegi potest, cur filios execratus sit pater: legitur enim *ἐφῆκεν ἐπικότους τροφάς*, quod, quia sensu caret, vvdd. *τροφᾶς* mutaverunt: quamquam etiam nunc ambigi potest, quomodo hic locus intellegendus sit. Si tamen cum scholiasta facimus ad Oed. Col. 1375 adnotante: *οἱ περὶ Ἐτεοκλέα καὶ Πολυνείκην δι' ἔθους ἔχοντες τῷ πατρὶ Οἰδίποδι πέμπειν ἐξ ἑκάστου ἱερείου μοῖραν τὸν ὦμον ἐκλαθόμενοί ποτε εἴτε κατὰ ῥᾳστώνην εἴτε ἐξ ὁτουοῦν ἰσχίον αὐτῷ ἔπεμψαν, ὁ δὲ μικροψύχως καὶ τελέως ἀγεννῶς ὅμως γοῦν ἀρὰς ἔθετο κατ' αὐτῶν δόξας κατολιγωρεῖσθαι. ταῦτα ὁ τὴν κυκλικὴν Θηβαΐδα ποιήσας ἱστορεῖ οὕτως·*

ἰσχίον ὡς ἐνόησε κτλ.

τὰ δὲ παραπλήσια τῷ ἐποποιῷ καὶ Αἰσχύλος ἐν τοῖς Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, haud absona videtur Wilamowitzii Wecklini aliorumque interpretatio, qui de execrationibus sermonem esse putant, „quarum causa propter victum vel habitum tractatumque concepta sit" [1]). Apud Euripidem aliter explicatur Phoen. 66 sq.:

. . . . . πρὸς δὲ τῆς τύχης νοσῶν
ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτους.

filii enim *κλῄθροις ἔκρυψαν πατέρ', ἵν' ἀμνήμων τύχη*
γένοιτο πολλῶν δεομένη σοφισμάτων (Phoen. 64 sq.)

Contra redit ad Aeschylum Euripides cum Oedipodem easdem execrationes fecit pronuntiantem, quibus apud illum utitur. En videas ipse:

Aesch. Sept. 785 sqq. *τέκνοισιν δ' ἀρὰς ἐφῆκεν ἐπικότους*
τροφᾶς, αἰαῖ,
πικρογλώσσους ἀράς,
καί σφε σιδαρονόμῳ
διὰ χερί ποτε λαχεῖν
κτήματα [2]).

κελεύθων Ποτνιάδων ἠμείβομεν. Item Euripides narrat in trivio caedem esse perpetratam Phoen. 37 sq. . . . *καὶ ξυνάπτετον πόδα Ἐς ταὐτὸν ἄμφω Φωκίδος σχιστῆς ὁδοῦ.* (Cf. Soph. O. R. 733 sq.)

1) Aliter hunc locum intellegunt Hermannus eumque secutus H. Geistius (De fabula Oedipodea II, 6 sq.) statuentes Oedipum filios diris devovisse, quod tam sceleste incesteque progenitos educasset (*τροφᾶς*).

2) Cf. Sept. 815 sqq. . . . *οἱ δ' ἐπιστάται. Δισσὼ στρατηγώ. διέλαχον σφυρηλάτῳ Σκύθῃ σιδήρῳ κτημάτων παμπησίαν.*

Eur. Phoen. 67 sq. ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας
θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τόδε.

Execrationes apud Aeschylum ita videntur evenisse, ut fratres de partiendo heredio discordantes alter alterum regno pelleret. Hoc Euripides ita immutavit, ut fingeret fratres, ne ratae fierent execrationes patris, inter se pactos esse, ut alternis vicibus per annum regnarent vel exularent. Eteocles autem adeo non permanet in fide data, ut Polynicem fratrem ex annuo exilio reducem turpissime e regno urbeque expelleret. In eis quae sequuntur rebus (ὁ δ' Ἄργος ἐλθών, κῆδος Ἀδράστου λαβών, Πολλὴν ἀθροίσας ἀσπίδ' Ἀργείων ἄγει· Ἐπ' αὐτὰ δ' ἐλθὼν ἑπτάπυλα τείχη τάδε, Πατρῷ' ἀπαιτεῖ σκῆπτρα καὶ μέρη χθονός Phoen. 77 sqq.) Euripidem rursus cum Aeschylo facere, quamquam hic de Polynicis cum Adrasti filia matrimonio nihil refert, in propatulo est. Quod autem Iocastae morem gerentes fratres discordes, priusquam proelio decertetur, intra muros obsessae urbis conveniunt, ut suam uterque apud matrem dicat causam, novatum est ab Euripide. Haec quidem de prologo Euripideae fabulae. Admodum simplex est argumentum Aeschyleae: illud actuosum in Phoenissis iam veteres vvdd. mirati sunt. Aeschylus satis habuit inducere Eteoclem, nuntium speculatorem, catervam virginum Thebanarum: num illa scaena, qua Antigone, Ismene, praeco prodeunt, genuina sit, valde dubitatur [1]). Contra quanta apud Euripidem hominum multitudo! Videturne omnes fere personas, quaecunque in Thebanis reperiuntur mythis, ut in scaenam produceret studuisse? Προλογίζει Iocasta. Quae vix abiit, cum Antigona paedagogusque τειχοσκοπίαν ineunt. Mox colloquuntur inter se fratres infensi praesente Iocasta matre. Neque desunt Creo Tiresiasque vates. Prodit Menoeceus ipse se pro patriae salute in praeceps daturus. Nuntiantur Argivorum clades, fratrum caedes alterna, Iocastae voluntaria mors. Plangit occisum Polynicem Antigona, expellitur Oedipus. Nonne videtur Euripides enixe operam dedisse, ut multitudine et magnificentia episodiorum oblivione obrueret simplicem illam de septem ducibus fabulam, quam Aeschylus progenuit? A quo in eo quoque recessit, quod omnino diverse ab illo amborum fratrum mores adumbravit. Primarias partes in Septem agit Eteocles, homo durus superbusque, neque tamen carens pietate et probitate et qui non tam odio fratris regnandique cupiditate impelli videtur, quam patriae amore.

1) Vide infra s. t. de episodiis.

Quin in perniciem ruit non tam propriam ob noxam, quam Dirarum stimulis execrationisque vi agitatus. Longum distat ab Aeschyleo Euripidis Eteocles, homo iustitiae expers, ferox contemptor humani divinique iuris, odio fraterno flagrantissimus [1]. Neque solum malignitate insignem eum esse videmus, sed etiam puerili quadam temeritate ac paene stultitia, si quidem recte intellego illud Eteoclis cum Creonte colloquium, quo de ratione committendorum deliberant proeliorum. Vicibus versis Euripides Polynicis et causam et mores ita depinxit, ut displicere nequeant, cum in Aeschyli fabula ille quasi nota nequitiae denotatus sit (cf. Sept. 571 sqq.) verbis Amphiarai, *ἀνδρὸς σωφρονεστέτου*, quod iudicium poetae ipsius esse nemo non videt. In Phoenissis Polynicis causam iustam esse iterum iterumque audimus (cf. Phoen. 154, 258 saepius). Matrem sororemque non tam Eteoclem quam ipsum exulem Polynicem amore prosequi compluribus perspicitur locis. Atque Polynices multo magis ingenuum se praebet fratre, quem ipse moriens morientem deplorat

Phoen. 1444 sqq. *ἀπωλόμεσθα, μῆτερ· οἰκτείρω δὲ σὲ*
καὶ τήνδ᾽ ἀδελφὴν καὶ κασίγνητον νεκρόν.
φίλος γὰρ ἐχθρὸς ἐγένετ᾽, ἀλλ᾽ ὅμως φίλος.

Cum hisce velim conferas Eteoclis ad proelium proficiscentis mandata Phoen. 774 sqq.

πόλει δὲ καὶ σοὶ ταῦτ᾽ ἐπισκήπτω, Κρέον·
ἤνπερ κρατήσῃ τἀμά, Πολυνείκους νέκυν
μήποτε ταφῆναι τῇδε Θηβαίᾳ χθονί.

Sed non satis habuit Euripides argumentum ab Aeschylo receptum immutare, emendare, amplificare, immo etiam apertius, quam par erat, illius rationem componendi reprehendit castigatque. Mediam enim Aeschyleae fabulae partem efficit illud inter speculatorem Eteoclemque colloquium, quo ab illo septem ducum personae accuratissime describuntur enarrante, quomodo quisque exornatus quam portam aggressurus sit quasque orationes habeat, ab Eteocle autem unicuique eorum adversarius designatur. Atque haud verisimile videretur belli ducem tam longos sermones et audire et dicere hostium exercitu appropinquante, ni ipse poeta satis circumspecte otii causam indicasset Sept. 378 sq.: … *πόρον δ᾽ Ἰσμηνὸν οὐκ ἐᾷ περᾶν Ὁ μάντις· οὐ γὰρ σφάγια γίγνεται καλά.*

1) Cf. Weckl. Phoen. ed. p. 12.

Sed tamen Euripides facere non potuit, quin propterea Aeschylo illuderet Phoen. 748 sqq.

ἔσται τάδ᾽. ἐλθὼν δ᾽ ἑπτάπυργον ἐς πόλιν
τάξω λοχαγοὺς πρὸς πύλαισιν, ὡς λέγεις,
ἴσους ἴσοισιν πολεμίοισιν ἀντιθείς.
ὄνομα δ᾽ ἑκάστου διατριβὴν πολλὴν ἔχει,
ἐχθρῶν ὑπ᾽ αὐτοῖς τείχεσιν καθημένων.

Verum enim vero adeo non destitit septem Argivorum duces adumbrare, quae arma, quos sermones, quos habitus prae se ferrent, ut etiam bis de eis referendum curaret. Ac primum quidem in ipso prologo fecit Homeri *τειχοσκοπίαν* imitatus Antigonam cum paedagogo hostium exercitum lustrantem. „Timida puella, cum sene ultra aetatem militarem provecto colloquens, non quae opinatur vel fando audivit, sed quae coram spectat de multitudine exercitus, de ducum ferocia et fortitudine, de armorum novitate ac splendore exponit. Quanto hoc commodius est, quam turbam mulierum, quae nunquam hostes ipsae conspexissent, perpetuis clamoribus aures obtundere! Esse autem istas *θρέμματα οὐκ ἀνάσχετα* Aeschylus ipse testatus est“ 1). In eis autem, quae hac in scaena de ducibus Argivorum exponuntur, multa invenies, quae cum aliorum Septem locorum memoriam revocent, tum eiusdem illius colloquii, quod Euripides tam acerbe perstrinxit.

Ac primum quidem Hippomedon adumbratur. Miratur Antigona, quanta facilitate aheneum vibret scutum (Phoen. 121 sq.). Idem iam apud Aeschylum speculator adstupuit

Sept. 486 sqq. *τέταρτος ἄλλος . . .*
. . . ξὺν βοῇ παρίσταται
Ἱππομέδοντος σχῆμα καὶ μέγας τύπος.
ἅλω δὲ πολλήν, ἀ σ π ί δ ο ς κύκλον λέγω,
ἔφριξα δινήσαντος. οὐκ ἄλλως ἐρῶ.

Quibuscum verbis conferas quaeso

Eur. Phoen. 119 sqq. *τίς οὗτος ὁ λευκολόφας,*
πρόπαρ ὃς ἀγεῖται στρατοῦ
πάγχαλκον ἀ σ π ί δ᾽ ἀμφὶ βρα-
χίονι κουφίζων;

Praeterea Aeschyleum illud *μέγας τύπος Ἱππομέδοντος* agnosces in

---

1) Hartung, Eur. rest. II p. 446.

Phoen. 127 sq. ἓ ἓ ὡς γαῦρος, ὡς φοβερὸς εἰσιδεῖν,

γίγαντι γηγενέτᾳ προσόμοιος.

Deinde utrobique de Tydei aviditate pugnandi verba fiunt (Sept. 380 sq. 392. Phoen. 134). Tertio loco apud Euripidem indicatur Parthenopaeus, Atalantae filius, cuius iuventutem quasi oppositam esse vultus atrocitati Phoen. 146 audimus: *ὄμμασι γοργὸς εἰσιδεῖν νεανίας*. Similia iam apud Aeschylum leguntur de Parthenopaeo, qui Sept. 533 et 537 appellatur *ἀνδρόπαις ἀνήρ* . . . *γοργὸν δ' ὄμμ' ἔχων*. Execratur Antigona adulescentem Phoen. 151 sq. *ἀλλά νιν ἁ κατ' ὄρη μετὰ ματέρος*[1] *Ἄρτεμις ἱεμένα τόξοις δαμάσασ' ὀλέσειεν*. Haud secus apud Aeschylum chorus iactationibus Parthenopaei auditis diras effundit

Sept. 566 sq. . . . εἴθε γὰρ (εἰ θεοὶ M)

θεοὶ τούσδ' ὀλέσειαν ἐν γᾷ.

De Polynice vero aliter apud Aeschylum aliter apud Euripidem verba fieri non miraberis, modo consideraveris, quam diverse uterque eius mores adumbrarit. Ambo tamen poetae fingunt Polynicem eximio armorum splendore esse insignem (cf. Sept. 644 *χρυσήλατον ἄνδρα κτλ.* Phoen. 168 *ὅπλοισι χρυσέοισιν ἐκπρεπής*).

Adrastum Aeschylus septem ducum numero non inseruit. Apud Euripidem desideras Eteoclum. Amphiaraus in utraque fabula vel ab hostibus laudibus effertur, utpote qui invitus bello intersit[2]. Ultimo loco commemoratur in Phoenissis Capaneus, quem iam Aesch. Sept. 425 sq. audimus infandas minas iactationesque effundere:

. . . ὁ κόμπος δ' οὐ κατ' ἄνθρωπον φρονεῖ,

πύργοις δ' ἀπειλεῖ δείν', ἃ μὴ κραίνοι τύχη·

Capaneo cum adversarium destinaverit Eteocles, chorus illum devovens

1) Aeschylus cum appellat Sept. 532 sq. *μητρὸς ἐξ ὀρεσκόου Βλάστημα καλλίπρῳρον*.

2) Miratur Antigona, quanta sit Amphiaraus moderatione in coercendis equis stimuloque adhibendo Phoen. 177 sq.

ὡς ἀτρεμαῖα κέντρα καὶ σώφρον' ἐν μεταφρένοις φέρων πώλους εὐθύνει.

Neque aliter apud Aeschylum Amphiarai in armis gestandis moderata aequitas videtur laudari Sept. 590 sq.

τοιαῦθ' ὁ μάντις ἀσπίδ' εὐκήλως ἔχων Πάγχαλκον ηὔδα,

siquidem cum Donnero primae Medicei manus illud

εὔκηλον ἔχων

leniter mutatum recipimus. (Cf. Weckl. Phoen. ed. comment. instr. v. 177.)

Sept. 452 sqq. *ὄλοιθ' ὃς πόλει μεγάλ' ἐπεύχεται,*
κεραυνοῦ δέ νιν βέλος ἐπισχέθοι,
πρὶν ἐμὸν ἐσθορεῖν δόμον, πωλικῶν θ'
ἑδωλίων ὑπερκόπῳ δορί ποτ' ἐκλαπάξαι.

Quos versus Euripidis animo obversatos esse putaverim, cum faceret Antigonam Capaneo imprecantem, ut fulmine ictus periret, priusquam Thebanas virgines captivas abduceret:

cf. Phoen. 182 sqq. *Νέμεσι καὶ Διὸς βαρύβρομοι βρονταί,*
κεραύνιόν τε φῶς αἰθαλόεν, σύ τοι
μεγαλανορίαν (*μεγαληγορίαν* Valckenaer)
ὑπεράνορα[1]) *κοιμίζεις.*
ὅδ' ἐστίν, αἰχμαλωτίδας
ὃς δορὶ Θηβαίας ... δώσειν κτλ.

Illi quoque scaenae, in qua Iocasta filios alterum alteri placare conatur, quamquam in Aeschylea fabula exemplar non habet, tamen nonnullas et locutiones et sententias cum illa communes esse hacce intellegitur collectione:

Aesch. Sept. 254 *αὐτὴ σὺ δουλοῖς κἀμὲ* (*καὶ σὲ* Wunderlich) *καὶ πᾶσαν πόλιν.*
Eur. Phoen. 437 *παῦσαι πόνων με καὶ σὲ καὶ πᾶσαν πόλιν.*
Aesch. Sept. 338 c *εὖτε πτόλις δαμασθῇ*
ib. 765 c *μὴ πόλις δαμασθῇ*
Eur. Phoen. 563 d *ὄψει δαμασθὲν ἄστυ*
Aesch. Sept. 5 *εἰ δ' αὖθ', ὃ μὴ γένοιτο, συμφορὰ τύχοι* (nimirum si expugnarentur Thebae) *κτλ.*
Eur. Phoen. 571 *φέρ', ἢν ἕλῃς γῆν τήνδ', ὃ μὴ τύχοι ποτε κτλ.*

Amphiaraus Polynici patriae bellum inferenti maledicens

Sept. 580 sqq.: *ἦ τοῖον ἔργον καὶ θεοῖσι προσφιλές,*
καλόν τ' ἀκοῦσαι καὶ λέγειν μεθυστέροις,
πόλιν πατρῴαν καὶ θεοὺς τοὺς ἐγγενεῖς
πορθεῖν, στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβεβληκότα;
μητρός τε πληγὴν τίς κατασβέσει δίκη,
πατρίς τε γαῖα σῆς ὑπὸ σπουδῆς δορὶ
ἁλοῦσα πῶς σοι ξύμμαχος γενήσεται;

Sine dubio Euripides ex loco modo collaudato profecit, cum faceret Iocastam Polynici haec dicentem

1) Quibuscum conferas velim, quae apud Aeschylum caterva Parthenopaei iactatione audita canit Sept. 563 sqq. *ἱκνεῖται λόγος διὰ στηθέων, Τριχὸς δ' ὀρθίας πλόκαμος ἵσταται. Μεγάλα μεγαληγόρων Κλύουσ' ἀνοσίων ἀνδρῶν· εἴθε γὰρ Θεοὶ τούσδ' ὀλέσειαν ἐν γᾷ.*

Phoen. 570 sqq.: ἀσύνετα δ' ἦλθες καὶ σὺ π ο ρ θ ή σ ω ν π ό λ ι ν.
φέρ', ἢν ἕλῃς γῆν τήνδ', ὃ μὴ τύχοι ποτέ,
πρὸς θεῶν, τρόπαια πῶς ἀναστήσεις Διί;
πῶς δ' αὖ κατάρξῃ θυμάτων, ἑλὼν πάτραν,
καὶ σκῦλα γράψεις πῶς ἐπ' Ἰνάχου ῥοαῖς;
„Θήβας πυρώσας τάσδε Πολυνείκης θεοῖς
ἀσπίδας ἔθηκε"; μήποτ', ὦ τέκνον, κλέος
τοιόνδε σοι γένοιθ' ὑφ' Ἑλλήνων λαβεῖν.

Chorus Thebanarum mulierum frustra retinet Eteoclem, ne ipse obsistat fratri. Ille autem intellegens iam in eo esse, ut ratae fierent patris execrationes, exclamat

Sept. 689 sqq. ἐπεὶ τὸ πρᾶγμα κάρτ' ἐπισπέρχει θεός,
ἴ τ ω κατ' οὖρον κῦμα Κωκυτοῦ λαχὸν
Φοίβῳ στυγηθὲν π ᾶ ν τ ὸ Λ α ΐ ο υ γ έ ν ο ς.

Similiter, sed multo brevius apud Euripidem Eteocles Phoen. 624 matri anxie quaerenti πατρὸς οὐ φεύξεσθ' Ἐρινῦς; respondet ἐ ρ ρ έ τ ω π ρ ό π α ς δ ό μ ο ς. Etymologiam Polynicis nominis neque Aeschylus (cf. Sept. 658 ἐ π ω ν ύ μ ῳ δὲ κάρτα, Π ο λ υ ν ε ί κ ε ι λέγω, ib. 578 sq. 830) neque Euripides (cf. Phoen. 636 sq.... ἀληθῶς δ' ὄνομα Π ο λ υ ν ε ί κ η πατὴρ Ἔθετό σοι θείᾳ προνοίᾳ νεικέων ἐ π ώ ν υ μ ο ν) praetermiserunt. Alterum Phoenissarum episodium ut non caret reprehensione Aeschyli, ita similitudines quasdam cum eodem habet easque certe non fortuitas. Etenim speculator Eteocli suadet, ut quam celerrime septem hostium ducibus opponeret septem Thebanos:

cf. Sept. 57 sq. πρὸς ταῦτ' ἀρίστους ἄνδρας ἐκκρίτους πόλεως
πυλῶν ἐπ' ἐξόδοισι τάγευσαι τάχος.

Neque non paret ille consilio

Sept. 282 sqq.: ἐγὼ δ' ἐπ' ἄνδρας ἓξ ἐμοὶ σὺν ἑβδόμῳ
ἀντηρέτας ἐχθροῖσι τὸν μέγαν τρόπον
ἐς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους τάξω μολών.

Apud Euripidem Creonte auctore septem duces septem praeponuntur portis:

cf. Phoen. 737 sqq. *KP.* ἕπτ' ἄνδρας αὐτοῖς φασιν, ὡς ἤκουσ' ἐγώ,
ET. τί προστετάχθαι δρᾶν; τὸ γὰρ σθένος βραχύ.
KP. λόχων ἀνάσσειν ἑπτὰ προσκεῖσθαι πύλαις.
ET. τί δῆτα δρῶμεν; ἀπορίαν γὰρ οὐ μενῶ.
KP. ἕπτ' ἄνδρας αὐτοῖς καὶ σὺ πρὸς πύλαις
ἑλοῦ κτλ.

et postea Phoen. 748 sqq. *ἔσται τάδ'· ἐλθὼν δ' ἑπτάπυλον ἐς πόλιν*
τάξω λοχαγοὺς πρὸς πύλαισιν, ὡς λέγεις,
ἴσους ἴσοισιν πολεμίοισιν ἀντιθείς.

Apud Aeschylum Eteocles abiens, ut ipse frater fratrem armis petat, Sept. 672 sqq. *τούτοις πεποιθὼς εἶμι καὶ ξυστήσομαι*
αὐτός. τίς ἄλλος μᾶλλον ἐνδικώτερος;
ἄρχοντί τ' ἄρχων καὶ κασιγνήτῳ κάσις,
ἐχθρὸς σὺν ἐχθρῷ στήσομαι.

In Euripidea vero fabula Eteocles quasi ardet flagratque cupiditate fratris in certamine necandi:
cf. Phoen. 754 sq. *καί μοι γένοιτ' ἀδελφὸν ἀντήρη λαβεῖν*
καὶ ξυσταθέντα διὰ μάχης ἑλεῖν δορί.

Vim quandam et effectum in eo esse posita, quod apud Aeschylum Eteocles ad pugnam profecturus satellites arma sibi adferre iubet sic:
(Sept. 675 sq.) ... *φέρ' ὡς τάχος*
κνημῖδας, αἰχμὴν καὶ πετρῶν προβλήματα
non fugit Euripidem. Ideo et ipse Eteoclem fecit ministris imperantem Phoen. 779 sqq. *ἐκφέρετε τεύχη πάνοπλά τ' ἀμφιβλήματα*
ὡς εἰς ἀγῶνα τὸν προκείμενον δορὸς
ὁρμώμεθ' ἤδη ξὺν δίκῃ νικηφόρῳ.

In cantico, quod hanc sequitur scaenam, iterum Euripides ex Aeschyli Septem profecisse videtur. Ille enim contulerat Martis impetum cum flatibus procellae
Sept. 63 sq. *(σὺ δ' ὥστε ναὸς κεδνὸς οἰακοστρόφος*
φάρξαι πόλισμα), πρὶν καταιγίσαι πνοὰς
Ἄρεως.

Simili metaphora usus Euripides
Phoen. 789 sqq. c *(ὦ πολύμοχθος Ἄρης)* ...
σὺν ὁπλοφόροις στρατὸν Ἀργείων ἐπιπνεύσας
αἵματι Θήβαις ... προχορεύεις

Aesch. Sept. 726 *παιδολέτωρ δ' ἔρις ἅδ' ὀτρύνει* conferas cum Eur. Phoen. 798 sq. *ἦ δεινά τις Ἔρις θέος, ἃ τάδε*
μήσατο πήματα γᾶς βασιλεῦσιν.

Tertium Phoenissarum *ἐπεισόδιον*, id, quod Creontis cum Tiresia colloquium continet, haud ita multa exhibet, quae memoriam Aeschyli revocent. Fortasse haec possunt conferri:
Sept. 795 sq. *πόλις δ' ἐν εὐδίᾳ τε καὶ κλυδωνίου*
πολλαῖσι πληγαῖς ἄντλον οὐκ ἐδέξατο.
Phoen. 859 sq. *ἐν γὰρ κλύδωνι κείμεθ', ὥσπερ οἶσθα σύ,*
δορὸς Δαναϊδῶν, καὶ μέγας Θήβαις ἀγών.

In Aeschylea fabula anxiae virgines, quae chorum efficiunt, ab Eteocle increpitae promittunt tacentes se res adversas esse perpessuras idque cum aliis malorum sociis

Sept. 263: σιγῶ· σὺν ἄλλοις πείσομαι τὸ μόρσιμον.

Neque aliter Tiresias se unum cum multis aliis futura toleraturum esse affirmat, nimirum urbis expugnationem

Phoen. 894 sq.: … εἷς γὰρ ὢν πολλῶν μέτα
τὸ μέλλον, εἰ χρή, πείσομαι κτλ.

Iam supra vidimus in τειχοσκοπίας scaena Euripidem saepius respexisse ad nuntii illam de septem ducibus narrationem, quam Aeschylea exhibet fabula. Id iterum fieri in eis, quae nuntius de Thebanorum victoria exponit (Phoen. 1090 sqq.) accurate enarrans, quomodo singulorum Argivorum ducum impetus repulsi sint quamvis armis verbisque gloriantium, non miraberis. Sed discrepat Euripides ab Aeschylo in disponendis septem ducibus per septem portas.

Eteoclo Aeschyleo substitutum esse Adrastum iam supra monuimus. Apud utrumque tragicum oppugnant Polynices Crenaeas, Hippomedon Ogygias, Capaneus Electras, quae dicuntur portas. Ceteros, quomodo uterque disposuerit, aptissime ex tabella [1]) cognoscitur hac:

πύλαι	apud Aeschylum:	apud Euripidem:
1. Νήϊσται	Eteoclus	Parthenopaeus
2. Προιτίδες	Tydeus	Amphiaraus
3. Ὁμολωΐδες	Amphiaraus	Tydeus
4. Βοῤῥαῖαι	Parthenopaeus	Adrastus

Amphiarai moderatio iam in Septem nuntio videtur laude digna. Caret eius scutum signo:

cf. Aesch. Sept. 568 sq. ἕκτον λέγοιμ' ἂν ἄνδρα σωφρονέστατον,
ἀλκήν τ' ἄριστον, μάντιν, Ἀμφιάρεω
βίαν.

ib. 590 sq. τοιαῦθ' ὁ μάντις ἀσπίδ' εὐκήλως ἔχων
πάγχαλκον ηὔδα· σῆμα δ' οὐκ ἐπῆν κύκλῳ.

Similiter adumbratur Amphiaraus ab Euripide

Phoen. 1109 sqq. … ἐς δὲ Προιτίδας
πύλας ἐχώρει σφάγι' ἔχων ἐφ' ἅρματι
ὁ μάντις Ἀμφιάραος, οὐ σημεῖ' ἔχων
ὑβρισμέν', ἀλλὰ σωφρόνως ἄσημ' ὅπλα.

1) Cf. Weckl. ed. Phoen. p. 106.

Capaneum nuntius speculator sic describit
Aesch. Sept. 432 sqq. ἔχει δὲ σῆμα γυμνὸν ἄνδρα πυρφόρον,
φλέγει δὲ λαμπὰς διὰ χερῶν ὡπλισμένη·
χρυσοῖς δὲ φωνεῖ γράμμασιν „πρήσω
πόλιν“ [1]).

Eadem fere de Tydeo dicuntur
Eur. Phoen. 1121 ... δεξιᾷ δὲ λαμπάδα
Τιτὰν Προμηθεὺς ἔφερεν ὡς πρήσων πόλιν.

Parthenopaeus apud Aeschylum scutum vibrat mira machina ita instructum, ut in eo sphingis signum torqueatur:
cf. Sept. 541 sq. Σφίγγ' ὠμόσιτον προσμεμηχανημένην
γόμφοις ἐνώμα, λαμπρὸν ἔκκρουστον δέμας.

Mutato insigni Euripides eandem machinam tribuit Polynicis clupeo
Phoen. 1124 sq.: ... Ποτνιάδες δ' ἐπ' ἀσπίδι
ἐπίσημα πῶλοι δρομάδες ἐσκίρτων φόβῳ,
εὖ πως στρόφιγξιν ἔνδοθεν κυκλούμεναι
πόρπαχ' ὑπ' αὐτόν, ὥστε μαίνεσθαι δοκεῖν.

Serpentium imagines nescio quo modo in scuto Hippomedontis expressas esse putandum est apud Aeschylum Sept. 495 sq. Simile signum exhibet Adrasti clupeus apud Euripidem Phoen. 1135 sq., ita tamen ut etiam cum Parthenopaei insigni, quale in Septem describitur, similitudinem quandam habeat. Huius enim in scuto Sphinx sculpta esse dicitur unum de Thebanis oppressum secum abstrahens
Sept. 539 sqq.: τὸ γὰρ πόλεως ὄνειδος ἐν χαλκηλάτῳ
σάκει, κυκλωτῷ σώματος προβλήματι,
Σφίγγ' ὠμόσιτον προσμεμηχανημένην
... ἐνώμα ...
φέρει δ' ὑφ' αὑτῇ φῶτα Καδμείων ἕνα.

Sphingis loco apud Euripidem dracones comparent in Adrasteo scuto singulos Thebanos de muro oribus auferentes
Phoen. 1137 sq. ... ἐκ δὲ τειχέων μέσων
δράκοντες ἔφερον τέκνα Καδμείων γνάθοις.

Insignibus, quibus Eteocli apud Aeschylum, Capanei apud Euripidem scuta exornata sunt, etsi non eandem praebent formam, tamen eadem subest vis:

1) Ad quae Stanleyus „Hic vero per virum πυρφόρον Prometheum intellegi nullus dubito; facit hoc ut credam Eur. in Phoen. 1128 (1121).“

cf. Sept. 465 sqq. *ἐσχημάτισται δ' ἀσπὶς οὐ σμικρὸν τρόπον·*
ἀνὴρ ὁπλίτης κλίμακος προσαμβάσεις[1])
στείχει πρὸς ἐχθρῶν πύργον, ἐκπέρσαι θέλων.

Phoen. 1131 *γίγας ἐπ' ὤμοις γηγενὴς ὅλην πόλιν*
φέρων μοχλοῖσιν ἐξανασπάσας βάθρων,
ὑπόνοιαν ἡμῖν οἷα πείσεται πόλις.

Anguibus circumcincta Typhoei imago in Hippomedontis scuto expressa conspiciebatur apud Aeschylum Sept. 493 sqq. Cum Typhoio turbine comparatur Atalantae filius admodum impetuosus Eur. Phoen. 1153 sqq.

De eodem Parthenopaeo dicitur

Phoen. 1156 sq. *ἀλλ' ἔσχε μαργῶντ' αὐτὸν ἐναλίου θεοῦ*
Περικλύμενος παῖς κτλ.

Iam de Tydeo Aeschylus propter eius aviditatem dimicandi verbo *μαργᾶν*[2]) usus erat

Sept. 380 sq.: *Τυδεὺς δὲ μαργῶν καὶ μάχης λελιμμένος*
μεσημβριναῖς κλαγγαῖσιν ὡς δράκων βοᾷ.

Euripides vero, cum Phoen. 1144 scriberet *ἔκλαγξε Τυδεύς*, quin ad Aesch. Sept. v. 381 illud *κλαγγαῖσιν* respexerit, non est dubium. Pugnae ipsius descriptionem Aeschylus omisit, quoniam in Argivis vel Eleusiniis iam descripserat. In Septem igitur satis habuit brevibus verbis nuntiandas curare cladem Argivorum, salutem urbis, alternam fratrum caedem. Sed tamen significaverat Aeschylus, quid futurum esset huic vel illi de Septem ducibus. Velut de Capaneo minas iactationesque effundente nuntius speculator apud Aeschylum

Sept. 426 sqq.: *πύργοις δ' ἀπειλεῖ δείν', ἃ μὴ κραίνοι τύχη·*
θεοῦ τε γὰρ θέλοντος ἐκπέρσειν πόλιν
καὶ μὴ θέλοντος φησίν, οὐδὲ τὴν Διὸς
ἔριν πέδοι σκήψασαν ἐμποδὼν σχεθεῖν.

Quibus auditis Eteocles

Sept. 444 sqq.: *πέποιθα δ' αὐτῷ ξὺν δίκῃ τὸν πυρφόρον*
ἥξειν κεραυνὸν κτλ.

---

1) Hanc quoque Aeschyli locutionem Euripides mutuatus est, Phoen. 488 sq. . . . *μήτε προσφέρειν Πύργοισι πηκτῶν κλιμάκων προσαμβάσεις* et Phoen. 1173 sq. *μακραύχενος γὰρ κλίμακος προσαμβάσεις Ἔχων ἐχώρει.*

2) Recurrit idem verbum Eur. Phoen. 1246 *ἔσται δὲ λαμπρῷ χρῶμά τ' οὐκ ἠλλαξάτην Μαργῶντ' ἐπ' ἀλλήλοισιν ἱέναι δόρυ.*

Atque Euripides cum ipsum proelium describendum curaret, de eadem Capanei iactatione narravit

Phoen. 1174 sqq.: ... καὶ τοσόνδ' ἐκόμπασε,
μηδ' ἂν τὸ σεμνὸν πῦρ νιν εἰργαθεῖν Διὸς
τὸ μὴ οὐ κατ' ἄκρων περγάμων ἑλεῖν πόλιν.

Quae vero apud Aeschylum Eteocles de Capaneo praefatus est, ea in Euripidis fabula facta esse audimus:

cf. Phoen. 1180 sq. ἤδη δ' ὑπερβαίνοντα γεῖσα τειχέων
βάλλει κεραυνῷ Ζεύς νιν.

Ceterum Euripides a brevitate illa, quam Aeschylus adhibuit in nuntiandis Thebanorum victoria fratrumque caede, adeo recessit, ut tribus nuntii narrationibus satis amplis certiores redderet spectatores de repulso primo Argivorum impetu, de consilio Eteoclis cum fratre decertandi, de ipso certamine, de Iocastae nece ab ipsa perpetrata. Atque in hac quoque fabulae parte invenies locos, qui ad Aeschyli exemplum ab Euripide compositi esse videantur. Velut utrobique nuntius de calamitate fratrum relaturus exordium sumit a salute urbis:

cf. Sept. 799 sqq. καλῶς ἔχει· τὰ πλεῖστ' ἐν ἓξ πυλώμασιν.
τὰς δ' ἑβδόμας ὁ σεμνὸς ἑβδομαγέτης
ἄναξ Ἀπόλλων εἵλετ', Οἰδίπου γένει
κραίνων παλαιὰς Λαΐου δυσβουλίας.

Phoen. 1356 sqq. τὰ μὲν πρὸ πύργων εὐτυχήματα χθονὸς
οἶσθ'. —

ib. 1359 sqq. ἐπεὶ δὲ χαλκέοις σῶμ' ἐκοσμήσανθ' ὅπλοις
οἱ τοῦ γέροντος Οἰδίπου νεανίαι,
ἔστησαν ἐλθόντ' ἐς μέσον μεταίχμιον
δισσὼ στρατηγὼ[1]) καὶ διπλὼ στρατηλάτα
ὡς εἰς ἄγωνα μονομάχου τ' ἀλκὴν δορός.

Atque iam antea similitudo quaedam statuenda est; nuntius speculator catervam appellat

Sept. 792: θαρσεῖτε, παῖδες μητέρων τεθραμμέναι·
ad quae coryphaeus: πόλις πέφευγεν ἥδε δούλιον ζυγόν;
et iterum ille: πέπτωκεν ἀνδρῶν ὀβρίμων κομπάσματα,
πόλις δ' ἐν εὐδίᾳ κτλ.

Similiter apud Euripidem Eteoclis satelles Iocastae de filii salute timenti respondet

1) Imitatur hoc versu poeta Aesch. Sept. 816 οἱ δ' ἐπιστάται, Δισσὼ στρατηγὼ διέλαχον κτλ.

Phoen. 1077: ζῇ, μὴ τρέσῃς τόδ', ὥς σ' ἀπαλλάξω φόβου·
ad quae Iocasta: τί δ'; ἑπτάπυργοι πῶς ἔχουσι περιβολαί;
et rursus satelles ille: ἑστᾶσ' ἄθραυστοι, κοὐκ ἀνήρπασται πόλις.

Virgines Thebanae, quae apud Aeschylum catervam efficiunt, conspectis fratrum corporibus sic plangunt

Sept. 852 sqq.: ἀλλὰ γόων, ὦ φίλαι, κατ' οὖρον
ἐρέσσετ' ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν
πίτυλον, ὃς αἰὲν δι' Ἀχέροντ' ἀμείβεται
τὰν ναύστολον μελάγκροκον θεωρίδα κτλ.

Qui versus fortasse Euripidi obversati sunt, cum Creontem faceret exclamantem

Phoen. 1310 sqq.: οἴμοι, τί δράσω; πότερ' ἐμαυτὸν ἢ πόλιν
στένω δακρύσας, ἣν πέριξ ἔχει νέφος
τοιοῦτον ὥστε δι' Ἀχέροντος ἰέναι; [1]).

Aeschylus chorum fecit praefantem fratres de heredio discordes mox ferro partiente suam quemque accepturos esse partem, sed

(Sept. 732 sq.) ὁπόσαν καὶ φθιμένοισιν κατέχειν,
τῶν μεγάλων πεδίων ἀμοίρους.

Recurrit haec sententia in narratione nuntii dicentis

Sept. 816 sq.: . . . διέλαχον σφυρηλάτῳ
Σκύθῃ σιδήρῳ κτημάτων παμπησίαν.
ἕξουσι δ' ἣν λάβωσιν ἐν ταφῇ χθόνα
πατρὸς κατ' εὐχὰς δυσπότμως φορούμενοι,

et postea in cantico Sept. 947 sqq., ubi haec leguntur:

ἔχουσι μοῖραν λαχόντες, ὦ μέλεοι,
διοσδότων ἀχέων·
ὑπὸ δὲ σώματι γᾶς
πλοῦτος ἄβυσσος ἔσται.

Euripides simile quid Polynicem morientem fingit dicere

Phoen. 1447 sqq.: θάψον δέ μ', ὦ τεκοῦσα, καὶ σύ, σύγγονε,
ἐν γῇ πατρῴᾳ, καὶ πόλιν θυμουμένην
παρηγορεῖτον, ὡς τοσόνδε γοῦν τύχω
χθονὸς πατρῴας, κεἰ δόμους ἀπώλεσα.

Apud Aeschylum caterva haesitans

1) Cf. Wecklein Phoen. ed. p. 119 ad v. 1312.

Sept. 825 sqq.: *πότερον χαίρω κἀπολολύξω*
πόλεως ἀσινεῖ σωτῆρι,
ἢ τοὺς μογεροὺς καὶ δυσδαίμονας
ἀτέκνους κλαύσω πολεμάρχους;

Idem sibi volunt, quae nuntius apud Euripidem tamquam summam sub fine narrationis edicit

Phoen. 1478 sq.: *πόλει δ' ἀγῶνες οἱ μὲν εὐτυχέστατοι*
τῇδ' ἐξέβησαν, οἱ δὲ δυστυχέστατοι.

Si recte intellego

Aesch. Sept. 846 sqq. *τάδ' αὐτόδηλα, προὔπτος ἀγγέλου λόγος·*
διπλαῖ μέριμναι, διδυμάνορέα
κάκ' αὐτοφόνα κτλ.,

nobis putandum est Eteoclis Polynicisque corpora in scaenam advehi. Idem fit in Phoenissis, ut ex 1480 sqq. satis intellegitur:

οὐκ εἰς ἀκοὰς ἔτι δυστυχία
δώματος ἥκει· πάρα γὰρ λεύσσειν
πτώματα νεκρῶν τρισσῶν ἤδη
τάδε πρὸς μελάθροις κοινῷ θανάτῳ
σκοτίαν αἰῶνα λαχόντων.

Extrema Septem fabulae pars est illud *ἐπεισόδιον* multis suspectum, in quo Antigona, postquam cum Ismena sorore carmine amoebaeo fratres occisos planxit, contra magistratus edictum Polynicem a se sepultum iri affirmat. Recurrit similis scaena Phoenissarum sub fine. Eteocli morem gerens vetuit Creon Polynicem sepultura affici. Atque hic quoque reclamitat Antigona impio Creontis edicto. Ideo non mirum si poetae easdem res tractantes, easdem fere adhibuerunt locutiones: en videas ipse, quas exscripsi similitudines:

Sept. 1013 sqq. *τοῦτον δ' ἀδελφὸν τόνδε Πολυνείκους νεκρόν,*
ἔξω βαλεῖν ἄθαπτον, ἁρπαγὴν κυσίν,
ὡς ὄντ' ἀναστατῆρα Καδμείων χθονός,
εἰ μὴ θεῶν τις ἐμποδὼν ἔστη δορὶ
τῷ τοῦδ'. ἄγος δὲ καὶ θανὼν κεκτήσεται
θεῶν πατρῴων, οὓς ἀτιμάσας ὅδε
στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβαλὼν ᾕρει πόλιν κτλ.

1025 *τοιαῦτ' ἔδοξ' ἐν τῷδε Καδμείων τέλει.*

Phoen. 1628 sqq. ... *τόνδε δ', ὃς πέρσων πόλιν*
πατρίδα σὺν ἄλλοις ἦλθε[1]), *Πολυνείκους νέκυν*

1) Cum illis *ὃς πέρσων πόλιν Πατρίδα σὺν ἄλλοις ἦλθε* aptissime contulit Wecklinus Aesch. Sept. 1018 sq. *θεῶν πατρῴων, οὓς ἀτιμάσας ὅδε Στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβαλὼν ᾕρει πόλιν.*

ἐκβάλετ' ἄθαπτον τῆσδ' ὅρων ἔξω χθονός.
κηρύξεται δὲ πᾶσι Καδμείοις τάδε·
ὃς ἂν νεκρὸν τόνδ' ἢ καταστέφων ἁλῷ
ἢ γῇ καλύπτων, θάνατον ἀνταλλάξεται.
Sept. 1026 sqq. ἐγὼ δὲ Καδμείων γε προστάταις λέγω,
ἤν μή τις ἄλλος τόνδε συνθάπτειν θέλῃ,
ἐγώ σφε θάψω κἀνὰ κίνδυνον βαλῶ
θάψασ' ἀδελφὸν τὸν ἐμόν, οὐδ' αἰσχύνομαι
ἔχουσ' ἄπιστον τήνδ' ἀναρχίαν πόλει.
Phoen. 1657 ἐγώ σφε θάψω, κἂν ἀπεννέπῃ πόλις.
Sept. 1046 sqq. ΚΗΡΥΞ. ἀλλ' ὃν πόλις στυγεῖ, σὺ τιμήσεις τάφῳ;
ΑΝΤΙΓΟΝΗ. ἤδη τὰ τοῦδε διατετίμηται θεοῖς·
ΚΗ. οὔ, πρίν γε χώραν τήνδε κινδύνῳ βαλεῖν.
ΑΝ. παθὼν κακῶς κακοῖσιν ἀντημείβετο.
Phoen. 1651 sqq. ΑΝ. οὐκ ἔννομον γὰρ τὴν δίκην πράσσεσθέ νιν.
ΚΡΕΩΝ. εἴπερ γε πόλεως ἐχθρὸς ἦν οὐκ ἐχθρὸς ὤν.
ΑΝ. οὐκοῦν ἔδωκε τὴν δίκην τῷ δαίμονι (Sic Pierson);
ΚΡ. καὶ τῷ τάφῳ νυν τὴν δίκην παρασχέτω·
ΑΝ. τί πλημμελήσας, τὸ μέρος εἰ μετῆλθε γῆς;

Sed etiam ubi res non ita fert, Euripides in Phoenissis verbis et locutionibus utitur, quae olent Septem Aeschyleam. Quorum quoniam plurima iam suis locis laudata sunt, cetera de quibus nondum diximus, quam brevissime enumerabo:

Aesch. Sept. 569 Ἀμφιάρεω βίαν. 571 Τυδέως βίαν.
577 Πολυνείκους βίαν. 641 Πολυνείκους βία.
448 Πολυφόντου βία. 620 Λασθένους βίαν.

Praeter hosce locos Aeschylus tantum Cho. v. 893 et fortasse v. 656 epicorum more nomina propria virorum sic circumscripsit. Quam locutionem uno, ni fallor, loco Euripides adhibuit, idque Phoen. v. 56 κλεινήν τε Πολυνείκους βίαν, atque putaverim eum id fecisse memoria et recordatione Aeschyleae fabulae commotum. Dein velim conferas haec:

Sept. 160 c χαλκοδέτων σακέων
Phoen. 114 c χαλκόδετα[1]) ἔμβολα
Sept. 211 sq. c ἀλλ' ἐπὶ δαιμόνων πρόδρομος ἦλθον ἀρχαῖα βρέτη
Phoen. 296 c μόλε πρόδρομος[2])

1) Cf. Aesch. fr. 57, 6. Apud Euripidem ἅπ. λεγ.
2) Cf. Soph. Ant. 109 c (φῶτα ... βάντα) φυγάδα πρόδρομον.

Sept. 52 d σιδηρόφρων θυμός
Phoen. 672 c σιδαρόφρων φόνος [1])
Sept. 284 d ἐς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους
Phoen. 1058 c ἑπτάπυργα κλῇθρα
Sept. 89 c ὁ λεύκασπις λαὸς
Phoen. 1099 d λεύκασπιν στρατόν [2])
Sept. 659 d τοὐπίσημα (i. e. insigne clupei) [3])
Phoen. 1107 d ἐπίσημ' ἔχων
1125 d ἐπίσημα (nom. neutr. sing.)
Sept. 302 c στρατὸν Καδμογενῆ
Phoen. 808 c Καδμογενῆ γένναν
Sept. 106 c ὦ χρυσοπήληξ δαῖμον (de Marte)
Phoen. 939 d χρυσοπήληκα στάχυν [4])
Sept. 474 Μεγαρεύς, Κρέοντος σπέρμα τοῦ σπαρτῶν γένους
Phoen. 942 σὺ δ' ἐνθάδ' ἡμῖν λοιπὸς εἶ σπαρτῶν γένους
Sept. 776 c τὰν ἁρπαξάνδραν κῆρα (scil. Sphingem)
Phoen. 1021 c Καδμείων ἁρπαγά (i. e. Sphinx, Cadmeorum raptrix)
Sept. 541 d Σφίγγ' ὠμόσιτον
Phoen. 1025 c χαλαῖσι τ' ὠμοσίτοις (de Sphingis ungulis)
Sept. 22 πυργηρουμένοις [5])
184 στρατῷ πυργηρουμένῳ
Phoen. 1087 πυργηρουμένοι [6]).

At in Phoenissis non talia solum insunt, quae Aeschyleae de eodem mytho fabulae memoriam revocent, sed etiam quae ad alia Aeschyli dramata respicere videantur, praesertim ad Supplices. Sic ut illae Danaides, Phoenissae quoque mulieres, quas Euripides Thebanis apud Aeschylum virginibus substituit, peregrinam quandam speciem prae se ferunt ducuntque et ipsae stirpem ab Epapho Ius filio. Epaphum igitur non modo Supplices, ut auxilium sibi ferat, implorant, sed etiam Phoenissae, ut Thebanis — nam hi ut Cadmi progenies item sunt ex Epapho oriundi — veniat auxilio. En conferas quaeso:

---

1) Cf. Aesch. Prom. 242 d. Apud Euripidem ἅ. λ. est.
2) Cf. Soph. Ant. 106 c τὸν λεύκασπιν φῶτα.
3) Victorius tamen mutavit τἀπίσημα.
4) Cf. Hom. Hymn. 8, 1.
5) Praeter hos locos apud Aeschylum alibi non recurrit.
6) Praeterea hoc verbum legitur Or. 762.

Aesch. Suppl. 41 sqq. *Νῦν δ' ἐπικεκλομένα*
Δῖον πόρτιν ὑπερ-
πόντιον τιμάορ', ἶνιν
ἀνθονομούσας προγόνου βοὸς ἐξ ἐπιπνοίας
Ζηνὸς ἔφαψιν.

Eur. Phoen. 677 *καί σε τὸν προμάτορος* (Aesch. Suppl. 533 *προγόνου γυναικός*)
Ἰοῦς ποτ' ἔκγονον,
Ἔπαφον, ὦ Διὸς γένεθλον,
ἐκάλεσ' ἐκάλεσα βαρβάρῳ βοᾷ [1])
ἰώ, βαρβάροις λιταῖς,
βᾶθι βᾶθι τάνδε γᾶν·
σοί νιν ἔκγονοι κτίσαν κτλ.

Danaides in Argivorum tutelam receptae pacem illorum urbi imprecantur Martem abominantes

Aesch. Suppl. 679 sqq. *μηδέ τις ἀνδροκμὴς*
λοιγὸς ἐπελθέτω τάνδε πόλιν δαΐζων,
ἄχορον ἀκίθαριν δακρυογόνον Ἄρη
βοάν τ' ἔνδημον ἐξοπλίζων.

Phoenissarum caterva et ipsa bellum abominans illa Martis epitheta magis exsequitur

Phoen. 784 sqq.: *ὦ πολύμοχθος Ἄρης, τί ποθ' αἵματι*
καὶ θανάτῳ κατέχῃ Βρομίου παράμουσος ἑορταῖς;
οὐκ ἐπὶ καλλιχόροις στεφάνοισι νεάνιδος ὥρας
βόστρυχον ἀμπετάσας, λωτοῦ κατὰ πνεύματα μέλπῃ
μοῦσαν, ἐν ᾇ χάριτες χοροποιοί,
ἀλλὰ σὺν ὁπλοφόροις στρατὸν Ἀργείων ἐπιπνεύσας
αἵματι Θήβας
κῶμον ἀναυλότατον προχορεύεις.

Aesch. Suppl. 303 sqq. de Argo Ius custode verba fiunt; appellatur *πανόπτης*. Phoen. 1115 audimus Hippomedontis clypeum insignem fuisse Argi imagine (*στικτοῖς πανόπτην ὄμμασιν δεδορκότα*).

Atque etiam e Prometheo colorem traxisse videtur Phoenissarum fabula nonnullis locis:

Aesch. Prom. 1091 sq. . . . *ὦ πάντων Αἰθὴρ κοινὸν φάος εἱλίσσων.*
Eur. Phoen. 3 *Ἥλιε, θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα.*

1) Iam Supplicum Aesch. caterva affirmat v. 118 se peregrino uti sermone.

Prom. 423 sq. d δάϊος στρατός, ὀξυπρῴ-
ροισι βρέμων ἐν αἰχμαῖς.
Phoen. 112 sq. οὐ γάρ τι φαύλως ἦλθε Πολυνείκης χθόνα,
πολλοῖς μὲν ἵπποις, μυρίοις δ' ὅπλοις βρέμων.

Aeschylus de Typhoeo fulmine icto
Prom. 358 sqq. ἀλλ' ἦλθεν αὐτῷ Ζηνὸς ἄγρυπνον βέλος,
καταιβάτης κεραυνὸς ἐκπνέων φλόγα,
ὃς αὐτὸν ἐξέπληξε τῶν ὑψηγόρων
κομπασμάτων,

quem locum in memoria habuisse Euripidem Valckenarius putat scribentem
Phoen. 182 sqq. Νέμεσι καὶ Διὸς βαρύβρομοι βρονταὶ
κεραυνιόν τε φῶς αἰθαλόεν, σύ τοι
μεγαλανορίαν (μεγαληγορίαν) ὑπεράνορα κοιμίζεις.
Sept. 1031 δεινὸν τὸ κοινὸν σπλάγχνον, οὗ πεφύκαμεν κτλ.
Prom. 39 τὸ συγγενές τοι δεινὸν ἥ θ' ὁμιλία.
Phoen. 355 δεινὸν γυναιξὶν αἱ δι' ὠδίνων γοναί.
Ag. 1180 ... ἡλίου πρὸς ἀντολάς.
Prom. 707 ... ἡλίου πρὸς ἀντολάς (i. e. ad orientem versus).
Phoen. 504 ... ἡλίου πρὸς ἀντολάς (proprie).

Prometheus recusans, ne illud de Iovis nuptiis arcanum edicat
Prom. 992 sqq. πρὸς ταῦτα ῥιπτέσθω μὲν αἰθαλοῦσσα φλόξ,
λευκοπτέρῳ δὲ νιφάδι καὶ βροντήμασι
χθονίοις κυκάτω πάντα καὶ ταρασσέτω·
γνάμψει γὰρ οὐδὲν τῶνδέ μ' ὥστε καὶ φράσαι κτλ.

Idem postea quoque similiter
Prom. 1043 sqq.: πρὸς ταῦτ' ἐπ' ἐμοὶ ῥιπτέσθω μὲν
πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος, αἰθὴρ δ' ἐρεθιζέσθω κτλ.

Haud fortuito apud Euripidem Eteoclem matris precibus immotum simili locutione uti putaverim, cum neget pernegetque se cum fratre in gratiam esse rediturum
Phoen. 521 sqq. πρὸς ταῦτ' ἴτω μὲν πῦρ, ἴτω δὲ φάσγανα,
ζεύγνυσθε δ' ἵππους, πεδία πίμπλαθ' ἁρμάτων,
ὡς οὐ παρήσω τῷδ' ἐμὴν τυραννίδα.

Apud Aeschylum Prometheus gloriatur homines sibi debere numeros, litteras aliaque id genus inventa
Prom. 459 sqq.: καὶ μὴν ἀριθμόν, ἔξοχον σοφισμάτων,
ἐξηῦρον αὐτοῖς κτλ.

Similia apud Euripidem ἰσότητι tribuuntur ab Iocasta
Phoen. 541 sq. καὶ γὰρ μετρ' ἀνθρώποισι καὶ μέρη σταθμῶν
ἰσότης ἔταξε κἀριθμὸν διώρισε.
Prom. 219. . . . Ταρτάρου μελαμβαθὴς Κευθμών.
Phoen. 1010 . . . σηκὸν ἐς μελαμβαθῆ Δράκοντος.
Prom. 352 δάϊον τέρας (de Typhoeo).
Phoen. 1023 δάϊον τέρας (de Sphinge).
Prom. 677 sqq. . . . βουκόλος δὲ γηγενὴς
ἄκρατος ὀργὴν Ἄργος ὡμάρτει πυκνοῖς
ὄσσοις δεδορκὼς τοὺς ἐμοὺς κατὰ στίβους.
Phoen. 1114 sq. ἔστειχ' ἔχων σημεῖον ἐν μέσῳ σάκει
στικτοῖς Πανόπτην ὄμμασιν δεδορκότα.
Prom. 546 sqq. οὐδ' ἐδέρχθης
ὀλιγοδρανίαν ἄκικυν,
ἰσόνειρον κτλ. (de imbecillo hominum genere).
Phoen. 1722 τᾷδε τᾷδε πόδα τίθει
ἀντόνειρον (libri ὥστ' ὄνειρον) ἰσχύν (de Oedipode sene).

In tanta multitudine exemplorum vix quis putaverit fortuitam esse recordationem. Immo videtur Euripides haec accuratissimo Aeschyli Promethei studio debuisse.

Multo pauciora ex Persis fluxerunt in Phoenissas:
Pers. 428 d κελαινῆς νυκτὸς ὄμμα
Phoen. 543 d νυκτός τ' ἀφεγγὲς βλέφαρον.
Pers. 395 σάλπιγξ δ' ἀϋτῇ πάντ' ἐκεῖν' ἐπέφλεγεν.
Eadem metaphora haud minus audaci quam nobili Euripides utitur
Phoen. 1377 sq. ἐπεὶ δ' ἀφείθη πυρσὸς ὣς Τυρσηνικῆς
σάλπιγγος ἠχὴ σῆμα φοινίου μάχης.
Pers. 262 c μακροβίοτος . . . αἰών.
Phoen. 1535 c μακρόπνουν ζωάν.

Contra saepius poeta ad Agamemnonis fabulam respexisse videtur.
cf. Aesch. Ag. 1617 sq. σὺ ταῦτα φωνεῖς νερτέρᾳ προσήμενος
κώπῃ, κρατούντων τῶν ἐπὶ ζυγῷ δορός;
Quam similitudinem a re navali petitam Euripidem mutuatum esse, cum scriberet
Phoen. 74 sq. . . . ἐπεὶ δ' ἐπὶ ζυγοῖς
καθέζετ' ἀρχῆς κτλ. Valckenarius monet.

Aeschylus Furias Atridarum domui adhaerentes cum comissatione comparaverat, neque vero vinum sed hominum cruorem bibente Ag. 1188 sqq.: *καὶ μὴν πεπωκώς γ', ὡς θρασύνεσθαι πλέον,*
βρότειον αἷμα κῶμος ἐν δόμοις μένει,
δύσπεμπτος ἔξω, συγγόνων Ἐρινύων.

Qui locus haud scio an Euripidis animo obversatus sit, scribentis Phoen. 350 sqq. *⟨ὄλοιτο, τάδ' εἴτε σίδαρος*
εἴτ' ἔρις εἴτε πατὴρ ὁ σὸς αἴτιος⟩,
εἴτε τὸ δαιμόνιον κατεκώμασε
δώμασιν Οἰδιπόδα [1]).

Senes non iam erecti incedere pollentes nisi adhibito adminiculo cum infantibus conferuntur
Ag. 74 sqq.: *μίμνομεν ἰσχὺν*
ἰσόπαιδα νέμοντες ἐπὶ σκήπτροις·
ὅ τε γὰρ νεαρὸς μυελὸς στέρνων
ἐντὸς ἀνᾴσσων ἰσόπρεσβυς . . .
et Phoen. 847 sq.: *ὡς παῖς ἔτ' ἀπτὴν* (Sic Hermann pro *πᾶς ἀπήνη*) . .
πούς τε πρεσβύτου φιλεῖ
χειρὸς θυραίας ἀναμένειν κουφίσματα.

Nuntius Agamemnonis reditu narrato de Menelai calamitate accuratius referre iussus recusat, ne faustis rebus enarratis malas immisceat
Ag. 636 sqq.: *εὔφημον ἦμαρ οὐ πρέπει κακαγγέλῳ*
γλώσσῃ μιαίνειν.
et postea 648 *πῶς κεδνὰ τοῖς κακοῖσι συμμείξω κτλ.;*

Similiter Thebanus ille victoria civium enarrata, cum ex eo quaesiverit Iocasta, quonam modo filii se haberent
Phoen. 1217 sqq. *αἰαῖ· τί μ' οὐκ εἴασας ἐξ εὐαγγέλου*
φήμης ἀπελθεῖν, ἀλλὰ μηνῦσαι κακά;

Iphigenia vocem edere prohibita tamquam oculis adloquitur sacrificii ministros:
cf. Ag. 240 sqq. *ἔβαλλ' ἕκαστον θυτήρων ἀπ' ὄμματος βέλει*
φιλοίκτῳ . . . προσεννέπειν θέλουσ',
quibuscum conferas, quae de moriente Eteocle dicuntur ad loquendum non iam valente
Phoen. 1440 sq.: *φωνὴν μὲν οὐκ ἀφῆκεν, ὀμμάτων δ' ἄπο*
προσεῖπε δακρύοις, ὥστε σημῆναι φίλα.

1) Weckl. Phoen. p. 57 sq. ad. v. 352.

Praeterea velim conferas:
Aesch. Eum. 353 c παλλεύκων πέπλων ἄμοιρος
Eur. Phoen. 324 c ἄπεπλος φαρέων λευκῶν
Aesch. Eum. 710 ... εἴρηται λόγος.
Eur. Phoen. 1012. Or. 1203 ... εἴρηται λόγος.
Aesch. Arm. iud. fr. 176 ἁπλᾶ γάρ ἐστι τῆς ἀληθείας ἔπη.
Phoen. 469 ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ [1]).
Aesch. Glauc. Potn. fr. 38 ἐφ' ἅρματος γὰρ ἅρμα καὶ νεκρῶν νεκροί,
ἵπποι δ' ἐφ' ἵππων ἦσαν ἐμπεφυρμένοι
Eur. Phoen. 1194 sq. τροχοί τ' ἐπήδων, ἄξονες δ' ἐπ' ἄξοσι,
νεκροί τε νεκροῖς ἐξεσώρευονθ' ὁμοῦ.

Hypsipylae Euripidis cum Aeschylea cognomine fabula, quamquam in diverso argumento versatur — respicit haec ad Lemniarum Argonautarumque res, illa ad Nemeaeum Hypsipylae servitium Argivorumque adversus Thebas expeditionem — tamen iam in eo similitudo quaedam est, quod in utraque tragoedia eadem persona primarias agit partes. Quomodo autem Nemeam pervenerit Hypsipyla quaeque hic ei acciderint, narratur ab Apollodoro III 6, 4: *Παραγενόμενοι δὲ* (scil. *οἱ ἑπτὰ*) *εἰς Νεμέαν, ἧς ἐβασίλευε Λυκοῦργος, ἐζήτουν ὕδωρ. Καὶ αὐτοῖς ἡγήσατο τῆς ἐπὶ κρήνην ὁδοῦ Ὑψιπύλη, ἥτις νήπιον παῖδα ὄντα Ὀφέλτην ἀπολιποῦσα, ὃν ἔτρεφεν, Εὐριδίκης ὄντα καὶ Λυκούργου. Αἰσθόμεναι γὰρ αἱ Λήμνιαι ὕστερον Θόαντα σεσωσμένον, ἐκεῖνον μὲν ἔκτειναν, τὴν δὲ Ὑψιπύλην ἀπεμπόλησαν· διὸ πραθεῖσα ἐλάτρευε παρὰ Λυκούργῳ. Δεικνυούσης δὲ τὴν κρήνην, ὁ παῖς ἀπολειφθεὶς ὑπὸ δράκοντος διαφθείρεται. Τὸν μὲν οὖν δράκοντα ἐπιφανέντες οἱ μετὰ Ἀδράστου κτείνουσι, τὸν δὲ παῖδα θάπτουσιν. Ἀμφιάραος δὲ εἶπεν, ἐκείνοις τὸ σημεῖον τὰ μέλλοντα προμαντεύεσθαι. Τὸν δὲ παῖδα Ἀρχέμορον ἐκάλεσαν.*

1) Cf. Aesch. Cho. 554 ἁπλοῦς ὁ μῦθος.

* Adn. ad Phoen.: De Euripide Phrynichi Phoenissarum vestigia legente — id quod iam Aeschylum fecisse ex argum. Pers. (cf. Phryn. fr. 8 Nauck.) elucet — conferatur idem ille Spiro, qui l. c. p. 17 sq. optime contulit
Phryn. fr. 9 Σιδώνιον ἄστυ λιποῦσα et 10 καὶ Σιδῶνος προλιπόντα ναὸν καὶ δροσερὰν Ἄραδον
cum Phoen. Eur. 202 Τύριον οἶδμα λιποῦσ' ἔβαν ....
... Φοινίσσας ἀπὸ νάσου κτλ.

Dein Wilamowitzius nescio quo loco coniecit inter melodias Phrynichi et Euripidis intercessisse similitudinem quandam, ita ut in huius fabula recurrerent illius *ἀμβρόσια μέλεα*. Praeterea cf. Welcker. Trag. I p. 26 sq.

Οἱ δὲ ἔθεσαν ἐπ᾽ αὐτῷ τὸν τῶν Νεμέων ἀγῶνα κτλ. Quae vero antea Lemni facta sint — his enim de rebus Aeschylus fabulam composuit — clarescit ex Apollod. I 9, 17 . . . *ἔτυχε δὲ ἡ Λῆμνος ἀνδρῶν τότε* (cum Argonautae advenerunt) *οὖσα ἔρημος, βασιλευομένη δὲ ὑπὸ Ὑψιπύλης τῆς Θόαντος δι᾽ αἰτίαν τήνδε. Αἱ Λήμνιαι τὴν Ἀφροδίτην οὐκ ἐτίμων. Ἡ δὲ αὐταῖς ἐμβάλλει δυσοσμίαν, καὶ διὰ τοῦτο οἱ γήμαντες αὐτάς, ἐκ τῆς πλησίον Θρᾴκης λαβόντες αἰχμαλωτίδας, συνευνάζοντο αὐταῖς. Ἀτιμαζόμεναι δὲ αἱ Λήμνιαι τούς τε πατέρας καὶ τοὺς ἄνδρας φονεύουσι· μόνη δὲ ἔσωσεν Ὑψιπύλη τὸν ἑαυτῆς πατέρα κρύψασα Θόαντα. Προσχόντες οὖν τότε* (scil. *οἱ Ἀργοναῦται*) *γυναικοκρατουμένῃ τῇ Λήμνῳ, μίσγονται ταῖς γυναιξίν. Ὑψιπύλη δὲ Ἰάσονι συνευνάζεται, καὶ γεννᾷ παῖδας κτλ.* Consentaneum igitur est in prologo Euripideae fabulae Lemnias quoque Hypsipylae res esse enarratas seu ab ipsa seu, quod Welckerus maluit, a Baccho, sic ut Aeschylei argumenti facere non posset Euripides, quin rationem haberet. Hoc autem quonammodo factum sit, nunc perspici nequit.

Sed haud scio an illam quoque materiem, quam Euripides suae subiecit fabulae, ab Aeschylo iam tractatam esse censendum sit: commemoratur enim in catalogo Aeschyli dramatum *Νεμέα* titulus, quem, si respicimus ad schol. Pind. praef. Nem. p. 9 *τὰ Νέμεά φασιν ἄγεσθαι ἐπὶ Ὀφέλτῃ . . . ἄλλοι δέ, ὧν ἐστι καὶ Αἰσχύλος, ἐπ᾽ Ἀρχεμόρῳ τῷ Νεμέας παιδί*, ad matrem Archemori referre haud ita absonum est. Hermanno saltem (Opusc. VII 206), qui scholiastae Pindari illam de Archemoro adnotationem cum Apollod. III 6, 4 narratiuncula, quam supra dedimus, comparavit „non dubitandum videtur, quin N e m e a ad illam pertinuerit trilogiam, in qua fuit tragoedia H y p s i p y l e.“ Quae si recte coniecit vir ingeniosissimus, unum quidem discrimen inter Aeschyli et Euripidis fabulam iam in eo positum est, quod alter primarias dedit Archemori matri [1]), Nemeae — nam hoc titulus docet — alter Hypsipylae. Sed tota res satis dubia esse videtur: quin etiam non deerant, qui pro *Νεμέα* scribendum esse affirmarent *Νέμεα* [2]), ut de ludis Nemeaeis cogitandum esset: sed etiamsi de horum ludorum institutione illam fabulam composuit Aeschylus, facere non potuit quin

1) Cf. Wecklein, Aesch. fr. p. 545.

2) Sic Wagnerus; Wilamowitzio, Griech. Trag. I^3 p. 191, non dubium videtur, quin Nemea, Argivi, Eleusinii continuum exhibuerint argumentum, sic ut in prima huius trilogiae fabula ageretur de malis ominibus, quae septem ducibus Thebas petentibus evenissent.

ad Opheltem seu Archemorum dracone interemptum respiceret, quam rem quasi cardinem esse Euripideae tragoediae vix debet moneri.

Tertiae aetatis fabularum agmen claudit **Orestes**, quam anno 408° doctam esse accepimus. Euripides quamvis novum tractaret in hac tragoedia argumentum novasque fingeret actionis implicationes, tamen facere non potuit, quin Aeschyli respiceret Oresteam ad eosdem mythos spectantem: namque ex eisdem conditionibus proficiscuntur ille in Orestis, hic in Eumenidum fabula. Clytaemestrae caedem fingunt perpetratam esse ab Oreste filio: iamque in eo est, ut ille a Furiis exagitatus iudicium subeat, Minervae apud Aeschylum, Argivorum populi apud Euripidem. Qualem minitantur Furiae Orestem fore sua vexatione

Aesch. Eum. 302 *ἀναίματον, βόσκημα δαιμόνων, σκιάν,*

talem introduxit Euripides eum, ut ex Or. 385 sqq. et 390 sq. satis perspicitur; verum enim vero aliter Aeschylus, aliter Euripides Furias fingit: in Eumenidibus ipsae prodeunt: videbant spectatores Orestem tamquam victimam ab eis circumveniri atque hymnis funestis vinciri. Contra Euripides aemulum emendans illas de Furiis fabellas ad rationis amussim exigit: apud eum Furiae non sunt nisi in mente ac conscientia Orestis, qui eas conspicere sibi visus [1]) imaginationibus agitatur. Iure igitur Weilius „Que nous sommes loin d'Eschyle!" inquit „la mythologie s'est transformée en psychologie" [2]).

Apud utrumque autem tragicum Dirae non sine quadam similitudine depinguntur: appellantur enim

Aesch. Cho. 1048 sqq. *γυναῖκες . . . Γοργόνων δίκην*
φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
πυκναῖς δράκουσιν.

Apud Euripidem Orestes v. 256 eas dicit:

τὰς αἱματωποὺς καὶ δρακοντώδεις κόρας,

ubi illud *αἱματωποὺς* respicere videtur ad

Aesch. Cho. 1058 *κἀξ ὀμμάτων στάζουσιν αἷμα δυσφιλές.*

1) Similiter Io in Aesch. Prometheo affirmat ab Argo se vexari, quamquam omnino non adest ille.

2) Hoc non impedit, quin sub fine fabulae Furiarum mentio fiat, ac si verae sint deae: qualem inconstantiam iam in Iph. Taur. deprehendimus. Choephoron sub fine quae commemorantur Furiae dubitari licet, utrum visionis instar habendae sint necne: Orestes enim Diras sibi videtur conspicere, caterva non item: immo affirmat coryphaeus Orestis mentem perturbari cruore manibus asperso (Cho. 1051 sqq. 1055 sqq.). — Conferas etiam illa, quae Steigerus „Wie entstand der Orestes des Euripides" p. 8 not. 8 fortasse nimis sagaciter disputavit.

Sed redeamus ad ipsam Orestis oeconomiam. In prologo Euripides solito more *γενεαλογίζει*: Electra a Tantalo atavo exorsa de Atrei Thyestaeque famosissimis refert inimicitiis narratque de Atridarum matrimoniis infelicissime initis, de caede Agamemnonis Clytaemestraeque, de eventu matricidii. In hac narratione quod nonnulla similibus referuntur verbis, atque apud Aeschylum erat factum, vix miraberis: velut iam hic verba fecerat de epulis ab Atreo Thyestae fratri nefarie exstructis:

cf. Ag. 1593 ... *Ἀτρεὺς ... πατρὶ τὠμῷ ...*
... *παρέσχε δαῖτα παιδείων κρεῶν.*

Eur. Or. 15 *ἔδαισε δ' οὖν νιν τέκν' ἀποκτείνας Ἀτρεύς*[1]).

Neutrubi deest mentio vestimenti illius, quo maritum irretiit Clytaemestra:

cf. Ag. 1382 sq. *ἄπειρον ἀμφίβληστρον, ὥσπερ ἰχθύων,*
περιστιχίζω.

Or. 25 sq. *ἣ πόσιν ἀπείρῳ περιβαλοῦσ' ὑφάσματι*
ἔκτεινεν.

Audimus in prologo Electram Orestemque omnem salutis spem in Menelai patrui posuisse adventu. Iam Aeschylus in Orestea Menelai Troia reducis sortem attigerat. In Proteo enim satyrica finxit Menelaum certiorem fieri per Proteum deum marinum de caede fratris, quo fortasse spectant illa

ἀμήχανον τέχνημα καὶ δυσέκλυτον (*δυσέκδυτον* Nauck.) Aesch. fr. 375.

Euripides Proteo Glaucum substituit: Menelaus enim ab erroribus reversus[2]) haec profert

Or. v. 360 sqq. *Ἀγαμέμνονος μὲν γὰρ τύχας ἐπῃσθόμην*
καὶ θάνατον, οἵῳ πρὸς δάμαρτος ὤλετο,
Μαλέᾳ προσίσχων πρῷραν· ἐκ δὲ κυμάτων
ὁ ναυτίλοισι μάντις ἐξήγγειλέ μοι
Νηρέως προφήτης Γλαῦκος ἀψευδὴς θεός,
ὅς μοι τόδ' εἶπεν ἐμφανῶς κατασταθείς·
Μενέλαε, κεῖται σὸς κασίγνητος θανών,
λουτροῖσιν ἀλόχου περιπεσὼν πανυστάτοις.

Menelaum ut patris enecati fratrem adit Orestes. Scelus confitetur, auxilium implorat: matricidii auctorem esse Phoebum:

---

1) Cf. Or. 814 sq. *οἰκτρότατα θοινάματα καὶ σφάγια γενναίων τεκέων.*

2) Appellat eum chorus Or. 352 sq. *ὦ χιλιόναυν στρατὸν ὁρμήσας*
εἰς γῆν Ἀσίαν,
quae velim conferas cum Ag. 45 sq. (*Μενέλαος ἠδ' Ἀγαμέμνων*)
στόλον Ἀργείων χιλιοναύτην ἦραν.

cf. Or. 414 *ἀλλ᾽ ἔστιν ἡμῖν ἀναφορὰ τῆς ξυμφορᾶς.*
416 *Φοῖβος, κελεύσας μητρὸς ἐκπρᾶξαι φόνον.*

Haud secus apud Aeschylum Orestes affirmat a Loxia se instigatum esse ad matrem occidendam:

cf. Aesch. Cho. 1029 sq.: *καὶ φίλτρα τόλμης τῆσδε πλειστηρίζομαι*
τὸν πυθόμαντιν Λοξίαν κτλ.

Aesch. Eum. 465 *καὶ τῶνδε κοινῇ Λοξίας μεταίτιος.*

Oresti vexationes Furiarum conquesto Menelaus respondet
Or. 413 *οὐ δεινὰ πάσχειν δεινὰ τοὺς εἰργασμένους.*

Praeiverat Euripidi Aeschylus similem lusum verborum de atrocissima re adhibens
Cho. 930 *ἔκανες ὃν οὐ χρῆν, καὶ τὸ μὴ χρεὼν πάθε.*

Mox in Euripidea fabula ad Menelaum Orestemque accedit tertius Tyndareus, eas fere partes acturus, quas in Eumenidibus Furiae agunt, scilicet ut Orestae causam apud Menelaum tamquam iudicem praesentem infringat. Magis ut nefandum videatur matricidium, fingit Clytaemestram mammas develasse, ut atrocem filii animum commoveret

Or. 526 sqq.: *ἐπεὶ τίν᾽ εἶχες, ὦ τάλας, ψυχὴν τότε*
ὅτ᾽ ἐξέβαλλε μαστὸν ἱκετεύουσά σε
μήτηρ;

Neque dubitari licet quin his versibus respiciatur ad Aesch. Cho. 896 sq., ubi haec in scaena agebantur:

ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ᾽ αἴδεσαι, τέκνον,
μαστόν κτλ. [1]).

In eis vero, quae Tyndareus de Electra profert tamquam auctore matricidii

Or. 615 sqq.: *μᾶλλον δ᾽ ἐκείνη σοῦ θανεῖν ἐστ᾽ ἀξία,*
ἢ τῇ τεκούσῃ σ᾽ ἠγρίωσ᾽, ἐς οὖς ἀεὶ
πέμπουσα μύθους ἐπὶ τὸ δυσμενέστερον,
ὀνείρατ᾽ ἀγγέλλουσα τἀγαμέμνονος,
καὶ τοῦθ᾽ ὃ μισήσειαν Αἰγίσθου λέχος
οἱ νέρτεροι θεοί.

1) Hanc filii crudelitatem etiam altero huius fabulae loco abominatur Euripides, Or. 839 sqq. c *ὦ μέλεος, ματρὸς ὅτε Χρυσεοπηνήτων φαρέων. Μαστὸν ὑπερτέλλοντ᾽ ἐσιδὼν Σφάγιον ἔθετο ματέρα. πατρῴ-ων παθέων ἀμοιβάν.* Vix miraberis, quod M. Mayer, argutissimus ille Stesichori apud Euripidem vestigiorum indagator, hic quoque eiusdem lyrici poetae auctoritatem agnoscit „omissa Aeschylea“ (l. l. p. 36).

agnovit Weilius vestigia primae Choephoron parodi antistrophae, ubi de insomnio Clytaemestrae verba fiunt (cf. Cho. 40 *μέμφεσθαι τοὺς γᾶς νέρθεν κτλ.*), quo excitata libamina curat Agamemnonis manibus fundenda [1]).

Orestes autem Tyndareo respondens eadem fere argumenta profert sui purgandi causa, quae iam Phoebus in Eumenidum illo iudicio adhibuerat eaque magis arguta quam ipsius divino numine digna, ita ut viris doctis dubium non sit, quin Euripides hac ipsa argumentorum similitudine perstringere voluerit Aeschyleam simplicitatem. Velut Hartungus Eur. rest. II p. 484: „Aeschylum", inquit, „persona Orestis indutum haec dicere putes: summam enim argumentorum, quae et Choephoris et Eumenidibus insunt, continent, et perstringi Aeschylum tum hoc tum aliis huius dramatis locis planum est." Sed conferas quaeso ipse:

Aesch. Eum. 657 *ΑΠ. καὶ τοῦτο λέξω, καὶ μάθ' ὡς ὀρθῶς ἐρῶ.*
οὐκ ἔστι μήτηρ ἡ κεκλημένου τέκνου
τοκεύς, τροφὸς δὲ κύματος νεοσπόρου·
τίκτει δ' ὁ θρῴσκων, ἡ δ' ἅπερ ξένῳ ξένη
ἔσωσεν ἔρνος, οἷσι μὴ βλάψῃ θεός.

Eur. Or. 551 sqq. *ΟΡ. τί χρῆν με δρᾶσαι; δύο γὰρ ἀντίθες λόγω·*
πατὴρ μὲν ἐφύτευσέν με, σὴ δ' ἔτικτε παῖς,
τὸ σπέρμ' ἄρουρα παραλαβοῦσ' ἄλλου πάρα.
ἄνευ δὲ πατρὸς τέκνον οὐκ εἴη ποτ' ἄν [2]).

---

1) Praeterea cf. M. Mayer p. 37 sq. — Vestigium igitur quamvis tenue Stesichoreae de Clytaemestrae insomnio narrationis — nam ad hanc respexit Aeschylus in Choephoris — hic quoque deprehendimus: ille enim *τᾷ δὲ δράκων* inquit *ἐδόκησε μολεῖν κάρα βεβροτωμένος ἄκρον· | ἐκ δ' ἄρα τοῦ βασιλεὺς Πλεισθενίδας ἐφάνη.* Stesichorum secutus, ut Schneidewinus ad Ag. v. 1527 (1569) sqq. p. 163 monet, Aeschylus Agamemnonem e Plisthenis genere fingit oriundum (Ag. 1602). Eodem modo Bacchyl. 15, 48 *Πλεισθενίδας Μενέλαος.* De Plisthene Atrei filio Euripides composuit tragoediam (cf. Nauck. fr. tr. p. 556 sqq.). Apud Sophoclem nec Plisthenis nec Plisthenidarum comparet nomen.

2) Haud scio an haec argumentatio ipsi Euripidi minus ridicula visa sit, quam putant vvdd. In altera enim fabula (fr. inc. 1064) eadem fere sententia recurrit, quam qui profert, negat se matrem pluris aestimare posse quam patrem:

Ἀλλ' ἴσθ', ἐμοὶ μὲν οὗτος οὐκ ἔσται νόμος,
τὸ μὴ οὐ σέ, μῆτερ, προσφιλῆ νέμειν ἀεὶ
καὶ τοῦ δικαίου καὶ τόκων τῶν σῶν χάριν·
στέργω δὲ τὸν φύσαντα τῶν πάντων βροτῶν
μάλισθ'. ὁρίζω τοῦτο, καὶ σὺ μὴ φθόνει.
κείνου γὰρ ἐξέβλαστον· οὐδ' ἂν εἷς ἀνὴρ
γυναικὸς αὐδήσειεν, ἀλλὰ τοῦ πατρός.

Quae sequuntur apud Euripidem, in Aeschylea fabula non habent exemplum. Inde a v. 572 iterum ad Eumenides videtur redisse, etiamsi Or. 572—578 non tam similes sunt Eum. 625 sqq., quam nonnulli volunt vvdd., quorum e numero Hartungus ad Or. v. 534 „Man muss aber wissen“, inquit, „dass in der ganzen Verteidigungsrede des Orestes kein einziges Argument enthalten ist, das nicht fast wörtlich aus der Tragödie des Aischylos entlehnt wäre.“

Proinde liceat Aeschyli Euripidisque argumenta iuxta ponere:

Aesch. Eum. 625 sqq. οὐ γάρ τι ταὐτὸν ἄνδρα γενναῖον θανεῖν[1])
διοσδότοις σκήπτροισι τιμαλφούμενον,
καὶ ταῦτα πρὸς γυναικὸς, οὔτι θουρίοις
τόξοις ἑκηβόλοισιν, ὥστ' Ἀμαζόνος,
ἀλλ' ὡς ἀκούσῃ, Παλλὰς οἵ τ' ἐφήμενοι
ψήφῳ διαιρεῖν τοῦδε πράγματος πέρι.
ἀπὶ στρατείας γάρ νιν, ἠμποληκότα
τὰ πλεῖστ' ἀμείνον', εὔφροσιν δεδεγμένη[2])
* * * * * * * * *
δροίτῃ περῶντι λουτρὰ, κἀπὶ τέρματι
φᾶρος παρεσκήνωσεν, ἐν δ' ἀτέρμονι
κόπτει πεδήσασ' ἄνδρα δαιδάλῳ πέπλῳ.

Eur. Or. 572 sqq.: μισῶν δὲ μητέρ' ἐνδίκως ἀπώλεσα,
ἥτις μεθ' ὅπλων ἄνδρ' ἀπόντ' ἐκ δωμάτων
πάσης ὑπὲρ γῆς Ἑλλάδος στρατηλάτην
προὔδωκε κοὐκ ἔσωσ' ἀκήρατον λέχος·
ἐπεὶ δ' ἁμαρτοῦσ' ᾔσθετ', οὐχ αὑτῇ δίκην
ἐπέθηκεν, ἀλλ', ὡς μὴ δίκην δοίη πόσει,
ἐζημίωσε πατέρα κἀπέκτειν' ἐμόν.

Mihi quidem tantum abesse videtur, ut haec fere ad verbum ex Aeschylo deprompta esse iudicem, ut contra plurima summaque ab Euripide mutata intelligam. Ille fecerat Apollinem negantem pariter iudicandum esse de caede viri eiusque belli ducis ac de mulieris nece. Hoc Euripides omnino omisit argumentum. In explicanda vero Agamemnonis caede Apollo praecipue ideo indignatur, quod ille ficta benignitate ab uxore receptus tam turpiter e balneo exiens occisus sit. Ab Oreste Euripideo arguitur adul-

1) Wecklein, Orestie p. 295 ad v. 628 ἄνδρα — θανεῖν: „das durch ταὐτόν (ἐστι) geforderte καὶ γυναῖκα ergänzt sich von selbst.“

2) Supplet Wecklinus l. l. p. 296 sic: λόγοις ὀρέξουσ' ὠλένην ἐχρίμπτετο.

terium Clytaemestrae, quod apud Aeschylum mirum in modum omnino non commemoratur. Remanent igitur haec ut duobus tragicis communia:

Eum. 631 *ἀπὸ στρατείας γάρ νιν ἠμποληκότα*
τὰ πλεῖστ' ἀμείνον', εὔφροσιν δεδεγμένη κτλ.

Eur. Or. 573 sqq. *ἥτις μεθ' ὅπλων ἄνδρ' ἀπόντ' ἐκ δωμάτων*
πάσης ὑπὲρ γῆς Ἑλλάδος στρατηλάτην
προὔδωκε.

Deinde Eur. Or. vv. 579—584 etiamsi ad Apollinis illam orationem non respiciunt, tamen quodammodo ad Aeschyli exemplum esse compositos iure monuit Hugo Steiger l. l. p. 12 not. 15. Etenim Eum. 598 sqq. Orestes se confidere auxilio a patre tandem venturo affirmat. Apud Euripidem vero patrem ipsum sibi Furias immissurum fuisse dicit, ni vindictam exegisset, pergitque

Eur. Or. 583 sq. *ἢ μητρὶ μὲν πάρεισι σύμμαχοι θεαί,*
τῷ δ' οὐ πάρεισι, μᾶλλον ἠδικημένῳ [1]);

Similiter iam apud Aeschylum Orestes Furiarum principem interrogans, cur ipsum se persequerentur, mater autem, quamvis maritum enecuisset, otium ab eis haberet: *τί δ' οὐκ ἐκείνην* inquit *ζῶσαν ἤλαυνες φυγῇ* (Eum. 604);

Ex Aesch. Eum. 609 sqq.: *ἤδη σὺ μαρτύρησον· ἐξηγοῦ δέ μοι,*
Ἄπολλον, εἴ σφε σὺν δίκῃ κατέκτανον κτλ.

colorem traxerunt

Eur. Or. 591—599: *ὁρᾷς, Ἀπόλλων ὃς μεσομφάλους ἕδρας*
ναίων βροτοῖσι στόμα νέμει σαφέστατον,
ᾧ πειθόμεσθα πάνθ' ὅσ' ἂν κεῖνος λέγῃ,
τούτῳ πιθόμενος τὴν τεκοῦσαν ἔκτανον κτλ. [2]).

In ceteris Euripidem suum esse vel ex Homero dependere idem ille Steigerus docuit. Proximi stasimi vv. 825 sqq. complexus est poeta ea, quae Cho. vv. 885 sqq. usque ad finem aguntur:

---

1) Haud aliter Clytaemestra Cho. 95 sqq. conqueritur se quidem turpiter ob caedem mariti tractatam per Orcum errare, Orestem vero graviore scelere matricidii admisso tunc iam desini a Furiis exagitari

Eum. 100 sqq.: *παθοῦσα δ' οὕτω δεινὰ πρὸς τῶν φιλτάτων,*
οὐδεὶς ὑπέρ μου δαιμόνων μηνίεται,
κατασφαγείσης πρὸς χερῶν μητροκτόνων.

2) Steiger p. 12, not. 15: „Or. 600 f. (*ἀλλ' ὡς μὲν οὐκ εὖ μὴ λέγ' εἴργασται τάδε, Ἡμῖν δὲ τοῖς δράσασιν οὐκ εὐδαιμόνως*) fasst Euripides präcis und gut den Standpunkt des Aischylos zusammen."

cf. Aesch. Cho. 887 sq. οἲ 'γώ· ξυνῆκα τοὔπος ἐξ αἰνιγμάτων.
δόλοις ὀλούμεθ' κτλ.
896 sqq. ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἴδεσαι, τέκνον,
μαστόν κτλ.
912 οὐδὲν σεβίζῃ γενεθλίους ἀράς, τέκνον;
924 ὅρα, φύλαξαι μητρὸς ἐγκότους κύνας.
928 οἲ 'γώ, τεκοῦσα τόνδ' ὄφιν ἐθρεψάμην.
Eur. Or. 825 θανάτου γὰρ ἀμφὶ φόβῳ
Τυνδαρὶς ἰάχησε τάλαι-
να· τέκνον, οὐ τολμᾷς ὅσια
κτείνων σὰν ματέρα, μὴ πατρῴ-
αν τιμῶν χάριν ἐξανά-
ψῃ δύσκλειαν ἐς ἀεί.
τίς νόσος ἢ τίνα δάκρυα καὶ
τίς ἔλεος μείζων κατὰ γᾶν
ἢ ματροκτόνον αἷμα χειρὶ θέσθαι κτλ.;

Hae quidem, quas modo enumeravimus similitudines non tam ad verba spectant, quam ad ipsas res. Quae autem illam altercationem sequuntur in Euripidea fabula, si non similia habent in Aeschyleo argumento, attamen non carent Aeschyli dictionis vestigiis, qualis in Orestea occurrit. Velut Clytaemestra reducem maritum salutans

Ag. 899 sq. ⟨λέγοιμ' ἂν ἄνδρα τόνδε ...⟩ inquit
καὶ γῆν φανεῖσαν ναυτίλοις παρ' ἐλπίδα,
κάλλιστον ἦμαρ εἰσιδεῖν ἐκ χείματος κτλ.

Non sine quadam similitudine Orestes in Euripidea fabula conspecto Pylade

Or. 725 sqq.: ἀλλ' εἰσορῶ γὰρ τόνδε φίλτατον βροτῶν
Πυλάδην δρόμῳ στείχοντα Φωκέων ἄπο
ἡδεῖαν ὄψιν· πιστὸς ἐν κακοῖς ἀνὴρ
κρείσσων γαλήνης ναυτίλοισιν εἰσορᾶν.

Agamemno in cognomine fabula v. 841 sq. de Ulixe fidelissimo comite:

μόνος δ' Ὀδυσσεύς, ὅσπερ οὐχ ἑκὼν ἔπλει,
ζευχθεὶς ἕτοιμος ἦν ἐμοὶ σειραφόρος.

De Pylade aegrotum Orestem fulciente similis adhibetur metaphora

Eur. Or. 1014 sqq.: ὅ τε πιστότατος πάντων Πυλάδης,
ἰσάδελφος ἀνήρ,
ἰθύνων νοσερὸν κῶλον Ὀρέστου
ποδὶ κηδοσύνῳ παράσειρος.

Cho. 46 appellatur Clytaemestra δύσθεος γυνή.
Or. 925 eandem dicit rusticus ille Orestae patronus

κακὴν γυναῖκα κἄθεον.

Praeterea velim conferas:

Cho. 24 sq. πρέπει παρηὶς φοινίοις ἀμυγμοῖς
ὄνυχος ἄλοκι νεοτόμῳ·

Or. 961 τιθεῖσα λευκὸν ὄνυχα διὰ παρηΐδων κτλ.
Cho. 217 σύνοιδ' Ὀρέστην πολλά σ' ἐκπαγλουμένην.
Or. 890 . . . πατέρα μὲν σὸν ἐκπαγλούμενος.

De Clytaemestra luctum simulante Cilissa
Cho. 737 sqq. . . . πρὸς μὲν οἰκέτας
θέτο σκυθρωπῶν ἐντὸς ὀμμάτων γέλων
κεύθουσ' ἐπ' ἔργοις διαπεπραγμένοις καλῶς.

Quem locum sibi imitandum proposuit Euripides Or. 1121, ubi Pylades

γόους πρὸς αὐτὴν θήσομεσθ' ἃ πάσχομεν,

ad quae Or. 1122 ὥστ' ἐκδακρῦσαί γ' ἔνδοθεν κεχαρμένην et paulo infra Or. 1319, ubi Electra καγὼ σκυθρωποὺς, inquit, ὀμμάτων ἔξω κόρας.

Sed haec levioris momenti sunt. Redit in Oreste ampla versuum series ad Choephoron scaenae exemplum composita. Apud Aeschylum enim Orestes, Electra, caterva, priusquam caedes Aegisthi Clytaemestraeque instruitur, implorant cum ipsos deos tum vel Agamemnonis manes (idque praecipue inde a v. 479), ut successum dent conamini. Haud aliter in Euripidea fabula Orestes, Pylades, Electra ab Argivis capite damnati, ubi inter eos de Helenae nece perpetranda convenit, alternis vicibus obsecrant animam Agamemnonis, ut machinas suas adiuvet. Iam Godofredus Hermann hanc similitudinem observavit, cum ad Or. 1218 (1225) sqq. adnotaret „aperta imitatio est Aeschyli Choeph. 477 (479) sqq.“ Si autem locutiones Aeschylo similes in hac serie Euripideorum versuum quaerimus, non acquiescendum est Choephoron illis trimetris (479 sqq.), sed ad comparandum admittenda sunt ea quoque, quae trimetros antecedunt lyrica. His canticis apud Aeschylum intersunt Orestes, Electra, caterva. Trimetros 479—509, qui propriam continent imprecationem, dicunt alternantes Orestes et Electra. Quibus apte adiecit Pyladem Euripides.

Similia iuxta posui:

Cho. 456
σέ τοι λέγω, ξυγγενοῦ, πάτερ, φίλοις
Cho. 459 sq.
ἄκουσον ἐς φάος μολών,
ξὺν δε γενοῦ πρὸς ἐχθρούς

Cho. 332 sqq.
ΗΛ. *κλῦθί νυν, ὦ πάτερ, ἐν μέρει*
πολυδάκρυτα πένθη.
δίπαις τοί σ' ἐπιτύμβιος
θρῆνος ἀναστενάζει.
Cho. 457
ΗΛ. *ἐγὼ δ' ἐπιφθέγγομαι κεκλαυμένα*
Cho. 458
ΧΟ. *στάσις δὲ πάγκοινος ἅδ' ἐπιῤῥοθεῖ*

Cho. 495
ΟΡ. *ἆρ' ἐξεγείρῃ τοῖσδ' ὀνείδεσιν, πάτερ;*

Cho. 510 sqq.
ΧΟ. *καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδ' ἐτεινάτην λόγον,*
τίμημα τύμβου τῆς ἀνοιμώκτου τύχης.
τὰ δ' ἄλλ' ... ἔρδοις ἂν ἤδη
Cho. 315 sqq.
ΟΡ. *ὦ πάτερ αἰνόπατερ, τί σοι*
φάμενος ἢ τί ῥέξας
τύχοιμ' ἂν ἕκαθεν οὐρίσας
ἔνθα σ' ἔχουσιν εὐναί; κτλ.
Cho. 382
ΗΛ. *Ζεῦ Ζεῦ, κάτωθεν*
ἀμπέμπων ὑστερόποινον ἄταν κτλ.

Or. 1225 sqq.
ΟΡ. *ὦ δῶμα ναίων νυκτὸς ὀρφναίας πάτερ,*
καλεῖ σ' Ὀρέστης παῖς σὸς ἐπίκουρον μολεῖν
τοῖς δεομένοισι· διὰ σὲ γὰρ πάσχω τάλας
ἀδίκως· προδέδομαι δ' ὑπὸ κασιγνήτου σέθεν,
δίκαια πράξας· οὗ θέλω δάμαρθ' ἑλὼν
κτεῖναι· σὺ δ' ἡμῖν τοῦδε συλλήπτωρ γενοῦ.
Or. 1231 sq.
ΗΛ. *ὦ πάτερ, ἱκοῦ δῆτ', εἰ κλύεις ἔσω χθονὸς*
τέκνων καλούντων, οἳ σέθεν θνήσκουσ' ὕπερ.
Or. 1233 sq.
ΠΥ. *ὦ συγγένεια πατρὸς ἐμοῦ, κἀμὰς λιτάς,*
Ἀγάμεμνον, εἰσάκουσον, ἔκσωσον τέκνα·
Or. 1235 sqq.
ΟΡ. *ἔκτεινα μητέρ',*
ΠΥ. *ἡψάμην δ' ἐγὼ ξίφους.*
ΗΛ. *ἐγὼ δ' ἐπεγκέλευσα κἀπέλυσ' ὄκνου·*
ΟΡ. *σοί, πάτερ ἀρήγων.*
ΗΛ. *οὐδ' ἐγὼ προὔδωκά σε*
ΠΥ. *οὔκουν ὀνείδη τάδε κλύων ῥύσῃ τέκνα;*
ΟΡ. *δακρύοις κατασπένδω σ'.*
ΗΛ. *ἐγὼ δ' οἴκτοισί γε.*
ΠΥ. *παύσασθε, καὶ πρὸς ἔργον ἐξορμώμεθα,*
εἴπερ γὰρ εἴσω γῆς ἀκοντίζουσ' ἀραί,
κλύει. σὺ δ', ὦ Ζεῦ πρόγονε καὶ Δίκης σέβας,
δότ' εὐτυχῆσαι τῷδ' ἐμοί τε τῇδέ τε·
τρισσοῖς φίλοις γὰρ εἷς ἀγών, δίκη μία.
ἢ ζῆν ἅπασιν ἢ θανεῖν ὀφείλεται.

Videtur Choephoron illa scaena Euripidis admirationem quodammodo excitasse, si quidem tale quid inde colligi licet, quod bis eam imitatus est et in Electra et in hac, quam tractamus,

Orestis fabula. Neque enim crediderim perstringendi causa Aeschylum ab Euripide hac in re expressum esse: qui si cavillari vult aemulum, alia ratione eaque magis contumeliosa utitur.

Illam Orestis imprecationem quae sequitur scaena ad Sophocleae Electrae exemplum composita esse videtur. Sed ne Choephoron quidem vestigia agnosci nequeunt: hic enim post Orestis Pyladisque discessum, caterva anxia, quemadmodum res eventura sit, in scaena remanet. Advenit Aegisthus per Cilissam arcessitus. Ambiguis verbis a coryphaeo exceptus domum introire iubetur. Mox occidentis clamores audiuntur. Similiter res se habet apud Euripidem. Hermiona a sepulcro Clytaemestrae reversa excipitur ab Electra tristitiam simulante. Vix domum ingressa anxie vociferatur ob aspectum necopinatum Orestis necem sibi minitantis. Aegisthi caedem pronuntiat in Choephoris servus summo cum clamore regiis ex aedibus prorumpens (875 sqq.). Euripidis in fabula Phrygius eunuchus sub tecto se proripit in scaenam Helenam trucidatam esse exclamans.

Atque huic quoque Euripidei dramatis parti, de qua modo verba fecimus, vestigia sunt impressa et locutionum et sententiarum, quae in Orestea Aeschyli inveniuntur. Velut in Choephoris, dum Clytaemestra iugulatur, exsultant catervae mulieres comparantque Orestem Pylademque vindices cum duobus leonibus

Cho. 937 sq.: ἔμολε δ' ἐς δόμον τὸν Ἀγαμέμνονος
διπλοῦς λέων, διπλοῦς Ἄρης.

Eadem similitudine usus Phrygius ille eunuchus de eisdem, et Oreste et Pylade

Eur. Or. 1400 sq. ἦλθον δόμους . . . ., inquit,
λέοντες Ἕλλανες δύο διδύμω [1]).

Redeunt etiam in Phrygii cantilena [2]), quae ad Agamemnonis quosdam locos respicere videantur:

nam cum Ag. 739 sqq.: πάραυτα δ' ἐλθεῖν ἐς Ἰλίου πόλιν
λέγοιμ' ἂν φρόνημα μὲν νηνέμου γαλάνας
ἀκασκαῖόν ⟨τ'⟩ ἄγαλμα πλούτου,
μαλθακὸν ὀμμάτων βέλος,
δηξίθυμον ἔρωτος ἄνθος.

---

1) Haud aliter postea eos appellat propter saevitiam facti Menelaus Eur. Or. 1534 ἥκω κλύων τὰ δεινὰ καὶ δραστήρια
διοσοῖν λεόντοιν.

2) Phrygis illud ἁρμάτειον μέλος ad Stesichorum respicere coniecit M. Mayer p. 40.

παρακλίνασ' ἐπέκρανεν
δὲ γάμου πικρὰς τελευτάς,
δύσεδρος καὶ δυσόμιλος
συμένα Πριαμίδαισιν,
πομπᾷ Διὸς ξενίου,
νυμφόκλαυτος Ἐρινύς velim conferas
Eur. Or. 1381 sqq. Ἴλιον Ἴλιον, ὤμοι μοι, Φρύγιον
ἄστυ καὶ καλλίβωλον Ἴ-
δας ὄρος ἱερόν, ὥς σ' ὀλόμενον στένω
et 1385 sqq. . . . διὰ τὸ τᾶς
ὀρνιθόγονον ὄμμα κυκνόπτερον
καλλοσύνας, Λήδας σκύμνον, δυσελέναν,
ξεστῶν περγάμων Ἀπολλωνίων
ἐρινύν·
Ag. 1651 εἶα δή, ξίφος πρόκωπον πᾶς τις εὐτρεπιζέτω
Or. 1477 ὁ δὲ ξίφος πρόκωπον ἐν χεροῖν ἔχων.

Eur. Or. 1424 Orestes appellatur ματροφόντας δράκων; quod cum scriberet Euripides, fortasse ei obversatum est insomnium illud Clytaemestrae, de quo Cho. 523 sqq. verba fiunt (cf. 527 τεκεῖν δράκοντ' ἔδοξεν).

Ag. 1375 (πῶς γάρ τις . . .) πημονῆς ἀρκύστατ' ἂν Φάρξειεν, Or. 1421 sq. ἐς ἀρκυστάταν μηχανὰν ἐμπλέκειν.

Fortasse non audacis est putare Euripidem Or. 1305 Helenam appellasse λιποπάτορα λιπόγαμον [1]), ut aemularetur Aeschylum, qui eandem Ag. 689 dixerat ἑλέναυν, ἕλανδρον, ἑλέπτολιν.

Iam Electrae sub fine Euripides respexit ad mythum illum, quem Eumenides Aeschyli praebet. Idem facit Orestis in exitu, hic quoque tantum in eo ab Aeschylo recedens, quod Orestem ab Apolline iuberi fingit, priusquam Athenas se converteret per annum in Arcadia exulare. Cetera cum Eumenidibus congruunt. cf. Eur. Or. 1648 sqq. Ἐνθένδε δ' ἐλθὼν τὴν Ἀθηναίων πόλιν
δίκην ὑπόσχες αἵματος μητροκτόνου [2])
Εὐμενίσι τρισσαῖς· θεοὶ δέ σοι δίκης βραβῆς
πάγοισιν ἐν Ἀρείοισιν εὐσεβεστάτην
ψῆφον διοίσουσ', ἔνθα νικῆσαί σε χρή.

---

1) Simul Stesichorum imitatus est, qui de Venere Tyndarei filiabus irascente dixit (cf. ed. Hiller. 17, p. 212): καίνα δὲ Τυνδαρέου κόραις χολωσαμένα διγάμους τε καὶ τριγάμους τίθησιν | καὶ λιπεσάνορας. Cf. M. Mayer p. 18 sq.

2) Aeschylus iam sibi sumpserat μητροκτόνου μίασμα Eum. 281.

Sed haec hactenus. Iam de alia quaestione verba facienda sunt: quibus Orestis locis Euripides ad Aeschylum respexerit cavillandi causa.

Orestem Euripideam eo praecipue consilio esse compositam, ut Sophoclis Electram quodammodo continuatam et corrigeret et exsuperaret Wilamowitzius [1]) sagaciter perspexit, Steigerus luculenter demonstravit. Idem v. d., id quod ad nostram quaestionem pertinet, l. l. p. 1 „Sind doch die grossen Redeschlachten“, inquit, „die zwischen Tyndareos und Orestes (v. 491—604) und die zweite in der Volksversammlung (v. 866—956) ohne Zweifel voll Polemik gegen die Eumeniden des Aischylos.“

De illa quidem Orestis Tyndareique altercatione iam supra disputavimus. Iam de populi contione, quam vd. ille cavillationibus ad Aeschylum spectantibus scatere dicit, breviter agendum. Aeschylo Orestis factum, quamvis eum fingat a Furiis exagitari, probari nemo non videt. Euripides autem iam in Electra acerrime vituperaverat, nedum in Oreste laude dignum aestimet. Quid ipse de matricidio senserit, catervae verbis 819 sqq. plane apparet. Eo magis videtur mirum, quod poeta fingit in contione illa de matricidis habita a pessimo quoque Oresteum facinus abominandum supplicioque dignum haberi, a bonis viris non modo non reprehendi, sed etiam quam maxime collaudari. Neque deerant, qui putarent iam hac ipsa re Aeschylo illudi, quippe qui vel deos iudices fecisset Orestem tam ingentis sceleris reum absolventes. Velut Steigerus p. 16 „Hier werden offenbar abermals die Eumeniden des Aischylos parodiert. Auf den Gedanken, die Geschwister durch die Volksgemeinde verurteilen zu lassen, konnte Euripides durch die VV. 1409—1419 und 1605 f. im Agamemnon geführt werden, wo der Chor der Klytaimestra und dem Aigisthos dies Los in Aussicht stellt .... An Stelle des hochheiligen Gerichtshofes, der von der Göttin der Weisheit geleitet wird, wo Orestes von den Rachegöttinnen angeklagt, von Apollon verteidigt, von Athene freigesprochen wird, tagt hier eine bewegte Volksversammlung, in der, wie nicht selten in der Vaterstadt des Dichters, beide Parteien mit der Waffe sophistischer Rhetorik kämpfen, bis schliesslich Privathass und Intrigue den Ausschlag geben. Während aber der ehrwürdige Gerichtshof bei Aischylos zu einem freisprechenden Urteil kommt, das wenigstens in seiner Motivierung

1) Herm. XVIII „die beiden Elektren“ p. 240.

äusserlich und befremdlich ist, erfolgt hier trotz der Unwürdigkeit der Versammlung eine entschiedene Verurteilung." Atqui obstare videtur sententiae eorum, qui hanc contionem fictam esse volunt ad irridendum Aeschylum, id quod iam supra indicavimus monentes Orestae causam fortissime defendi ab homine probitate insigni et qui praeter Diomedem (cf. Or. 898 sqq.) exilii poenam Oresti proponentem solus prodit in illa contione vir moribus non contemnendus. Nec deerat, qui in hac rustici persona adgnoscebat certe speciosius, quam verius ipsum „Aeschylum vel huius personarum imaginem", „cum esset vir robustus magis quam venustus, agrestis et operibus rusticis ita deditus, ut raro urbem et forum viseret, sed prudens et ad contendendum oratione promptus, sinceritate et integritate vitae insignis" [1]). Hanc tamen coniecturam Steigerus l. l. reiecit monens illud rustici postulatum Orestem tamquam splendidum adulterii vindicem coronari iubentis multo aptius referri ad Sophocleae Electrae partem extremam, quam ad Choephoros Eumenidesque Aeschyli: „Dagegen" inquit vd. „gleicht das Ὀρέστην στεφανοῦν recht wohl einer Parodie auf den Schluss bei Sophokles; den Standpunkt, den dieser der That des Orestes gegenüber einnimmt, will Euripides mit dem αὐτουργὸς und seinem rabiaten Antrag ad absurdum führen" [2]). Quamquam aperte concedo satis mirum in modum Sophoclem elegantissimum poetam cum rustico probo quidem, sed tamen satis impolito comparari.

Praeter Oresteam alias Aeschyli fabulas Euripides in hoc dramate, ni fallor, non respexit. Ex Persarum tantum uno loco profecit; en videas ipse:

Aesch. Pers. 250: ὦ Περσὶς αἶα καὶ πολὺς πλούτου λιμήν.
Eur. Or. 1077: καὶ δῶμα πατρὸς καὶ μέγας πλούτου λιμήν [3]).

De oribus supplicum ramos secum ferentium dicitur
Aesch. Suppl. 656 sq. τοιγὰρ ὑποσκίων
ἐκ στομάτων ποτάσθω φιλότιμος εὐχά.

Quam dictionem haud scio an Euripides imitatus sit, cum Orestem faceret dicentem
Or. 382 sq. τῶν σῶν δὲ γονάτων πρωτόλεια θιγγάνω
ἱκέτης, ἀφύλλου στόματος ἐξάπτων λιτὰς [4]).

1) Hartung, Eur. rest. II 488.
2) l. l. p. 17 adn. 22.
3) Vide supra p. 46.
4) Cf. Weckl. ad v. Suppl. v. c. l. p. 83 (Hesych. ἀφύλλου στόματος ἄνευ ἱκετηρίας).

Age vero ad extremam Euripideae poeseos aetatem accedamus, qua duas fabulas ad Aeschyli exemplum ab eo compositas esse constat, Bacchas Iphigeniamque Aulidensem. In **Bacchis** vvdd. iam dudum recte observaverunt Euripidem non modo ad eam trilogiam respexisse, quam Aeschylus de Penthei sorte composuit — hoc enim iam ex Baccharum argumento, quod ad Aristophanem Byzantium redit, discimus [1] — sed etiam nonnulla ex illius Lycurgea, quae dicitur, in suum usum vertisse, praesertim cum huius trilogiae fabulae in argumento versarentur Bacchis admodum simili. De Pentheo Aeschyli nescio quomodo fere nihil tulit aetatem; quin ambigitur, quibuscum aliis fabulis in ternione fuerit copulata. Ac ne desunt quidem, qui Aristophaneae hypotheseos illud *ἐν Πενθεῖ* non de una fabula sed de tota Aeschyli trilogia intellegant, cuius titulum *Πενθέα* fuisse putant [2]. In Xantriis autem arbitrantur locum habuisse illam scaenam, quo spectant Aristophanis illa *Διόνυσος . . . εἰς μανίαν ἀγαγὼν τὰς τῆς μητρὸς ἀδελφὰς ἠνάγκασε Πενθέα διασπάσαι* putantque *Ξαντρίας* fuisse „discerptrices" Penthei, nixi loco Philostrati Imag. I 18 de Bacchis bestias lacerantibus dicentis: *ξαίνουσι τὸ θήραμα.* Huic tamen sententiae — ut alias haud ita probabiles mittamus — duo satis magni momenti argumenta obstare iure monet Wecklinus Aesch. fab. fr. p. 486, alterum, quod in catalogo Aeschylearum fabularum nominatim afferuntur et Xantriae et Pentheus, alterum quod Iunonis personam poeta in Xantriis in scaenam induxisse videtur [3], quae quomodo cum Penthei sorte conexa fuerit, perspici nequit, sic ut fortasse cum Boeckhio (Graec. trag. princ. c. III) Xantrias Minyae filias fuisse putandum sit, quae solae „intus intempestiva turbantes festa Minerva aut ducunt lanas aut stamina pollice versant" [4]. Ipse autem Wecklinus proposuit Semelam vel Aquiferas, Bacchas, Pentheum trilogiam effecisse adiuncta Xantriis satyrica, sed concessit hanc quoque coniecturam satis esse incertam. Semelam primam Aeschyleae trilogiae fabulam fuisse haud ita incredibile videtur, imprimis si consideramus

1) *ἡ μυθοποιία κεῖται παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Πενθεῖ.*

2) Welcker, Aesch. Tril. p. 327 sqq. append. p. 122 sqq.; Ewald Bruhn, praef. ad Eur. Bacch. s. t. IV „Aischylos als Vorgänger des Euripides" p. 27 sqq.

3) Wecklein, Aesch. fr. 168 p. 556 sq.

4) Ov. Met. IV 33 sqq.; cf. Rapp. in Roscheri lex. mythol. p. 3014.

Baccharum Euripidis prologum versari in enarranda sorte Semelae: iam saepius enim observari licebat Euripidem trilogiam Aeschyli ita retractasse, ut, quae hic in tota prima tragoedia explicuerat, in prologo epico more narranda curaret ille. Euripidem in Bacchis aliter finxisse Penthei necem, atque fecisset Aeschylus, Ewaldus Bruhn Bacch. praef. p. 25 sqq. probare studuit. Eumenidum enim in prologo Pythia de Parnasso verba faciens

> *Βρέμιος*, inquit, *ἔχει τὸν χῶρον, οὐδ' ἀμνημονῶ,*
> *ἐξ οὗτε Βάκχαις ἐστρατήγησεν θεός,*
> *λαγὼ δίκην Πενθεῖ καταῤῥάψας μόρον·* (Eum. 25 sqq.)

Quae verba Bruhnius de proelio intellegit, quo Pentheum, cum Bacchas vi et armis petisset, morti tam crudeli occubuisse persuasum habet. Atque Euripides in Baccharum prologo, vv. 50 sqq. Dionysum non sine quadam verborum similitudine facit dicentem:

> *. . . ἢν δὲ Θηβαίων πόλις*
> *ὀργῇ σὺν ὅπλοις ἐξ ὄρους Βάκχας ἄγειν*
> *ζητῇ, συνάψω, Μαινάσι στρατηλατῶν,*

sic ut facile credas poetam initio quidem in animo habuisse Pentheum Maenades aggredientem facere, tunc autem mutato consilio hanc fabulae formam finxisse, quam accepimus. En ipsum Bruhnium de hac re audiamus: „Er wollte ursprünglich", inquit p. 26, „jenem (Aeschylum dicit) folgend, Pentheus fallen lassen in einem Kampfe zwischen ihm als Führer der thebanischen Streitmacht und der Mänaden; dann kam er während der Arbeit auf das Verkleidungsmotiv, und dieses mit allen seinen Konsequenzen gehört ihm, nicht dem Aischylos." Censet enim vir doctissimus Aeschylum in Pentheo eandem mythi formam adhibuisse, quae ei in Eumenidum prologo eiusque posterioris fabulae obversata esse videatur, quoniam non sit, cur putemus alibi aliter ab Aeschylo Penthei res esse enarratas. Quae etsi sagacissime coniecit vd. ille, tamen facere non possum, ut omnino ei adsentiar. Neque enim oportet Eumenidum illum locum ita intellegi, ut putemus aperto proelio Pentheum esse devictum, priusquam laceraretur. Immo nihil aliud sibi volunt illa nisi hoc: „Bacchus tenet locum, ex quo dux fuit Baccharum Pentheo mortem machinatus sicut lepori"[1]. Quae autem Pausa-

1) Cum haec scripsissem, incidi in Lindskogii sententiam, qui in „Stud. zum antiken Drama" p. 23 adn. „Weiter beweist", inquit, „Aisch. Eum. V. 25,

nias profert II 2. 7 de Bacchi duobus illis simulacris, quae ex arbore ea, unde observasset Pentheus Maenades, exstructa esse dicebantur iussu Delphici Apollinis, Bruhnius vix demonstrare poterit ad Euripidis demum mythi formam referri debere, non ad antiquiorem. Deinde idem Bruhnius [1]) illam Thesmophoriazuson scaenam, qua Euripides Mnesilochum muliebri veste tegit, ut omnibus incognitus intersit mulierum contioni, censuit exemplar fuisse Euripidis, perinde ac si non eodem iure dici possit ad Aeschylum respexisse Aristophanem, cuius Lycurgeae in eadem illa comoedia rationem haberi vv. 135 sqq. docent. Sed res est admodum dubia neque certi quidquam poterit erui. Wecklinus vero aliter atque Bruhnius Aesch. Penth. fr. 183 *μηδ᾽ αἵματος πέμφιγα πρὸς πέδῳ βάλῃς* cum Eur. Bacch. 857 conferens *ἀλλ᾽ αἷμα θήσεις συμβαλὼν Βάκχαις μάχην* voluit in scaena Bacchis simili illa a Dionyso esse dicta Pentheo persuadente, ut potius e latebris maenades observaret, quam armis peteret.

In conferenda Aeschyli Lycurgea melius res se habet. Etenim nitimur non modo ipsius Aeschyli fabulae fragmentis, sed etiam reliquiis Naevianae Lucurgi, quam partim ad Aeschyli exemplum compositam fuisse satis verisimile videtur. Hic autem Lycurgi res tractaverat Edonis, Bassaris, Adolescentibus, Lycurgo satyris [2]). Quarum prima in fabula adventus Baccharum explicatus fuisse videtur, quarum orgia novum deum celebrantium Lycurgus Edonorum rex valde indignatus iubet ducem, ipsum Bacchum, vinctum adduci quaeritque ex eo

Aesch. fr. 61: *ποδαπὸς ὁ γύννις; τίς πάτρα; τίς ἡ στολή;*
Haud aliter Pentheus Euripideus Bacch. 453 miratur captivi dei muliebrem habitum vestemque, de quibus iam antea verba fecerat vv. 233 sqq.:

λέγουσι δ᾽ ὥς τις εἰσελήλυθε ξένος
γόης ἐπῳδὸς Λυδίας ἀπὸ χθονὸς
ξανθοῖσι βοστρύχοισι εὐόσμοις κοσμῶν κτλ.

---

den Bruhn zum Vergleich heranzieht, durchaus nichts; denn *στρατηγέω* muss wohl nicht notwendig im buchstäblichen Sinne gefasst werden so, dass Dionysos die Bakchantinnen befehligte, als sie Pentheus totschlugen, sondern nur so, dass er sie dahin führte, dass er ihr geistlicher Leiter war. Und dann stehen wir auf demselben Boden wie bei Euripides."

1) l. l. p. 28, not. II.

2) Schol. Aristoph. Thesmoph. 135.

Baccharum ducem similiter iam Lycurgus reprehendisse videtur Aesch. fr. 59: ὅστις χιτῶνας βασσάρας τε Λυδίας
ἔχει ποδήρεις.

Bacchus in vincula coniectus haud scio an iam apud Aeschylum ostenderit divinam suam vim, id quod in Euripidis fabula fieri vv. 586 sqq. intellegimus. Neque enim deerant, qui
Aesch. fr. 58 ἐνθουσιᾷ δὴ δῶμα, βακχεύει στέγη·
de regia domo terrae tremore labefacta dictum esse putarent [1]. Naevium vero si licet ad restituendum admittere Aeschylum, vel plures huius cum Euripidea fabula similitudines erui possunt. In Lucurgo enim regiam domum Dionyso vim suam praebente subito flammis esse correptam docent
fr. XX ut videam Vólcani opera haec flámmis flora fíeri
et fr. XXIII Laté longeque tránstros nostros féruere,
quibuscum conferas quaeso
Eur. Bacch. 594 sqq.: ΔΙΟΝ. ἅπτε κεραύνιον αἴθοπα λαμπάδα·
σύμφλεγε σύμφλεγε δώματα Πενθέως.
ΧΟ. ἆ ἆ,
πῦρ οὐ λεύσσεις οὐδ' αὐγάζῃ κτλ.;

In Xantriis Aeschylum induxisse Lyssam Bacchas stimulantem Photius lex. p. 326, 22 et Suidas s. t. ὀκτώπουν tradunt. Huius scaenae memoriam poetae occurrisse videtur in eis, quae caterva Bacch. 977 sqq. exclamat:

ἴτε θοαὶ Λύσσας κύνες, ἴτ' εἰς ὄρος,
θίασον ἔνθ' ἔχουσι Κάδμου κόραι,
ἀνοιστρήσατέ νιν κτλ.

Age vero iam videamus, num etiam ex eis fabulis Aeschyleis, quae non ex eodem vel simili mytho atque Bacchae sumptae sunt, quaedam in Bacchas fluxerint.

Cum Aesch. Suppl. 46 sqq.: ... ἐπωνυμίᾳ δ' ἐπεκραίνετο μόρσιμος αἰὰν
εὐλόγως, Ἔπαφόν τ' ἐγέννασε contulit Wecklinus

Eur. Bacch. 99 sq.: ἔτεκεν δ', ἁνίκα Μοῖραι
τέλεσαν, ταυρόκερων θεόν κτλ.

Pers. 163 ⟨... ὄλβον, ὃν Δαρεῖος ἦρεν⟩ οὐκ ἄνευ θεῶν τινος.
Bacch. 764 ⟨ἐτραυμάτιζον κἀπενώτιζον φυγῇ
γυναῖκες ἄνδρας⟩, οὐκ ἄνευ θεῶν τινος.

---

1) Aliter vero Hermannus explicat, cum dicit „qui loquitur, ipse fortasse Lycurgus, fuit indigne ferens, quod omnia Bacchicam insaniam spirent."

Sept. 1039 κόλπῳ φέρουσα βυσσίνου πεπλώματος.
Bacch. 821 στεῖλαί νυν ἀμφὶ χρωτὶ βυσσίνους πέπλους.
Prom. 748 ἔρριψ' ἐμαυτὴν τῆσδ' ἀπὸ στύφλου πέτρας.
Bacch. 1137 sq. κεῖται δὲ χωρὶς σῶμα, τὸ μὲν ὑπὸ στύφλοις πέτραις.
Ag. 1375 ⟨. . . πημονῆς ἀρκύστατ' ἂν φάρξειεν⟩ ὕψος κρεῖσσον ἐκπηδήματος.
Bacch. 1101 κρεῖσσον γὰρ ὕψος τῆς προθυμίας ἔχων ⟨καθῆσθ' ὁ τλήμων⟩.
Cho. 1022 sqq. Orestes vaesanus ipse de se:
ὥσπερ ξὺν ἵπποις, inquit, ἡνιοστροφῶ δρόμου
ἐξωτέρω· φέρουσι γὰρ νικώμενον
φρένες δύσαρκτοι.

Recurrit idem simile a curriculo sumptum Bacch. 853, ubi de Pentheo delirante verba fiunt sic:

ἔξω δ' ἐλαύνων τοῦ φρονεῖν.

Eum. 650 sq. . . . τὰ δ' ἄλλα πάντ' ἄνω τε καὶ κάτω στρέφων τίθησιν κτλ.
Bacch. 753 sq. ἐπεσπεσοῦσαι πάντ' ἄνω τε καὶ κάτω διέφερον.

Illud argumentum, in quo Euripidis versatur **Iphigenia Aulidensis**, quamquam iam ante illum et Aeschylus et Sophocles sibi sumpserant tractandum, tamen horum utriusque fabularum memoria prae Euripidea oblivione obruta est adeo, vix ut quidquam earum tulerit aetatem. Aeschylum hanc quoque materiem trilogia explicuisse consentaneum est: quibus autem cum fabulis eius Iphigenia in scaenam commissa sit, nescitur neque habeo, cur virorum doctorum de hac re coniecturas valde inter se discrepantium proferam [1]). Weilium si sequimur, Aeschyleam trilogiam partim Mycenis partim Aulide agi censendum est. Idem vd. nobis comprobat Clytaemestram in illa fabula, quae in ipsa Iphigeniae immolatione versabatur, non prodisse [2]). Sophocles demum Clytaemestrae per-

1) Videas quaeso ea, quae Wecklinus congessit Aesch. fab. fr. p. 513 s. t. Ἱέρειαι.

2) Aliter Carolus Busche, qui in prooem. ad ed. Iph. Aul. (Meisterwerke der Griechen und Römer in kommentierten Ausg. VII, Leipzig u. Berlin 1903) p. 9 sic disputat: „Um ferner die tragische Wirkung zu erhöhen, musste er vor allem die Person der Klytämestra auf die Bühne bringen, wie dies zuvor schon Sophokles in seiner Iphigenie und wahrscheinlich auch Aeschylus in seiner den gleichen Stoff behandelnden Trilogie gethan hatte."

sonam ascivisse videtur. Idem Ulixem adhibuit. Apud utrumque eorum Agamemno haud scio an Achillis nomine male usus Iphigeniam tamquam Achilli sponsam Aulidem arcessiverit. Hanc rem Euripides quoque retinuit, sed ipsum Achillem is demum iussit prodire: contra Ulixem Sophocleum dimisit substituto Menelao. Quod autem summum est, Euripides demum finxit Iphigeniam ultro se offerre mactandam reiecto Achillis praesidio [1]. Contra omnes tres tragici in eo videntur inter se consensisse, quod Dianam fecerunt Iphigeniam servantem cum iam in eo esset, ut immolaretur [2]. Ipsam Aeschyli Iphigeniam etsi cum Euripidea fabula conferre nequimus, tamen ex nobilissimo illo Agamemnonis primo cantico, quo res Aulide gestae enarrantur (vv. 183—246), haud pauca in nostrum usum convertere possumus. Quod carmen si cum Euripidea fabula contulerimus, omnia fere, quae ad immolationem Iphigeniae spectant, videbimus ab Euripide esse immutata. Apud hunc enim ipse pater Agamemno multis cum lacrimis velamento oculos obtegit, ne lamentabile sacrificii spectaculum intueatur (Eur. J. A. 1546). Aeschyleus Agamemno duriorem se praebet. Frustra ei supplicat filia: immo filiae os curat claudendum, ne diris devoveat patrem. Quin, si recte intellego cum Weilio Ag. 209 sqq. et 224, ipse ausus est filiae cruore manus sibi adspergere [3]. Euripides igitur humaniorem reddidit mythi formam, cum Agamemnonem fecit tam diu haesitantem atque demum pietati indulgentem, Iphigeniam autem ultro mortem oppetentem induxit. Ac ne Aeschyleus quidem Agamemno non horret crudelitatem mandati sacrificii (cf. Aesch. Ag. 202 sqq). Immo et ipse atrocitate vaticinii concitus fluctuat inter bellandi cupiditatem misericordiamque, donec oppressa pietate in discrimen dat filiae vitam. Sic autem fecit in illo cantico Aeschylus patrem secum reputantem.

Ag. 206 sqq.: βαρεῖα μὲν κὴρ τὸ μὴ πιθέσθαι,
βαρεῖα δ', εἰ τέκνον δαΐξω, δόμων ἄγαλμα,
μιαίνων παρθενοσφάγοισιν
ῥεέθροις πατρῴους χέρας πέλας βωμοῦ·
τί τῶνδ' ἄνευ κακῶν;
πῶς λιπόναυς γένωμαι
ξυμμαχίας ἁμαρτών;

1) Weil, Sept tragédies d'Euripide p. 122.
2) Welcker, Griech. Trag. I. p. 109.
3) Weil l. l. p. 42.

Qui locus quin obversatus sit Euripidi, cum Agamemnonem apud uxorem filiamque se purgantem faceret, non est dubium. En conferas ipse:

J. A. 1257 sqq. *δ ε ι ν ῶ ς δ' ἔχει μοι ταῦτα τολμῆσαι, γύναι,*
δ ε ι ν ῶ ς δὲ καὶ μή· τοῦτο γὰρ πρᾶξαί με δεῖ.
ὁρᾶθ', ὅσον στράτευμα ναύφρακτον τόδε,
χαλκέων θ' ὅπλων ἄνακτες Ἑλλήνων ὅσοι,
οἷς νόστος οὐκ ἔστ' Ἰλίου πύργους ἔπι,
εἰ μή σε θύσω κτλ.

Aliae quoque id genus similitudines inter Agamemnonem et Iphigeniam Aulidensem intercedentes erui possunt. Caterva de patris filiae immolandae consilio verba faciens dixerat

Ag. 218 *ἐπεὶ δ' ἀ ν ά γ κ η ς ἔ δ υ λ έ π α δ ν ο ν.*

Euripides eandem adhibet metaphoram de eodem facto intellegendam, cum Agamemnonem facit exclamantem

J. A. 443 *εἰς οἷ' ἀ ν ά γ κ η ς ζ ε ύ γ μ α τ' ἐμπεπτώκαμεν.*

Apud Aeschylum caterva

Ag. 109 sqq.: ⟨*κύριός εἰμι θροεῖν*⟩ inquit . . . *ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον*
κράτος . . . . πέμπει σ ὺ ν δ ο ρ ὶ καὶ χερὶ
πράκτορι θούριος ὄρνις
Τευκρίδ' ἐπ' αἶαν·

non sine quadam similitudine apud Euripidem chorus

J. A. 587 sq. . . . *ὅθεν ἔρις ἔρις Ἑλλάδα σ ὺ ν δ ο ρ ὶ ναυσί τ' ἄγει*
ἐς Τ ρ ο ί α ς π έ ρ γ α μ α [1]).

Aeschylus Iphigeniae caedem appellaverat

Ag. 227 *π ρ ο τ έ λ ε ι α ναῶν.*

Euripides hanc quoque locutionem in suum vertit usum, cum dixit

J.A. 433 sq.: *Ἀρτέμιδι π ρ ο τ ε λ ί ζ ο υ σ ι τὴν νεάνιδα, Αὐλίδος ἀνάσσῃ*

Iphigeniaeque sacrificium in eiusdem fabulae v. 1311 appellavit *πρόθυμα* Iliacae expeditionis. Apud Aeschylum coryphaeus regem reducem haesitans, quonam modo appellet salutetque, haec profert dubitanter

Ag. 785 sqq.: *πῶς σε προσείπω; πῶς σε σεβίζω*
μήθ' ὑπεράρας μήθ' ὑποκάμψας
καιρὸν χ ά ρ ι τ ο ς;

Cuius loci similitudo quaedam videtur inesse eis, quae Clytaemestra Achilli gratias agens exclamat

1) Cf. Stesich. Palin. fr. 11, 3 *οὐδ' ἵκεο π έ ρ γ α μ α Τ ρ ο ί α ς*; cf. J. A. 1576; Andr. 292 etc.

J. A. 977 sq.: πῶς ἄν σ' ἐπαινέσαιμι μὴ λίαν λόγοις,
μήτ' ἐνδεῶς μὴ τοῦδ' ἀπολέσαιμι τὴν χάριν;

Ab Aeschylo Helena appellata erat
Ag. 689 ἑλέναυς, ἕλανδρος, ἑλέπτολις.

Omissa paronomasia Euripides Iphigeniam appellat
J. A. 1476 et 1511 Ἰλίου καὶ Φρυγῶν ἑλέπτολιν.

Ceterum Iphigenia Aulidensis vestigiis Aeschyleis haud ita abundat. Unum tamen repperi locum, praeter eos, quos modo enumeravi, qui similitudinem exhibet cum Aeschyleo eamque talem, vix ut dubitari possit de imitatione consulto facta: en videas ipse

Aesch. Suppl. 379 sqq.: ἀμηχανῶ δὲ καὶ φόβος μ' ἔχει φρένας,
δρᾶσαί τε μὴ δρᾶσαί τε καὶ τύχην ἑλεῖν·
et J. A. 55 sqq: τὸ πρᾶγμα δ' ἀπόρως εἶχε Τυνδάρεῳ πατρί,
δοῦναί τε μὴ δοῦναί τε, τῆς τύχης θ' ὅπως
ἅψαιτ' ἄριστα.

Fortasse etiam ad
Aesch. Pers. 230 sq. . . κεῖνο δ' ἐκμαθεῖν θέλω,
ὦ φίλοι, ποῦ τὰς Ἀθήνας φασὶν ἱδρῦσθαι
χθονός·
respexit Euripides, cum scriberet
J. A. 662 ποῦ τοὺς Φρύγας λέγουσιν ᾠκίσθαι, πάτερ;

Fortuitam, ni fallor, similitudinem praebent haec:
Aesch. Prom. 48: ἅπας τις αὐτὴν ἄλλος ὤφελεν λαχεῖν.
J. A. 85 sq. . . . . τἀξίωμα δὲ
ἄλλος τις ὤφελ' ἀντ' ἐμοῦ λαβεῖν τόδε.

In **Archelai** prologo Euripidem quodammodo habuisse rationem Supplicum Aeschyleae, ex Eur. Arch. fr. 228 elucet:

Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατὴρ
Νείλου λιπὼν κάλλιστον ἐκ γαίας ὕδωρ,
ὃς ἐκ μελαμβρότοιο πληροῦται ῥοὰς
Αἰθιοπίδος γῆς, ἡνίκ' ἂν τακῇ χιὼν
τέθριππ' ἄγοντος ἡλίου κατ' αἰθέρα,
ἐλθὼν ἐς Ἄργος ᾤκισ' Ἰνάχου πόλιν·
Πελασγιώτας δ' ὠνομασμένους τὸ πρὶν
Δαναοὺς καλεῖσθαι νόμον ἔθηκ' ἀν' Ἑλλάδα.

Cum v. 1 velim conferas Aesch. Suppl. 320: Δαναὸς . . . πεντηκοντάπαις; Cum v. 2, sis, Suppl. 3 sqq. ἀπὸ προστομίων . . . . Νείλου. Δίαν δὲ λιποῦσαι . . . . . φεύγομεν κτλ. Vv. 3 sqq.

optime indicari, quae sit causa tumoris Nili Nestleius monet comparatis Aesch. Suppl. 559 sqq.: λειμῶνα χιονόβοσκον, ὅντ᾽ ἐπέρχεται | Τυφῶ μένος ⟨χ⟩ὕδωρ τὸ Νεί- λου νόσοις ἄθικτον [1]. Praeterea conferendum est

Aesch. fr. 300: γένος μὲν αἰνεῖν ἐκμαθὼν ἐπίσταμαι
Αἰθιοπίδος γῆς, ἔνθα Νεῖλος ἑπτάρους
† γαῖαν † κυλίνδων πνευμάτων ἐπομβρίᾳ,
ἐν ᾗ πυρωτὸν φέγγος ἐκλάμψαν φλόγα
τήκει πετραίαν χιόνα· πᾶσα δ᾽ εὐθαλὴς
Αἴγυπτος ἁγνοῦ νάματος πληρουμένη
φερέσβιον Δήμητρος ἀντέλλει στάχυν [2]).

Quibus versibus non modo similis sententia, sed etiam similitudo quaedam verborum cum Euripidis collaudato loco inest. Dein confer haecce:

Aesch. Eum. 560 sqq. γελᾷ δὲ δαίμων ἐπ᾽ ἀνδρὶ θερμῷ
τὸν οὔποτ᾽ αὐχοῦντ᾽ ἰδὼν ἀμηχάνοις
δύαις λαπαδνὸν οὐδ᾽ ὑπερθέοντ᾽ ἄκραν.
Eur. Arch. fr. 230: οὐ γὰρ ὑπερθεῖν κύματος ἄκραν
δυνάμεσθ᾽.
Aesch. Cho. 554: ἁπλοῦς ὁ μῦθος, κτλ.
Eur. Arch. fr. 253: ἁπλοῦς ὁ μῦθος, κτλ.

Cyclops quo anno in scaenam sit commissa, nescitur: neque multum refert, quoniam vix in censum venit in tractanda nostra quaestione. Redeunt tamen hic quoque nonnullae locutiones, quae iam apud Aeschylum legimus:

Aesch. Ag. 439 ... ἐν μάχῃ δορός·
Eur. Cycl. 5 ... μάχην δορός
Aesch. Suppl. 365 οὔτοι κάθησθε δωμάτων ἐφέστιοι
ἐμῶν· (cf. Eum. 577 δόμων ἐφέστιος Ἐμῶν)
Eur. Cycl. 370 sq. (νήλης ... ὅστις) δωμάτων ἐφεστίους
ξενικοὺς Ἱκτῆρας ἐκθύει δόμων.
Aesch. Pers. 463 παίουσι, κρεοκοποῦσι δυστήνων μέλη
Eur. Cycl. 359 ... κρεοκοπεῖν μέλη ξένων
Aesch. Pers. 411 ἐπ᾽ ἄλλην δ᾽ ἄλλος ηὔθυνεν δόρυ·
Eur. Cycl. 14 sq. ... ἐν πρύμνῃ δ᾽ ἄκρᾳ
αὐτὸς λαβὼν ηὔθυνον ἀμφῆρες δόρυ.

1) Nestle, Euripides der Dichter der griech. Aufklärung, p. 457.
2) Cf. Weckl., ed. Suppl. p. 76.

Aesch. Prom. 116 θεόσυτος ἢ βρότειος ἢ κεκραμένη;
fortasse irridendi causa ab Euripide expressus est sic:
Cycl. 218 μήλειον ἢ βόειον ἢ μεμιγμένον;

Reliquum est, ut ex **incertis** Euripidis **fragmentis** ea, quae ex Aeschylo colorem traxisse videntur, eligamus et cum Aeschyleis exemplaribus componamus.

Cum Aesch. Hel. fr. 70 Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός,
Ζεύς τοι τὰ πάντα χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον
quodammodo consentit
Eur. fr. inc. 877: ἀλλ' αἰθὴρ τίκτει σε, κόρα,
Ζεὺς ὃς ἀνθρώποις ὀνομάζεται.

Aesch. Cho. 559 Phoebus dicitur
ἄναξ Ἀπόλλων, μάντις ἀψευδὴς τὸ πρίν.

Eadem laus tribuitur Iovi
Eur. fr. dub. 1110: Ζεὺς ἐν θεοῖσι μάντις ἀψευδέστατος
καὶ τέλος αὐτὸς ἔχει [1]).

Venus suam praedicans vim
Aesch. Dan. fr. 44: ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα,
ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν·
ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνατῆρος οὐρανοῦ πεσὼν
ἔδευσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς
μήλων τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον·
δένδρων ὀπώρα [2]) δ' ἐκ νοτίζοντος γάνους
τέλειός ἐστι. τῶνδ' ἐγὼ παραίτιος.

Similiter Venus laudibus effertur
Eur. fr. inc. 898: τὴν Ἀφροδίτην οὐχ ὁρᾷς ὅση θεός;
ἣν οὐδ' ἂν εἴποις οὐδὲ μετρήσειας ἂν
ὅση πέφυκε κἀφ' ὅσον διέρχεται.
αὕτη τρέφει σὲ κἀμὲ καὶ πάντας βροτούς·
τεκμήριον δέ, μὴ λόγῳ μόνον μάθῃς,
ἔργῳ δὲ δείξω τὸ σθένος τὸ τῆς θεοῦ·
ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ', ὅταν ξηρὸν πέδον
ἄκαρπον αὐχμῷ νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ.
ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο·

1) Euripidi abiudicat, Archilocho propter metrum assignat Fr. Blass Jahrb. f. Philol. vol. 129 p. 496; cf. Archil. ed. Hiller. 101 p. 14.

2) Sic Hartung pro trad. lect. δένδρων τις ὥρα. Malim cum Hermanno δενδρῶτις ὥρα.

ὅταν δὲ συμμιχθῆτον ἐς ταὐτὸν δύο,
φύουσιν ἡμῖν πάντα καὶ τρέφουσ' ἅμα,
δι' ὧν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος.

Aesch. Ag. 160 sqq. caterva haesitans, quomodo sibi Iupiter vocandus sit: *Ζεύς, ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐ-*
τῷ φίλον κεκλημένῳ,
τοῦτό νιν προσεννέπω.

De simili re dubitans et ipse chorus, ut videtur, inducitur Eur. inc. fab. fr. 912:

σοὶ τῷ πάντων μεδέοντι χοὴν
πέλανόν τε φέρω, Ζεὺς εἴτ' Ἀίδης
ὀνομαζόμενος στέργεις·

Aesch. Pers. 623 sqq. caterva Darei animam ex inferis carminibus elicit. Haud secus Eur. fr. inc. 912 infernae umbrae vocantur, ut ad lucem prodeant consulentibus responsurae. Quod ut sinant utrobique inferorum dei implorantur:

cf. Aesch. Pers. 628 sqq. *ἀλλά, χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί,*
Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ, βασιλεῦ τ' ἐνέρων,
πέμψατ' ἔνερθε ψυχὴν ἐς φῶς·
εἰ γάρ τι κακῶν ἄκος οἶδέ τις ὄν,
μόνος ἂν θνητῶν (*θρήνων* Gomperz)
πέρας εἴποι.

et Eur. fr. inc. 912, 9 sqq. *πέμψον* (scil. Iupiter infernus)
δ' ἐς φῶς ψυχὰς ἐνέρων
τοῖς βουλομένοις ἄθλους προμαθεῖν
πόθεν ἔβλαστον, τίς ῥίζα κακῶν,
τίνα δεῖ μακάρων ἐκθυσαμένους
εὑρεῖν μόχθων ἀνάπαυλαν.

Prometheus se durum invictumque mansurum esse affirmans, quamvis a Iove tyranno cruciatum:

Aesch. Prom. 1043 sqq. *πρὸς ταῦτ' ἐπ' ἐμοὶ ῥιπτέσθω μὲν*
πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος, αἰθὴρ δ'
ἐρεθιζέσθω βροντῇ σφακέλῳ τ'
ἀγρίων ἀνέμων κτλ. ... πάντως ἐμέ γ'
οὐ θανατώσει.

Quibuscum conferas velim

Eur. fr. inc. 918 *πρὸς ταῦθ' ὅτι χρὴ καὶ παλαμάσθων*
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθων·
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ
καὶ τὸ δίκαιον ξύμμαχον ἔσται,
κοὐ μή ποθ' ἁλῶ κακὰ πράσσων.

Utrobique rhythmum esse anapaesticum vix debeo monere. Cum Aesch. Hel. fr. 70 Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός,
Ζεύς τοι τὰ πάντα χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον
mirum quantum conspirat
Eur. inc. fab. fr. 941 ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.

Eandem fere sententiam, atque
Aesch. Prom. 378 ψυχῆς νοσούσης[1]) εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι
praebet Eur. fr. inc. 962 ... ἀλλ' ἐπ' ἄλλῃ φάρμακον κεῖται νόσῳ·
λυπουμένῳ μὲν μῦθος εὐμενὴς φίλων,
ἄγαν δὲ μωραίνοντι νουθετήματα.
Aesch. Sept. 622 de iuvene integro robore ac vigore valente
γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φύει.

De adolescente in primo flore aetatis exstincto
Eur. fr. inc. 971 ὃ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα διοπετὴς ὅπως
ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς ἐς αἰθέρα.

Aesch. Cho. 585 sqq. caterva sic exorsa

Str. πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει δεινὰ δειμάτων ἄχη,
πόντιαί τ' ἀγκάλαι κνωδάλων
ἀνταίων βροτοῖσι
πλήθουσι [βλαστοῦσι], καὶ πεδαίχμιοι
λαμπάδες πεδάοροι,
πτανά τε καὶ πεδοβάμονα κἀνεμόεντ' ἂν
αἰγίδων φράσαι κότον.

Ant. ἀλλ' ὑπέρτολμον ἀνδρὸς φρόνημα τίς λέγοι
καὶ γυναικῶν φρεσὶν τλαμόνων
παντόλμους ἔρωτας
ἄταισι συννόμους βροτῶν;
ξυζύγους ὁμαυλίας
θηλυκρατὴς ἀπέρωπος ἔρως παρανικᾷ
κνωδάλων τε καὶ βροτῶν[2]).

affert famosissima exempla scelerum a mulieribus perpetratorum. Cuius cantici quodammodo summam exhibent

1) Sic Plutarchus consol. ad Apoll. p. 102 pro ὀργῆς νοσούσης; ὀργῆς ματαίας Stob. Flor. 20, 13; vvdd. alii aliter.

2) cf. Wilamow. Cho. ed. p. 98 et 100.

Eur. inc fab. fr. 1059 haec: δεινὴ μὲν ἀλκὴ κυμάτων θαλασσίων,
δειναὶ δὲ ποταμῶν καὶ πυρὸς θερμοῦ πνοαί,
δεινὸν δὲ πενία, δεινὰ δ' ἄλλα μυρία,
ἀλλ' οὐδὲν οὕτω δεινὸν ὡς γυνὴ κακόν κτλ.

Deos esse res mortalium non neglegentes affirmatur

Aesch. Ag. 369 sqq. . . . οὐκ ἔφα τις
θεοὺς βροτῶν ἀξιοῦσθαι μέλειν
ὅσοις ἀθίκτων χάρις
πατοῖθ'· ὁ δ' οὐκ εὐσεβής

et Eur. fr. inc. 991: ἀλλ' ἔστι, κεἴ τις ἐγγελᾷ λόγῳ,
Ζεὺς καὶ θεοὶ βρότεια λεύσσοντες πάθη.

Aesch. Cho. 158 sqq.: ἰώ, τίς δορυσθενὴς ⟨εἶσ'⟩ ἀνὴρ (Sic Wilamowitz; malim cum Bothio ἴτω τις δ. ἀ.)
ἀναλυτὴρ δόμων,
Σκύθην τ' ἐν χεροῖν παλίντον' ἐν ἔργῳ
[βέλη] 'πιπάλλων Ἄρη,
σχέδιά τ' αὐτόκωπα νωμῶν βέλη.

Eur. fr. inc. 1048,4 sqq.: ὅστις κατ' ἰσχὺν πρῶτος ὢν ἠτάζετο
ἢ τόξα πάλλων ἢ μάχῃ δορὸς σθένων,
τοῦτον τυραννεῖν τῶν κακιόνων ἐχρῆν.

Nunc demum, cum totam propriarum cum Aeschylo similitudinum materiem per quattuor illas Euripideae poeseos aetates perlustratam iam oculis quasi terminamus, licet proferre iudicium extremum.

Atque apparet in tertia aetate inveniri eas fabulas, quae maxime sapiant Aeschylum: Electram, Phoenissas, Orestem, de quibus dramatis Phoenissae praecipue vestigiis Aeschyleis, ut ita dicam, referta esse videtur: namque ceterae duae tragoediae ex Orestea tantum traxerunt colorem, Phoenissarum autem fabula non modo Septem Aeschyli, sed etiam Supplices, Prometheum, alias redolet. Neque tamen reliquae huius periodi fabulae carent Aeschyli impressis vestigiis, velut Troades, Iphigenia Taurica, Helena, quibus in dramatis praecipue Agamemnonis Aeschyleae dictionem recognosci — id quod in Electram quoque Orestemque convenit — ideo vix miramur, quod omnes illae tragoediae ad Troicas respiciunt res. Ionis tantum fabulae, quam Enthovenus Schroederusque post Electram, ni fallor, insertam volunt, mirum quantum desunt huiusmodi similitudines. Certe Agamemnonis quidem vestigia vix quisquam ibi quaereret, sed ex ceteris quoque

fabulis Aeschyli fere nihil in Ionem videtur fluxisse. Qua re commoverer, si ei aliquid esset tribuendum, ut Enthoveni collocandi ratione derelicta Ionem propius ad eam admoverem aetatem, cui praeter Andromacham Hecuba et Hercules assignantur, quae et ipsae non ita insignes sunt Aeschyli vestigiis impressis, praesertim cum hoc modo Ion ceteris fabulis Atticis, nimirum Heraclidis, Supplicibus, Erechtheo magis appropinquaret. Sed audacioris esse putaverim ex imitatione Aeschyli talia colligere.

Ad extremam vero periodum quod attinet, Schroederus l. l. p. 101 inde, quod certae quaedam locutiones Aeschyleae, (quales huius dissertatiunculae primae partis sub fine congestae sunt), „non iam compareant in Bacchis Archelao Iphigenia Aulidensi“ iure sibi videtur colligere „tunc, cum Euripidis revixisset ars“, poetam „alienos flosculos ad exornandas fabulas suas“ esse aspernatum.

Quod autem Bacch. 1213 illud κλιμάκων προσαμβάσεις huic opinioni repugnare videtur, statuit Schroederus Euripidem hanc locutionem „adeo in suum usum“ vertisse, „ut postremo sui ipsius esse propriam putare posset.“ Certe concedendum est Schroedero has tres fabulas id genus „repetitionibus“ non ita esse insignes. Quamquam illa periodo Euripides adeo non mihi videtur desiisse Aeschylum imitari, ut contra in Iphigenia Aulidensi tres quattuorve locos omnino ad illius conformaret exemplum [1]). Praeterea monuerim ad extremam hanc Euripideae poeseos periodum tres tantum fabulas spectare, vel potius duas — nam Alcmeonem Corinthium et Archelaum vix in rationem inducere licet — quas cum exemplaribus Aeschyleis comparandi fere omni copia destituti sumus. Deinde vix quisquam sibi persuadebit Euripidem subito constituisse locutiones ab Aeschylo procreatas non iam admittere, cum perpaucis annis ante (ut ex Orestae exemplo satis intelligitur) non dubitasset eas in suum vertere usum.

Per totam hanc dissertationis partem quoniam rem ita instituimus, ut quae quodque Euripidis drama exhiberet Aeschyli vestigia proferremus, iam e re est breviter illustrare, quaenam Aeschyli fabulae in quas Euripideas praecipue exercuerint auctoritatem. Quam rem ut quam aptissime illustremus, iam tabella erit adhibenda:

1) De quibus unum attulit Schroederus p. 100, cui tamen non concedo Iphigeniae l. c. de fortuita similitudine cogitandum esse.

	Primae aetatis fab.		Alterius aetatis fabulae						Tertiae aetatis fabulae							Extremae aetatis fab.	
Persae							Heracl.					Iph.T.					Iph.A.
Supplices							Heracl.	Suppl.						Phoen.			Iph.A.
Septem								Suppl.						Phoen.			
Prometheus	Alc.	Med.	Hipp.											Phoen.			
Agamemno		Med.		Andr.	Hec.	Herc.		Suppl.	Troad.	Electr.		Iph.T.	Hel.	Phoen.	Or.		Iph.A.
Choephori				Andr.						Electr.					Or.		
Eumenides	Alc.							Suppl.		Electr.		Iph.T.			Or.	Ba.	
	Alc.	Med.	Hipp.	Andr.	Hec.	Herc.	Heracl.	Suppl.	Troad.	Electr.	Ion.	Iph.T.	Hel.	Phoen.	Or.	Ba.	Iph.A.

Ex hac tabella planum fore speraverim, Aeschyli Agamemnonem longe in plurimas Euripidis fabulas auctoritatem, ut ita dicam, exercuisse. Alterum locum tenere videntur Prometheus, Supplices, Eumenides[1]), a quibus tamen haud multum absunt Persae et Choephori. Septem fabulae vestigia etsi duobus tantum Euripidis dramatis impressa sunt, Supplicibus et Phoenissis, tamen in hac altera fabula tot et tanta inveniuntur, vix ut quisquam possit dicere raro ab Euripide Aeschyli Septem esse respectam.

Sed haec hactenus. Iam a singulis dramatis nos convertamus

C. **Ad totam componendi rationem**

hic quoque examinaturi, quibus in rebus recedens a Sophocle cum Aeschylo faciat Euripides.

I. De compositione trilogica.

Aeschylum una in scaenam producere solitum esse ternas tragoedias argumenti continuitate inter se conexas adiunctis satyris ad eosdem vel similes mythos spectantibus, in quibus tragoediae versarentur, pervolgata res est. Quibus de tetralogiis valde dolendum est, quod nulla tulit aetatem nisi Orestea, ac ne haec quidem omnino integra, quoniam intercidit drama satyricum, cuius nihil ad nos pervenit nisi „Proteus" titulus paucissimaque fragmenta. Titulos autem trium aliarum quoque Aeschyli didascaliarum veteres tradunt, quarum duas quidem (complexa est altera, quam Oedipodeam vocant, Laium, Oedipum, Septem adversus Thebas, Sphingem, altera, quae Lycurgea appellatur Edonos, Bassarides, adolescentes, Lycurgum) simili ratione atque Oresteam continuo argumenti filo coniunctas fuisse vix est, quod moneam: inter singulas autem fabulas, quas in tertia didascalia collocatas fuisse accepimus, scil. Phineum, Persas, Glaucum, Prometheum satyricum, qualis intercesserit nexus, etiam nunc ambigunt vvdd. Deinde manifestum est ex multitudine titulorum dramatum Aeschyleorum coniecturis haud incertis etiam alias si non tetralogias attamen trilogias perpetuo argumento conexas erui posse, quarum e numero satis est Prometheam afferre[2]). De didascalia tripertita vel potius quatri-

1) Vix debeo monere tabella explicari nequisse, quae exemplaria Aeschyli plus, quae minus auctoritatis in singulas Euripidis fabulas, ubi illorum imitatio invenitur, exercuerint: nam, ut exemplum afferam, vestigia, quae Supplices Aesch. cognomini Euripidis dramati impressit, multo plura sunt, quam quae eidem impressa sunt Eumenidibus.

2) Cf. Aesch. fr. ed. N. Wecklein p. 476.

pertita, quam Sophocles docuerit, nescio quo casu memoriae omnino nihil est traditum. Quod autem Kaibelius (Herm. XXIII „Scenische Aufführungen in Rhodus“ p. 268 sqq.) in titulo Rhodiensi tetralogiam Sophocleam invenisse sibi visus eamque . . . *εα, Ἰβήρους, Ὀδυσσέα, Τήλεφον* satyricum continentem, summo iure vvdd. monuerunt, fueritne re vera horum dramatum auctor nobilissimus ille tragicus, deinde, si quidem ad illum spectarent, facile fieri potuisse ut ab eo demum, qui tunc Rhodi illas fabulas doceret, in quaternione coniungerentur [1]). A solita vero Aeschyli tetralogias componendi ratione hanc didascaliam valde discrepare Kaibelius l. l. ipse affirmat, cum dicit: „Die Iberer, der Odysseus und das Satyrdrama Telephus zusammen mit dem ersten auch jetzt noch unbekannten Drama würden alsdann die erste Sophokleische Tetralogie sein, von der wir hören, und die Ungläubigen würden den urkundlichen Beweis haben, dass Sophokles keine Aeschyleischen Trilogien dichtete“ (l. l. p. 274). Idque merito: neque enim quisquam facile perspiciet, quanam mythi necessitudine inter se cohaereant quattuor illae fabulae. Porro accedit conclamatum illud Suidae testimonium, cuius verba in vit. Soph. II 2, 838 scribentis *καὶ αὐτὸς πρῶτος ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν* [2]) quomodo vvdd. interpretati sint, facere non possum, quin paucis exponam. Lessingius quidem in vita Sophoclis (ed. Lachm. VI, p. 345) ad verbum vertit Suidae illam notam sic: „Er fing es zuerst an, dass Drama gegen Drama um den Preis stritt und nicht die ganze Tetralogie.“ At etiam sic, ut ille voluit, acceptus varie hic locus videtur explicari posse. Etenim in universum duas licet virorum doctorum opiniones distinguere, quarum alteri qui propugnant, a Sophocle illum quaternis fabulis certandi morem non omnino abolitum esse, sed hoc tantum novatum censent,

1) Wecklein, Sitzungsb. d. Münch. Akad. 1891, Ueber eine Trilogie des Aeschylos usw., p. 373, not. 1: „die Zusammenstellung der Dramen konnte für Rhodus willkürlich sein.“

2) Scriptum exstat in melioris notae libris *τετραλογεῖσθαι*, quam lectionem, quoniam valde abhorret a solito more componendi, *τετραλογίζεσθαι* requirente, vvdd. reiciunt. Fr. Schoellius, de locis nonnullis ad Aeschyli vitam et ad Historiam tragoediae Graecae pertinentibus epistula p. 64 maluit *στρατολογεῖσθαι*, quod deteriores duo libri exhibent, atque sic vertit: „apud eundem primum invenitur fabulam (argumento) adversari fabulae, nec vero belligerare (jedoch ohne Polemik)“; perinde ac si ante Euripidem, qui, ni fallor, illam „belligerandi“ morem introduxit, iam quis rivales in tragoediis perstrinxerit, vel potius mos fuerit, ut id facerent tragici. — Sunt autem, qui Schoelli coniectura recepta illi verbo aliam substituunt vim, sic ut idem sit atque vernaculum „in Scharen zu Felde ziehen.“

ut etiam singulas interdum fabulas inde a Sophocle licuerit proferre: altera autem qui tenentur, Sophoclem et ipsum quaterniones in scaenam committere esse solitum sibi persuaserunt sublato tamen argumenti nexu. Iam vero si inquirimus in eorum sententiam, qui „Sophoclem primum coepisse una tragoedia certare" putant, id, quod iam Godofredus Hermann de comp. tetr. trag. op. II p. 307 proposuit, existunt haud paucae difficultates.

Ac primum quidem quaeritur, quando quibus condicionibus singulis fabulis certatum sit, praesertim cum permultis exemplis intellegamus per totum quintum saeculum sollemnem illum tetralogiis certandi morem obtinuisse, ut vix credibile videatur „tragicos agones" ut „ludos publicos cum sacris coniunctos" sic imminui potuisse a poeta quamvis praeclaro. Quem scrupulum iam Boeckhius ita dissolvebat, ut Sophocli novatum ad Lenaea tantum referret. Exnerus [1]) vero multo fortius se gessit, ut qui non modo vel magnis Dionysiis saepius singula dramata docta esse contenderit, sed ne aequis quidem conditionibus certari oportuisse, ni fallor, solus omnium virorum doctorum sibi persuaserit. Atque Exneri patronus praeter ceteros exstitit Wecklinus ita tamen, ut tragicorum certaminum conditiones nunquam non aequas fuisse comprobaret. Profectus a duobus titulis Atheniensibus annorum 341 i et 340 i (cf. U. Köhler, Mitteil. des deutschen Archäol. Inst. in Athen III 1878 „Zur Geschichte des athen. Theaters" p. 112 sqq.), unde elucet interdum a singulis poetis ternas vel binas fabulas esse doctas ommissis satyris, colligit vd. ille ex hypothesibus cum aliorum dramatum, tum vel Sophocleae Philoctetae Hippolytique Euripideae seorsim in scaenam productas esse has fabulas (l. l. p. 373). Quae coniectura mihi quidem audacioris esse videtur, quam ut eam comprobem, praeterquam quod scaenicae institutiones, quae circa 340 vigebant, non tam commode ad quintum transferri possunt saeculum, cum florentibus Sophocle et Euripide certe alia obtinuit norma [2]). Ab altera autem parte sunt qui Suidae testimonium eo pertinere arbitrantur, quod Sophocles abolito quaternionis nexu coepisse censendus sit quattuor fabulis certare, quae pro se quaeque absolutum perfectumque praeberent argumentum. Quae interpretatio — maluerunt eam praeter ceteros Welckerus [3]), Droysenius,

1) De schola Aeschyli et trilogiarum ratione. Vratisl. 1840. p. 37.

2) Praeterea cf. Wilamow. An. Eur. p. 172 et Freericks l. l. p. 207. not. 2.

3) Welcker, Prometheustrilogie, p. 510 „Sophokles setzte, da Aeschylus drei Dramen gab, ihnen drei Dramen entgegen, die nicht trilogisch verbunden, sondern jedes für sich ein Ganzes waren."

Christius [1]) — etsi ipsa Sophoclearum fabularum ratione et oeconomia comprobari videtur, tamen ex Suidae verbis vix poterit elici, praesertim cum grammaticorum norma locum conclamatissimum sic, ut illi voluerunt, accipere prohibeamur [2]). Contra multo propius ad veritatem mihi accedere videntur ea, quae post C. Fr. Hermannum protulit Freericksius in comment. philol. Ribbeck. („Eine Neuerung des Sophokles" p. 205 sqq.). Arbitratur enim a Sophocle didascaliarum ordinem ita esse commutatum, ut non iam poetae certantes singulis ludorum diebus proferrent suam quisque totam tetralogiam, sed singulis diebus singulas tetralogiae fabulas, satyris autem vel quartus dies constitueretur, vel et ipsi in singulos distribuerentur dies. Quomodo fieri potuisse putat, ut non tam histrionum sublevaretur munus quam ipsius poetae, quippe qui non iam angustis materiae tripartitae finibus coerceretur [3]). Freericksii interpretationem si admittimus, certe magis perspicuum fit, quid sibi velint Suidae obscura verba; illis enim condicionibus re vera fabula adversus fabulam, non iam tetralogia adversus tetralogiam certavit. At manifestum est deficere non potuisse, qui Freericksii opinionem acerrime impugnarent, inde profecti, quod constat multis annis postquam Sophocles fabulas docere coeperat, tetralogias Aeschylea ratione, ut videtur, compositas in scaenam esse commissas velut anno 429° Philoclis illam Pandionidem, quam si quis dirimere voluisset, ut non iam uno eodemque die deinceps ageretur, vix quidquam, quod magis decori pulchrique sensui adversaretur, facere potuisse Freericksio opponunt. Hic contra summo iure certis quibusdam exemplis usus monuit tetralogiae vim fabulis

1) Griech. Litteraturgesch. ³ p. 234.

2) J. Wetzel, quaest. de tril. Aeschylea (programme du collège royal français 1883) p. 4 „verba autem", inquit, „*δρᾶμα πρὸς δρᾶμα* verti non possunt nisi: fabula adversus fabulam. Quae Welckerus in his verbis inesse voluit, ea sic dicenda fuerunt: *δρᾶμα ἐπὶ δράματι.*" Idem sensisse videtur Wecklinus l. l. p. 369.

3) Freericks l. l. p. 207 sq. ... „In wessen Interesse war diese Neuerung? ... Zunächst im eigensten Interesse des Dichters. Denn er ward damit frei von dem Zwange entweder organischen Zusammenhang zu schaffen, oder auf einen künstlerischen Gesamteindruck zu verzichten ... (eodem spectant iam quae Aristot. Poet. cap. IX p. 1451 b, 38 sqq. leguntur: *ἀγωνίσματα γὰρ ποιοῦντες καὶ παρὰ τὴν δύναμιν παρατείνοντες μῦθον, πολλάκις στρέφειν ἀναγκάζονται τὸ ἐφεξῆς* ...) ... Es lag endlich auch im Interesse des Dichters den Schauspieler zu entlasten."

alia post aliam unius diei spatio intermisso actis interdum adeo non imminui, ut vel temporis distantiae, quas inter singulas trilogiae tragoedias intercedere statuendum esset, et quae, si quattuor fabulae deinceps agerentur, molestias quasdam praebere oporteret, commodius superarentur. Praeterea haud scio an multum interfuerit inter tetralogiam Aeschyli Philocleamque, quoniam Philocles suam quaternionem novae institutioni quodammodo accommodare potuit. Quin ipsa ars Aeschylea sibi non semper constabat: namque Supplicum fabula trilogico destituta nexu per se dramatis instar vix potest haberi, cum Prometheus vinctus, ut exemplum afferam, argumenti continuatione commodissime possit carere[1].

Sed haec hactenus. Quamvis vvdd., quos modo laudavi, in ceteris rebus, quae cum Sophocleo illo invento cohaerent, explicandis inter se discrepent, tamen hac in re omnes idem sentiunt: sublatum esse a Sophocle conexum trilogicum. Verum enim vero non deerat, qui neglecto Suida trilogicam rationem etiam in Sophocleis fabulis agnosci oportere iterum iterumque contenderet: Adolfus Schoell. Hic enim in libro, quem inscripsit „Beiträge zur Kenntnis der tragischen Poesie der Griechen" quinque Sophoclis didascalias quadripertitas eruisse sibi visus amplissima disputatione, quas fecit coniecturas, comprobare conatus est. Ac primum quidem persuasum habet Sophoclem quattuor continuis fabulis celebrasse *Ἰλίου πέρσιν*, idque Lacaenis, Laocoonte, Aiace Locro, Polyxena (p. 170 sqq.). Dein altera didascalia coniunctas fuisse vult Helenae raptum, Achaeorum contionem, repetitionem Helenae, *Ἔριν* seu *Κρίσιν* satyros (p. 234 sqq.). Tertiam vero quartamque censet ad Achilleas laudes spectasse, quia altera quaternio — Achilleis minor — complexa esset Scyrias, Achaeorum convivium, Cycnum (p. 259 sqq., 281), altera, Achilleis maior, Captivas, Antenorides, Epinausimacham, Phryges (p. 288 sqq., 437 sqq.). In quinta denique Telamonidarum tetralogia, quam appellat, collocatas fuisse statuit Armorum iudicium, Aiacem, Teucrum, Eurysacem vel Telamonem (p. 520 sqq.)[2]. Iam haec Schoellius nullo firmo funda-

1) Paul Richter, Dramaturgie des Aischylos, p. 76: „Vom litterarhistorischen Standpunkte aus werden wir den Verlust des *λυόμενος* bedauern, vom ästhetischen haben wir dazu keine Veranlassung."

2) Aiacis argumentum Teucri fabula esse continuatum Bergkius quoque (Griech. Litt. III p. 388) sibi persuasit. Contra G. Buechener in programmate Offenbach. gymnas. 1894, p. 3 in contrariam Schoellio partem disserens „dieses Stück" (Aiax scil.), inquit, „soll also ein Ganzes sein und war es auch

mento nixus, sed opinione admodum praeiudicata ductus coniecit: multo autem maiore licentia usus in libro, qui inscribitur „Gründlicher Unterricht über die Tetralogie im attischen Theater" trilogiae vinculo conexas fuisse censet utramque Oedipum Antigonamque (p. 81, 206 sqq.), quamvis iam ex veterum testimoniis satis appareat Oedipum Coloneum annis circiter quadraginta post Antigonam esse doctam idque a Sophocle minore. Quam quaestionem, si quidem omnino debuit proponi, ad finem perduxit Leopoldus Schmidt (comment. philol. Bonn. p. 219—259 „Bilden die drei thebanischen Tragödien eine Trilogie?"), ita ut probaret iam internis causis fieri non potuisse, ut trilogico vinculo tres illae fabulae a poeta conecterentur.

Sed haec de Sophocle satis superque praemonita esse videntur. Iam quaeramus, num vestigia trilogici nexus apud Euripidem observari possint.

Traduntur enim Euripideae didascaliae a veteribus hae:

1) *Κρῆσσαι. Ἀλκμέων ὁ διὰ Ψωφῖδος. Τήλεφος. Ἄλκηστις* (vid. argum. Alcest.).
2) *Μήδεια. Φιλοκτήτης. Δίκτυς. Θερισταί* (v. arg. Med.).
3) *Ἀλέξανδρος. Παλαμήδης. Τρῳάδες. Σίσυφος σατυρικός* (cf. Aelian. var. hist. 2, 8).
4) *Οἰνόμαος. Χρύσιππος. Φοίνισσαι* (v. arg. Phoen.)[1].
5) *Ἀνδρομέδα. Ἑλένη* … (cf. schol. Arist. Thesm. 1012)
6) *Ἰφιγένεια ἡ ἐν Αὐλίδι. Ἀλκμέων ὁ διὰ Κορίνθου. Βάκχαι* (cf. schol. Arist. Ran. 67).

Wecklinus quidem l. l. p. 377 de Aeschylo eiusque tetralogias docendi ratione verba faciens haec profert: „Er fand hierin nur bei untergeordneten Dichtern (bei Polyphradmon schon im Jahre 467) Nachahmung, da bei Tragödien des Sophokles und Euripides ein solcher Zusammenhang sich nirgends entdecken lässt." Attamen primo obtutu apparet iam quodam scaenae fingendae nexu inter

---

für die Athener. Der Stoff war in beliebten epischen Gedichten behandelt; wie der Waffenstreit verlaufen war und wie die Flüche in Erfüllung gingen, brauchte der Dichter seinen Hörern nicht auseinander zu setzen."

1) Verba huc pertinentia satis lacera esse concedendum est. Legitur enim (cf. Nauck. ed. Eur. II p. 392, 9—11) *ἐπὶ Ναυσικράτους ἄρχοντος δεύτερος Εὐριπίδης καθῆκε διδασκαλίαν περὶ τούτου. καὶ γὰρ ταῦτα ὁ Οἰνόμαος καὶ Χρύσιππος καὶ σώζεται.* Negat Wecklinus (Ausgew. Trag. des Eur., Phön. p. 28), cum aliter lacunis suppletis aliter de toto loco iudicet, inde colligi posse tres illas fabulas una esse doctas. — Cum Nauckio autem facit praeter ceteros Wilamowitzius Anal. Eur. p. 156.

se cohaerere Alexandrum, Palamedem, Troades, utpote quae fabulae omnes alia aliam temporis ratione excipientes ad Troicum pertineant bellum. Etenim in Alexandro videmus urbi gentique Troianorum perniciem parari servato eo, quem belli infelicissimi auctorem esse exstiturum vates iam diu praedixerunt Hecubae somnium interpretati. In tertia vero fabula bello confecto, quot quantaeque calamitates in Troes ingruerint, ex conditione captivarum mulierum satis perspicitur; mediae tandem, Palamedis fabulae argumentum, ad rem in ipso bello gestam respiciens, omnino videtur versatum esse in fraude eius, a quo in tertia quoque fabula Hectoris Andromachaeque infantis filii necem designari videmus (cf. Schoell., Beitr. p. 47 sqq.) Has necessitudines, quas inter tres Troicae didascaliae fabulas intercedere nemo negabit, vix quis ad merum casum referre poterit. Quin etiam arctiora vincula possunt indagari, quibus inter se cohaerent tres Troicae tragoediae, siquidem Schoellio adstipulandum est in externo illo solutoque nexu non acquiescenti. Verum enim vero Schoellii acerrimus exstitit adversarius Hermannus Planck, qui „de Euripidis Troica didascalia" Gott. 1840 docte disserens de trilogico harum fabularum nexu nullo modo cogitari posse censet. Facere igitur non possumus, quin et ipsi breviter in tres fabulas inquiramus, etsi vix novi quidquam proferri poterit post Welckeri luculentam de Euripidis fragmentis disputationem. Ac primum quidem videamus de fabula Alexandro, in qua restituenda adhibere debemus cum Hygini fabulam 91 ^am^ tum vel fragmenta Ennianae Alexandri, quam ad Euripidis exemplum expressam esse Ribbeckius docet („Röm. Trag." p. 82 sqq). Hecuba praegnans cum in quiete vidisset sese peperisse facem ardentem vatibusque visum enarrasset, iubetur quidquid partu edidisset necare. Puerulus paulo post ex ea natus a Priamo patre satellitibus traditur interficiendus. Qui misericordia adducti vitae infantis parcentes eum exponunt. Pastores Priami expositum inveniunt educantque; cum Alexander, quem vocabant, adulta iam aetate et ipse regios pasceret greges, forte evenit, ut Priamus Hecubae consolandae causa in honorem necati, ut putabatur, filii funera editurus mitteret, qui de gregibus suis eligerent pulcherrimum taurum certaminis praemium proponendum. Alexander autem de athlo funebri certior factus, cum aegre ferret bovis iacturam, et ipse in certamen descendit, ut illum recuperaret. Huc usque pertinent, quae ante ipsum drama facta esse indicanda sunt. — Alexander inscius ignotusque etiam ipsos fratres in certaminibus devicit. Illi autem aegre ferentes sese ab

homine quodam de plebe victos esse ad ipsum Priamum litem detulisse videntur monentes, ne pateretur servos ipsis dominis validiores. Atque altercatione orta iam in eo est, ut occidatur Alexander, cum nescio quomodo ut regis filius agnoscitur. Tantum autem abest, ut parentes filium, quamvis dira de eo proferat Cassandra soror, iterum occidi iubeant, ut contra laetissimi recipiant. Hucusque de argumento fabulae vvdd. inter se consentiunt; de extrema autem dramatis parte valde inter se discrepant. Welckerus enim et Planckius (l. l. p. 13) „festos apparatus, quibus Priamus filii recepti victoriam celebrare instituisset, finem fecisse tragoediae" sibi persuaserunt. Schoellius quidem arbitratur aut ab Alexandro modo adgnito et recepto illud de deabus iudicium consiliumque Helenae rapiendae a Venere suppeditatum enarrata aut a Cassandra praesagiente patefacta esse; quam tunc fratri illud consilium dissuasisse vaticinantem, quae hoc matrimonio sceleste inito oriturae essent calamitates, nobis statuendum esse. Si vero Ennianam admittimus Alexandrum, a Ribbeckio restitutam, probabile fit etiam in Euripidis tragoedia, cum iam in eo esset, ut Cassandra vaticinandi furore abrepta ipsos cives iuberet Paridem interimere, deum ex machina intercessisse: Venerem, quae haud scio an illum monuerit, ut Lacedaemonem profectus Helenam sibi promissam uxorem peteret. Sed qualiscumque fuit Euripideae tragoediae exitus, hoc unum mihi constare videtur, Cassandram ibi praedixisse, quot quantasque calamitates perpessuri essent Troes, si Paridi pepercissent, quippe qui foret exitium patriae pestisque Pergamo [1]). Haec quidem de Alexandro; in Palamede, quae eam excipit fabula, Graecos poenae repetendae causa, quia Alexander hospitio foede violato Helenam secum abduxit, adversus Troiam profectos iam per aliquantum temporis hanc urbem tenuisse obsessam intellegendum est. Tota autem fabula versatur in Ulixis dolosa illa ratione, qua Palamedi insidiatur, ita ut omnino aliena esse videatur a prioris tragoediae argumento. Iam igitur inquiramus in tertiam didascaliae fabulam, in Troades. Atque quoniam huius tragoediae argumentum explicare supervacaneum est, liceat iam nunc proferre, quibus locis poeta ad primam tetralogiae fabulam respexisse videatur. Alexandr. fr. 60 Priamus receptum filium his appellaverat verbis: *χρόνος δὲ δείξει ⟨σ'⟩· ᾧ τεκμηρίῳ μαθὼν Ἢ χρηστὸν ὄντα γνώσομαί σ' ἤτοι κακόν.* At aliter tempore

1) Ribbeck, Die römische Tragödie im Zeitalter der Republik, p. 93.

probatum esse Alexandrum atque pater speraverat, cognosces ex opprobriis, quae ob partum servatumque filium in Hecubam coniciunt Helena Tro. 919 sqq.:

πρῶτον μὲν ἀρχὰς ἔτεκεν ἥδε τῶν κακῶν
Πάριν τεκοῦσα· δεύτερον δ' ἀπώλεσε
Τροίαν τε κἄμ' ὁ πρέσβυς οὐ κτανὼν βρέφος,
δαλοῦ πικρὸν μίμημ', Ἀλέξανδρόν ποτε

et Andromacha ib. 595 sqq.:

. . . σχετλιώτατα πάσχομεν ἄλγη,
οἰχομένας πόλεως, ἐπὶ δ' ἄλγεσιν ἄλγεα κεῖται
δυσφροσύναισι θεῶν, ὅτε σὸς γόνος ἔκφυγεν Ἅιδαν,
ὃς λεχέων στυγερῶν χάριν ὤλεσε πέργαμα Τροίας.

Omnia igitur, quae Cassandram in Alexandro praesagiente animo effatam esse putandum est, in Troadibus evenisse videmus. Nonne igitur oportuit spectatores illud de face vaticinium recordari [1]), cum in Troadibus urbem cernerent ardentem fumantemque? Non eis in mentem venire oportuit, quam dira vaticinia effata esset Cassandra de sorte parentum fratrumque deque se ipsa, cum audirent necatum esse Priamum, necatos Hectorem fratresque, Hecubam vero Cassandramque viderent in servitium agi? Porro nexus ille, qui inter Troades Alexandrumque intercedit, iam ideo fit quodammodo arctior, quod duas personas, quae iam in priore fabula in scaenam prodierant, in posteriore quoque partes easque primarias poeta fecit agentes: Hecubam dico et Cassandram. Atque adeo fingit poeta Hecubam sibi constantem esse obcaecata mente, ut filiam, quam olim, cum urbis interitum profaretur, furore agitatam putarat, etiam tum, cum omnia quae praedixerat, evenerunt, vaecordem esse arbitretur. Ut brevi praecidam, si omnes illas necessitudines inter Alexandrum Troadesque intercedentes percensueris — quas fortasse etiam plures erui possent, nisi intercidisset altera fabula, negare non poteris summo iure a poeta duas tragoedias didascalia coniunctas esse. Iam autem ad Palamedem redeamus. Ulixes Palamedis dolo una cum ceteris Graecorum principibus ad bellum proficisci coactus in dies illi perniciem molitur. Fraude doloque usus Achivorum ducibus persuadet Palamedem Priami auro corruptum machinari perniciem

---

1) Imprimis si putamus ad Euripidis exemplum facta esse haec (cf. O. Ribbeck l. l. p. 90 et trag. Rom. fr. ³ I p. 24; Alex. fr. VI) „ádest, adest fax óbvoluta sánguine atque incéndio etc."

Graecorum exercitui. Achivi autem Ulixi fidem habentes de Palamede quamvis insonte supplicium sumunt. Hoc tamen facinus haud inultum impuneque a Palamede laturi esse videntur. Hic enim, priusquam supplicium subeat, Oeaci imperat fratri, ut de nece sua Nauplium patrem certiorem reddat [1]) tamquam suae necis vindicem. Quo ex argumento apparet inter Alexandri Palamedisque fabulam vix alium quam temporis locique conexum intercedere. Etenim illa versatur in praeparando Troianorum Graecorumque bello, haec autem tota est in explicanda fraude Ulixis Palamedisque interitu, sic ut non desint, qui dicant Euripidem secundae ternionis fabulae, si constanter studuisset trilogicum continuare nexum, aliud argumentum eligere debuisse, quod magis spectaret ad perniciem Troibus imminentem, velut Hectoris caedem seu aliud id genus factum. Ab altera autem parte exstiterunt, qui huic rei medelam invenisse sibi viderentur Philoctetam ideo aptissime trilogiae Troicae insertam esse rati, quia cum fato Ilii — hanc enim ternionis summam esse statuunt — artissime cohaereret eo, quod Graeci Palamedi reditum suadenti iam obtemperaturi Ulixis illa fraude retinerentur [2]), sic ut tunc demum inevitabile Pergamo immineret exitium. Sed hae coniecturae sunt, eaeque satis dubiae.

Schoellius vero, cum putaret prima alteraque fabula tertiam ita praeparari, ut Alexander exhiberet Troianorum culpam, belli auctorem contra oraculorum auctoritatem servantium, Palamedes culpam Achivorum insontissimum virum temere condemnantium, Troades denique utrorumque perniciem (nam Graecos quoque interimere Neptunus et Minerva decernunt), audaciorem fuisse in coniciendo apparet. Etenim quod inter Neptunum Minervamque de naufragio Achivorum convenit, omnino non ad temeritatem illam pertinet, qua obcaecati de Palamede sumpserunt supplicium, sed ad multa illa in devastanda urbe et in deos et in homines impie nefarieque commissa. Iamque Planckius l. l. 27sq. recte monuit Schoellium nimium tribuisse Neptuni verbis Tro. 88 sqq. dicentis:

. . . ταράξω πέλαγος Αἰγαίας ἁλός.
ἀκταὶ δὲ Μυκόνου Δήλιοί τε χοιράδες
Σκῦρός τε Λῆμνός θ᾽ αἱ Καφήρειοί τ᾽ ἄκραι
πολλῶν θανόντων σώμαθ᾽ ἕξουσιν νεκρῶν,

1) Cf. Schol. ad Aristoph. Thesm. 771.

2) Videntur, ut libere profiteor, huc pertinere Eur. Tro. 285 sqq.: ὃς *πάντα τἀκεῖθεν, ἐνθένδ᾽ ἀντίπαλ᾽ — τιθέμενος κτλ.*

cum ea ad Nauplii minas respicere putaret, quem tamen in Palamede prodisse non verisimile est (cf. Welcker, Rh. M. Suppl. II 510). Ab altera autem parte idem Planckius acrius quam verius mihi videtur in contrariam Schoellio partem disseruisse, cum trilogiae nexum nonnisi externum fortuitumque haberi voluit (cf. p. 30 sq.). Immo vero primam tertiamque didascaliae fabulam nullo modo minus arcte conexas esse contenderim, quam exempli gratia in Oedipodea cohaerent inter se Laius et Septem, in Orestea Agamemno et Eumenides. Atque Planckius ipse haud scio an aliter iudicaturus fuerit, si ad restituendam Alexandrum Ennianae fabulae fragmenta magis admisisset. Quamquam non infitior Palamedem ex trilogica ratione quodammodo excidere, etsi nonnullas necessitudines inter hanc fabulam Troadesque intercedere negari nequit. Nam spectatores recordari oportebat, quanta nequitia quibusque fraudibus Ulixes usus esset in tollendo Palamede, cum audirent Hecubae gemitus conquerentis infelicissimam sortem, ut quae Ulixi adiudicata esset mancipium:

cf. Tro. 281 sqq. *ἰώ μοί μοι·*
μυσαρῷ δολίῳ λέλογχα φωτί δουλεύειν
πολεμίῳ δίκας, παρανόμῳ δάκει,
ὃς πάντα τἀκεῖθεν, ἐνθάδ'
ἀντίπαλ' αὖθις ἐκεῖσε διπτύχῳ γλώσσᾳ
φίλα τὰ πρότερ' ἄφιλα τιθέμενος κτλ.

Porro eodem Ulixe auctore, qui Palamedis caedem designaverat, audimus inter Achivos convenisse de Astyanactis nece (cf. Troad. 719, 721, 723, 725 sqq. *κτενοῦσι σὸν παῖδ', ὡς πύθῃ κακὸν μέγα. Νικᾷ δ' Ὀδυσσεὺς ἐν Πανέλλησιν λέγων. Λέξας ἀρίστου παῖδα μὴ τρέφειν πατρός, Ῥῖψαι δὲ πύργων δεῖν σφε Τρωικῶν ἄπο. Ἀλλ' ὡς γενέσθω κτλ.*). Licet igitur Planckio concedendum sit ex hac tragoedia, quia cum ceteris duabus cohaeret remissis laxisque vinculis, trilogicum nexum quodammodo laborare, vix aliquis comprobabit casui esse assignandum, quod tres illas fabulas una docuerit poeta; nimirum repraesentat Troica trilogia quasi epicum carmen poetarum cyclicorum in scaenam translatum, quemadmodum iam pridem „epici carminis onus lyra sustinuerunt“, ut Quintiliani utar verbis, et Pindarus et Stesichorus. Atque videtur ab Euripide Aeschylea ratio in hac didascalia esse redintegrata, vanaque est coniectura, quod Planckius censet Euripidem non certo consilio trilogiae componendae accessisse ad Alexandrum, „sed quum Alexandrum scripsisset ei in mentem venisse, finem huius belli tragoediae aptissimum peculiari fabula illustrare.“

Restat, ut pauca de satyris adiciam, quos huic trilogiae poeta adiunxit, de Sisypho. Cuius fabulae nihil tulit aetatem nisi glossema duoque versus eique mutilati:

χαίρω σέ τ', ὦ βέλτιστον Ἀλκμήνης τέκος
..... τόν τε μιαρὸν ἐξολωλότα (fr. 673),

quibus tamen satis apparet actum esse de homine nefario ab Hercule iure punito, de Sisypho. Ad Troicum igitur bellum nullo modo potest spectare hoc drama; Schoellius autem demonstrare studuit idque haud inepte, non ita alienum fuisse satyrorum argumentum cum a Troadibus tum vel a Palamede. Sisyphum enim, omnium hominum longe vaferrimum, certo consilio oppositum esse Ulixi, homini et ipsi satis vafro, cuius eximiae calliditatis exemplum in Palamede et in Troadibus statueret poeta; atque quoniam in utraque tragoedia nefarii sceleris vindicta ab Ulixe sumenda desideraretur, in satyris productum esse illius simillimum tunc vero meritissima poena multatum („In den Tragödien liess Euripides die Lügenkunst und Tücke siegreich wirken, mit bitterer Ironie; in dem Satyrspiel den endlichen Lohn finden mit poetischer Gerechtigkeit"). Accedit, quod tragici saepissime Ulixem a Sisypho oriundum fuisse dicunt velut Aesch. Arm. iud. fr. 175, Soph. Ai. 190, Phil. 417, Eur. Iph. Aul. 524, 1362. — Ac ne Aeschylus quidem satyros semper cum antecedentibus dramatis ficti temporis rationi convenienter conexuerat, quoniam apparet, si mythus esset continuatus, facile futurum fuisse, ut hilaritate et iocis satyrorum severitas gravitasque tragoediarum valde imminueretur. Velut in Sphinge satyrica, quae didascaliae ex ordine Septem excipit tragoediam, non pergitur eodem tenore, sed reditur ad factum pridem praeteritum, quod poetae, si fingendi temporis rationem esset secutus, inter Laium Oedipumque fuerat inserendum.

Iam vero ad aliam Euripidis accedamus didascaliam eamque, quae continet Oenomaum, Chrysippum, Phoenissas. — Oenomai Euripidis, quae supersunt fragmenta non tam apta sunt, quibus de ipso argumento quidquam disci possit, quam pertinent ad illustrandas quasdam sententias. In universum autem idem fere argumentum nimirum nonnullis rebus mutatis atque novatis ab Euripide tractatum esse putari licet, quod iam Sophocles Hippodamiae fabulae substituit [1]). Hyginus quidem fab. LXXXIII (ed. Schmidt) de Oenomao Hippodamiaque haec profert:

1) Oenomaum Sophoclis fuisse fabulam satyricam Ribbeckius röm. Trag. p. 441 sq. demonstrare conatur („... die Vermutung liegt nahe, dass der

„Oenomaus Martis et Asteropes Atlantis filiae filius habuit in coniugio Euareten Acrisii filiam, ex qua procreavit Hippodamiam virginem eximiae formae, quam nulli ideo dabat in coniugium, quod sibi responsum fuit a genero mortem cavere. Itaque cum complures eam peterent in coniugium simultatem constituit, se ei daturum, qui secum quadrigis certasset victorque exisset (quod is equos Aquilone velociores habuit), victus autem interficeretur. Multis interfectis novissime Pelops Tantali filius cum venisset et capita humana super valvas fixa vidisset eorum, qui Hippodamiam in uxorem petierant, poenitere [eum] coepit regis crudelitatem timens. itaque Myrtilo aurigae eius persuasit regnumque ei dimidium pollicetur, si se adiuvaret. Fide data Myrtilus currum iunxit et clavos in rotas non coniecit. Pelops, cum Hippodamia et Myrtilo domum victor cum rediret cogitavit sibi opprobrium futurum et Myrtilo fidem praestare noluit eumque in mare praecipitavit, a quo Myrtoum est appellatum etc."

Chrysippi argumentum iam Valckenarius diatr. c. III ingeniose restituit. Quem si sequimur, haec fere statui possunt: Laius, Labdaci filius cum patria expulsus benigne a Pelope receptus sit, adeo non est memor illius beneficii, ut Chrysippum, Pelopis filium eximia pulchritudine insignem, scelesto incensus amore secum abducat curru vitietque. Atque Chrysippus quidem morte voluntaria dedecus a Laio sibi inlatum expiat. Pelops vero filii raptorem quibus Diris devovisse censendus sit, ex Apollinis illo notissimo oraculo clarescit:

. . . *ἀτὰρ τόδε σοι μόρος ἔστω, Παιδὸς ἑοῦ χείρεσσι λιπεῖν βίον· ὣς γὰρ ἔνευσε Ζεὺς Κρονίδης Πέλοπος στυγεραῖς ἀραῖσι πιθήσας, Οὗ φίλον ἥρπασας υἱόν· ὃ δ' ηὔξατό σοι τάδε πάντα* [1]). Iam si

Οἰνόμαος des Sophokles gar keine Tragödie, sondern ein Satyrspiel, die Tragödie dagegen, der nur fr. 428 u. 430 (i. e. 431 et 433) zuzuschreiben sind, *Ἱπποδαμεία* betitelt war.")

1) Aliter vero Wilamowitzius comment. de trag. Graec. fr. Gott. 1893 p. 9 restituit argumentum Chrysippi profectus a Plut. Erot. cap. 33. ubi paene in omnibus Euripidis artem agnoscebat. Narrat autem Plutarchus „Pelopi praeter Atreum et Thyestem Hippodamiae filios e nympha fuisse Chrysippum. quem a Laio raptum liberatum esse a fratribus. ac Laio quidem ignovisse scelus Pelopem amoris gratia, Hippodamiam vero, cum filiis suis persuadere non potuisset, ut aemulum regni paterni futurum de medio tollerent, ipsam gladio Laii Chrysippum trucidasse. atque iam in eo fuisse, ut Laius caedis condemnaretur, cum Chrysippus moribundus verum patefaceret. itaque Hippodamiam in exilium missam esse etc." Quam coniecturam si admittimus, haec Chrysippi fabula etiam

consideraveris et in Chrysippo et in Oenomao Pelopem in scaenam prodisse, cognosces, quomodo inter se cohaereant duae fabulae. Nonne enim verisimillimum est Oenomaum curru delapsum morientemque (vel Myrtilum deceptum, si quidem huius personam poeta adhibuit) simili modo iam diris devovisse fraudulentum Pelopem [1], quas nunc evenisse videmus, ita, ut Chrysippi dedecus necemque poenae instar debeamus habere a Pelope patre solvendae propter scelus in Oenomaum (Myrtilumve) commissum? Porro si reputamus, quanto studio Euripides deum ex machina adhibuerit, non id quoque probabile fit, nescio quem deorum sub fine fabulae apparuisse, ut maerentem consolaretur Pelopem Laique poenas praediceret? Sed utut haec res se habuit, hoc putaverim ex argumento utriusque fabulae elucere: alteram alterius indigere, ita ut et hic et ibi desideraremus poeticam, quam vocant iustitiam, nisi insequenti fabula eorum scelerum, quae in priore fuerant inulta, repeteretur poena, nimirum si Pelops a deis impunita ferret fraudem caedemque Oenomai, Laius vero Chrysippi dedecus. Etenim Phoenissae, quamquam in hac fabula ne uno quidem verbo Lai illud attingitur facinus, tamen quodammodo ad Chrysippum respicere mihi videtur, dummodo ne obliviscamur illud oraculum, quo Laius filium procreare vetitus est, ne ab ipsius prole occideretur totaque eius stirps per cruorem vaderet, ad Pelopis diras referri potuisse a spectatoribus. Quid autem neglecto oraculo perpessus sit ipse Laius, Phoenissarum prologi vv. 21 sqq. satis apparet. Diras vero non acquiesse Lai caede, sed a pernicie Oedipodis filii etiam ad Lai nepotes extendi, ad Polynicem Eteoclemque, ita ut re vera per cruorem incederent Labdacidae — hoc quemadmodum in Phoenissis poeta explicuerit, ostendere supervacaneum puto.

Ut brevi complectar: Putaverim in hac quoque trilogia argumenti quandam continuitatem nexumque, scilicet hic quoque eundem, qui epicorum carminum esse solet, agnosci posse. Verum

---

artius cum Oenomao antecedente conexa videtur cum Pelopis tum vel Hippodamiae partibus. Necessitudo autem illa, quae inter Phoenissas et Chrysippum intercedere censenda est, satis laxata et remissa est, nisi putamus moribundum Chrysippum Laio esse praefatum, quid ei eventurum esset, si liberos progenuisset.

1) Tale quid iam Wecklinus praef. ad Phoen. p. 28 suspicatus est, cum affirmat „. . . Im Oenomaos konnte *Οἰνόμαος* den Pelops verfluchen und konnte darauf hingewiesen werden, dass dieser Fluch sich an Chrysippus, dem Sohne des Pelops, erfüllen werde . . .“

enim vero sine dubio concedendum est multo remissioribus et laxioribus vinculis inter se cohaerere huius didascaliae tres fabulas, quam, ut exemplum afferam, Aeschyleae Oedipodeae singulas tragoedias, quantum ex reliquiis cognosci potest. Neque mirum: nam, quae Aeschylus tota trilogia tractaverat, ea ab Euripide in unam illam Phoenissarum fabulam coacta sunt [1]. Apud Aeschylum videmus illum *ἀλάστορα*, ut ita dicam, per totam ternionem uni eidemque Labdacidarum stirpi immanentem atque inhaerentem, quippe qui, ut *πρώταρχον ἄτην*, persequatur Lai *παρβασίαν* in oraculum commissam [2]; apud Euripidem vero ille *ἀλάστωρ* quasi transmigrat a Pelope punito ad Labdacidarum gentem, cui insidet, donec ea funditus deleta sit. Atque videtur Euripides in hac re Aeschylum non tam ut imitaretur operam dedisse, quam ut exsuperaret, cum una eademque trilogia non unius generis sortem, sed vel trium, Oenomai, Pelopis, Lai complexus est, ideoque etiam causam omnium malorum multo longius repetivit, quam Aeschylus fecerat. Reliquas Euripidis didascalias, de quibus comperimus, continua argumenta non exhibuisse manifestum est. Dixerit quis poetam posterioribus demum vitae annis ad id animum induxisse, ut Aeschyleo more trilogias componeret. Wilamowitzius [3]) tamen vel ex primae periodi Euripidis fabulis tres eruit tragoedias, quas ternionis vinculis inter se conexas fuisse haud absonum est putare, Aegeum, Theseum, Hippolytum priorem: namque in fabula Aegeo Theseus inscium patrem convenire censendus est: iamque in eo videtur fuisse, ut Medea auctore ab ipso patre tolleretur filius, cum in tempore ab Aegeo agnoscitur ex gladio. Medea expulsa Theseus Cretam traiecturus est, ut cives Athenienses turpissimo illo tributo Minoi solvendo liberet. Cretam, Minois regnum, fuisse alterius fabulae, Thesei, scaenam, argumentumque spectasse ad Thesei cum Minotauro certamen huiusque mortem satis constat [4]. Porro Wilamowitzius affirmat: „Es kam darin nach unabweisbarer

1) Quocum comparanda, quae de Agathone disseruit Aristoteles Poet. 18 p. 1456ᵃ 15 sqq. et Vahlen, Beitr. zu Arist. Poet. II p. 57 sq.

2) Wecklinum, qui praef. ad Aesch. Sept. p. 6 Labdacidarum interitum ad Chrysippi vitiationem tamquam causam omnium malorum rettulit („Wie also im Agamemnon die Flüche des Thyest, so erfüllen sich hier die Flüche des Pelops — *τελειᾶν παλαιφάτων ἀρᾶν*“), Paulus Richter, Dramaturgie des Aischylos, p. 31 sqq. impugnat.

3) An. Eur. p. 175; ed. Hippolyt. p. 43 sqq.

4) Senecae trag. ed. Leo 1 p. 180.

Vermutung vor, erstens, wie Theseus, sich vor Minos auszuweisen, in das Meer hinabtaucht zu seinem Vater und von da einen Kranz heimbringt, den Amphitrite ihm geschenkt hat. Ausserdem hat ihm Poseidon die Gewährung dreier Wünsche versprochen und einer von diesen wird sofort nötig für die Erlösung aus dem Labyrinthe, deren Vorkommen auch sonst für das Drama gesichert ist ..." In tertia fabula, in Hippolyto velato, Thesei personam multo insigniorem fuisse quam in superstite, ita ut trilogiae nexus magis arctus fieret, Wilamowitzius coniecit illius pristini conexus vestigia inde etiam nunc agnosci posse ratus, quod in ea, quae aetatem tulit, fabula item fieret trium ἀρῶν mentio, quarum tamen unam e vv. 44 sqq. et 888 sq. perspectam haberemus, duas reliquas autem cognoscere non iam liceret.

Haec omnia si recte disputavit vir doctissimus [1]), non potest dubitari quin Euripides prioribus annis interdum magis ad Aeschyli exemplar composuerit quam postea trilogias: namque illam de Theseo tripertitam didascaliam, qualem ille restituit, astricto fabularum nexu omnino aequiperare terniones Aeschyleas negari nequit. Ceterae Euripidis didascaliae, quas novimus, si non exhibuerunt continuum argumentum, attamen materiae quadam similitudine, quae per totam obtineret quaternionem, insignes fuisse videntur. Velut Schoellius in ea didascalia, quae Cressas, Alcmeonem διὰ Ψωφῖδος, Telephum, Alcestidem continebat [2]), poetam totum fuisse censet in mulierum virtutibus vitiisque illustrandis, ita tamen, ut altera quoque necessitudo intercederet inter omnes illas fabulas, utpote quae versarentur in hospitii officio modo foede violato, modo egregie servato.

Idem vd. simili sententiae alicuius generalis aequitate eam tetralogiam inniti statuit, in qua Medeam, Philoctetam, Dictyn, Messores accepimus collocatas fuisse, cum his omnibus dramatis ageretur de necessitudine, qua quis cum patria ac stirpe coniunctus esset, deque peregrinorum condicione vel hospitii iure. Quod vero ad Iphigeniam Aulidensem, Alcmeonem alterum, Bacchas attinet una doctas, non modo Schoellius trilogici nexus sagacissimus in-

---

1) Astipulati sunt ei praeter ceteros C. Robert (Herm. XV p. 485) et Max Mayer l. l. p. 59.

2) Quattuor iunxit Euripides tragoedias hic, novandi studio hac in re quoque Aeschylum vincens, ut qui solitus esset tres tantum tragoedias docere adiectis satyris.

dagator, sed iam ante eum Welckerus quoque (Griech. Trag. II p. 687) observavit trium fabularum argumenta versari in condicionibus insolitis permirisque, quae intercederent inter parentes liberosque. Hartungus [1]) quidem aliter sensit, cum illa dramata fortuito una in scaenam commissa esse voluit, quippe quae non ab ipso auctore sed huius demum post mortem ab Euripide minore docta essent. Helenam denique Andromedamque ideo putant vvdd. iure in eadem ternione conexas fuisse, quod utraque fabula praebet argumentum satis fabulosum personaeque primariae utrobique permira uterentur sorte [2]). Verum enim vero non desunt, qui tales necessitudines non ab ipso poeta spectatas, sed a viris doctis recentissimae demum aetatis ex illis didascaliis non sine ullo artificio elicitas esse censeant. Atque etiamsi concedendum est Schoellium in eruendis trilogicis vinculis interdum fuisse argutiorem, tamen illas necessitudines quamvis externas exstare negari nequit: mero autem casui illas argumentorum similitudines assignare mihi audacioris esse videtur. Immo vero haud scio an hac quoque in re Euripides priscum redintegraverit morem: iam enim ab Aeschylo videtur huiusmodi tetralogia composita esse, ea quae Phineum, Persas, Glaucum, Prometheum πυρκαέα [3]) continebat: in qua poetam respexisse ad inimicitias Graecis cum barbaris inde ab antiquissimis temporibus intercedentes vix est, qui infitietur [4]).

1) Praef. ad ed. Iph. Aul. p. 4.

2) Wilamowitzius An. Eur. p. 174 cum aliis ob causis tum argumentorum propter similitudinem una doctas esse coniecit Erechtheum et Supplices: „Erechthei exodus distincta est cantico militum victorum, Supplicibus quoque παραχορήγημα inest puerorum; illic Erechthei hic Thesei gravis rixa cum praecone hostili — utrobique praesens rerum status sub imagine temporum fabulosorum agitur, utrobique ex nobilissimis et celebratissimis Atheniensium facinus." Quod si recte coniecit vd., iam aliud huius rei luculentum lucrati sumus exemplum. Idem l. l. p. 175 de Heraclidis et Cresphonte una, ut censet, in scaenam commissis „utraque", inquit, „in rebus Heraclidarum vertitur, utraque ad res praesentes respicit, quodsi ludere licet, Temenidae aptissime se offerunt — at nec Temenus nec fortasse Licymnius absurde cum illis coniungi poterat."

3) Has fabulas omnino primam effecisse quaternionem arbitrantur ei, qui ex hoc genere trilogiarum vinculis remissioribus et laxioribus cohaerentium ortas esse putant iustas trilogias i. e. angustioribus continui argumenti finibus circumscriptas, velut Rademacherus (quaest. de tril. trag. Graecorum) et Wecklinus (Pers. praef. p. 16).

4) Wecklinus tamen hanc sententiam vehementer impugnat Sitzungsb. d. Münch. Ak. d. Wiss. 1891, p. 327 sqq. „über eine Trilogie des Aeschylos

Sed haec hactenus. Iam accedamus ad singulas fabularum partes examinandas. Ac primum quidem videamus

II. De prologis.

In Aeschyleis tragoediis varias prologorum componendorum vel omnino exponendi rationes discerni posse iam Firnhaberus nov. annal. suppl. vol. XVII inde a. p. 536 luculenter exposuit. In Persis enim Supplicibusque, quae haud scio an antiquissimae tragoediae praebeant exemplar [1]), caterva seu potius coryphaeus personae *προλογιζούσης* munere fungitur ita, ut ipsa parodo rerum agendarum statu et conditione imbuamur. Iustum igitur prologum i. e. integram dramatis ante chori parodum partem, utrobique desideramus. Eodem modo videtur in Prometheo soluto et in Myrmidonibus ipsa parodus fabulae initium fuisse, si quidem Procopio (hist. Goth. IV 6, vol. II p. 484, 16) et schol. ad Ar. Ran. 992 fidem habere licet. Aliter poeta rem instituit in Septem. Hic enim prologus duas scaenas, ut ita dicam, continet; quarum prior contionis speciem prae se fert, in qua Eteocles Thebanos adhortatur, ut suum quisque praestet officium (cf. vv. 1—38); contione dimissa iam altera prodit persona, nuntius speculator. Incipit sermo alternus. Ubi nuntius abiit, Eteocles superorum implorat auxilium. Iam ipse decedit precibus absolutis (39—77).

---

und über die Trilogie überhaupt." Longum est proferre, quae singuli vvdd. de hac trilogia iudicaverint, praesertim de Glauco, qui utrum Potniensis an Marinus intelligendus sit, etiam nunc ambigitur. Christius quidem mavult Potniensem, quem ad pugnam Plataeensem spectasse putat (cf. Sitzungsb. d. bayr. Ak. d. W. 1888 „Der Aetna in der Poesie der Griechen" p. 373 adn. 3). Iurenka contra auctoritatem codicis Medicei Glaucum Marinum tertiam fabulam fuisse vult, cuius argumentum ad cladem Poenorum apud Himeram acceptam respexisse censet (cf. praef. ad Pers. p. 15). Ipse autem Wecklinus ed. Pers. p. 16 priorem opinionem sic immutavit, ut haec statueret: „Immerhin mag das erste Stück in den Weissagungen des Phineus eine Beziehung auf die Perser gehabt haben, so dass die Persertrilogie nicht bloss, wie es wahrscheinlich ist, als die erste Verbindung dreier Tragödien, sondern auch als der erste, noch unvollkommene Versuch einer inhaltlich verbundenen Trilogie im engeren Sinne angesehen werden muss." Glaucum Potniensem refert vd. „ad ludos ab Acasto in funere Peliae institutos et ad interitum Glauci" (cf. Aesch. fab. fr. p. 492 sq.).

1) Bethe, Prol. p. 188: „Die ältesten Tragödien begannen ihrem Ursprunge getreu einfach mit dem Auftreten des Chors, wie die Hiketiden und Perser des Aischylos zeigen." Quale exordium Firnhaberus longe plerisque dramatis Aeschyli assignavit.

Mox orditur parodus. — Rursus alio modo in Prometheo rebus agendis imbuimur. Volcanus enim Roburque (Vis gerit *κωφὸν πρόσωπον*) alternis cum sermonibus Prometheum tacentem saxo affigunt. Qui cum scaena decesserint, Prometheus miseriam suam conqueritur monodia (vv. 88—100). Idem nos anapaestis (vv. 120—127) de catervae adventu edocet, quoad haec ipsa canere incipiat inde a v. 128. — Rationem ab his modo descriptis diversissimam a poeta initam videmus in Orestea: namque in Agamemnone usus est custodis persona, qui solus causam molestiasque vigiliarum explicans spectatores de rebus, quae Agamemnone absente Atridarum domi geruntur, certiores facere incipiat. Cuius post discessum caterva prodit recitante coryphaeo: *δέκατον μὲν ἔτος κτλ.*, quibus continuatur expositio. Simile prooemium atque illud, quod Agamemnonis efficit initium, Orestes in Choephoris dicit, priusquam chorus adventat. Eumenidum vero prologus tribus diversis continetur partibus. Prooemium, quo haec quoque fabula exorditur, a Pythia sacerdote dicitur. Quae postquam abiit, Orestes et Apollo scaenam intrant cum Mercurio. Quorum post discessum Clytaemestrae larva apparet, ut Furias somno oppressas excitet. Tunc demum orditur parodus. Oresteae igitur prologorum maxime proprium videtur illud prooemium esse ab uno recitatum, quod si adhibuit, poetam saepe multo commodius expositionis munus esse exsecutum, quam si duas personas fecisset inter se colloquentes, plane apertum est. Atque videtur Aeschylus in hac prologos componendi ratione non suus fuisse, ut contra Phrynichi vestigia pressisse censendus sit, quem accepimus in Phoenissis simili modo personam *προλογίζουσαν* adhibuisse, eunuchum; sic enim legitur in hypothesi Pers. Aesch.: *Γλαῦκος ἐν τοῖς περὶ Αἰσχύλου μύθων ἐκ τῶν Φοινισσῶν Φρυνίχου φησὶ τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι· ἐκτίθησι δὲ καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ δράματος ταύτην· „τάδ' ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων.“ πλὴν ἐκεῖ εὐνοῦχός ἐστιν |ὁ| ἀγγέλλων ἐν ἀρχῇ τὴν Ξέρξου ἧτταν, στορνύς τε θρόνους τινὰς τοῖς τῆς ἀρχῆς παρέδροις.*

Talem vero prologum ab una persona dictum apud Sophoclem frustra quaeres. Hic enim eam normam sibi statuisse videtur, ut confestim duas personas induceret inter se colloquentes velut in Aiace, Electra, Antigona, Oedipo Coloneo. Oedipi Regis prologus, ut qui et ipse contionem exprimere videatur, haud dissimilis est illi, quam Aeschylus in Septem adhibuit rationem. Hanc autem normam crederes a Sophocle derelictam esse in Philoctetae Trachiniisque, cum utrobique in initio poneret longiorem unius

personae orationem ad informandos spectatores aptam et quae excipitur sermonibus alternis. Verum enim vero permultum distant etiam harum fabularum prologi ab Orestea. Nam quae hic adhibentur prooemia, ab uno dicuntur nulla alia praesente persona: quae autem Ulixes Philoctetae initio profert aptissime dicta esse videntur Neoptolemi edocendi causa, quem mox audimus Ulixem interpellantem, sic ut dialogus ordiatur. A Deianira vero in Trachiniarum prologo ancillam appellari existimare debemus, ab initio in scaena praesentem. Praeterea summo iure monuit Leo (Plaut. Forsch. p. 173) utrumque prologum a senescente demum Sophocle conformatum esse, idque fortasse ad Euripidis exemplum.

Iam igitur in Euripideam prologos fingendi rationem inquiramus. Atque si sequimur Ioannem de Arnim, qui de hac re notissima egit dissertatione [1]), prima lex sic est statuenda:

„In fronte prologi longior unius personae oratio collocatur", prooemium, quod appellavit ille. Quod genus exponendi Thomas Magister ab Euripide inventum esse putabat, siquidem recte intellegimus illa: *τὸ ἐν ἀρχῇ τοῦ δράματος τὴν ὑπόθεσιν διατυποῦν καὶ τὸν ἀκροατὴν ὥσπερ χειραγωγεῖν εἰς τὸ ἔμπροσθεν Εὐριπίδου τέχνημα.* Iam autem Bergkius monuit hanc rationem Euripidi quodammodo cum Aeschylo et fortasse etiam cum Phrynicho communem fuisse: neque enim Oresteae prologorum vestigia in Euripideis agnosci nequeunt. Deinde Ioannes de Arnim „Raro", inquit, „hac prooemii oratione prologus finitur, plerumque aliam scaenam praeter illam continet" (l. l. p. 81). Agamemnonem et Choephoros tali scaena carere iam supra vidimus. Idem valet in Euripidis Supplices, Bacchas, Cyclopem. Sed haec non est solita eius ratio. Immo confecto illo prooemio aut ad personam *προλογίζουσαν* facit alteram accedentem, ita ut ex oratione unius personae fiat dialogus velut in Alc. Andr. Hel. El. Heracl. Med. Or. Tro. [2]), aut *προλογίζοντα* iubet abire novasque arcessit personas, ut in Hipp. Ion. Iph. Taur., prout dramatis dispositione ei postulari videbatur. Similiter iam ab Aeschylo Eumenidum prologum fuisse conformatum vix debeo monere.

Quod igitur Oresteae prologorum maxime proprium esse exposuimus, illam orationem, quae ab uno dicitur nullo audiente et qua de

---

1) De prologorum Euripideorum arte et interpolatione, Gryphisw. 1882.

2) Solius Herculis prologus quodammodo est excipiendus, utpote qua in fabula inde ab initio altera persona iam adsit, quacum postea *προλογίζων* collocuturus est.

nomine, genere, consiliis, conditione *προλογίζοντος* certiores fiebant spectatores, hoc ipso Euripideos quoque prologos insignes esse apparet. In una tamen ex superstitibus fabulis a solito more deflexisse videtur poeta, in Iphigenia Aulidensi, idque ita, ut prologum faceret incipientem per anapaestos ab Agamemnone servoque alterno recitatos sermone, deinde autem intermissum illud „prooemium" insolito loco proferret. Iam non deerant, qui transponendum censerent: neque tamen ita merito, ut aliis visum est viris doctis: firmatur enim Iphigeniae anapaesticum initium quodammodo Andromedae exemplo: quam et ipsam anapaestis exorsam esse scholiasta Ar. Thesm. 1065 auctor est, cum ad Mnesilochi, qui dicitur, illa:

ὦ νὺξ ἱερά,
ὡς μακρὸν ἵππευμα διώκεις
ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ'
αἰθέρος ἱερᾶς
τοῦ σεμνοτάτου δι' Ὀλύμπου· (Eur. fr. 114)

adnotat: *ὁ Μνησίλοχος ὡς Ἀνδρομέδα. τοῦ προλόγου τῆς Ἀνδρομέδας εἰσβολή*[1]. Attamen hac quoque in re vetustiori tragoediae se applicuisse Euripidem fortasse non audacioris est putare. Namque anapaestis coepisse haud paucas Aeschyli fabularum iam supra monuimus. Hic tamen eos coryphaeo tribuerat, ille dedit personis. Sed iam ad illa prooemia redeamus. Euripidem fecisse personam *προλογίζουσαν*, ut statim cognosceretur, „plerumque in exordio, certe inter prima narrationis verba nomen suum expresse indicantem; vel alio modo studuisse, ut spectatores, quemnam in scaena viderent, statim intellegerent", iam ante J. d. Arnim recte observavit Klinkenbergius. Atque fortasse huc quoque spectat, quod veteres *σαφήνειαν* prologorum Euripideorum laudabant[2]. In Aeschyleis prooemiis hanc diligentiam non semper observari licet: velut in Eumenidibus non satis perspici potest, quis sit persona *προλογίζουσα*, donec v. 29 haec aperte edicat se vaticinandi munere fungi. In Agamemnone autem multo planius se denotat *προλογίζων*; in Choephoris vero poeta quam proxime ad Euripi-

1) Hartungus quidem hoc quoque testimonium pro nihilo habendum esse ratus, Echus personae tribui voluit Andromedae initium. Idque immerito, ut docuit Wecklinus (Sitzungsb. d. bayr. Ak. 1888 p. 87). Praeterea cf. Weil, Sept tragédies d'Eur. p. 309 sqq.

2) In Alcestide tamen spectatores Apollinem ex habitu agnoscere oportebat.

deam σαφήνειαν accessisse videtur. dummodo conferas Orestis illa ἥκω γὰρ ἐς γῆν τήνδε καὶ κατέρχομαι (v. 3)[1]) cum Bacchi verbis dicentis ἥκω Διὸς παῖς τήνδε Θηβαίαν χθόνα κτλ.

Deinde autem non desunt in Euripideis prooemiis, quae iam Aeschylo crimini verti possint. Neque enim immerito veteres critici vituperabant Euripidem, quod προλογίζοντας interdum faceret fere totas genealogias proferentes, velut Iocastam in Phoenissis, Helenam in cognomine fabula, aliosque alibi. Idem fere valet in Eumenides; namque illam Pythiae imprecationem epicae cuiusdam genealogiae habitum praebere vix quisquam negabit.

Restat, ut paucis disseram de personis, quas uterque poeta illa prooemia facit dicentes. In Choephoris προλογίζει Orestes, quem in reliqua quoque fabula suas partes easque primarias agentem videmus. In Agamemnone autem et in Eumenidibus adhibetur πρόσωπον προτατικόν, quod dicitur, i. e. persona, quae in prologo tantum inducta, ubi exponendi suo munere est functa, iterum scaenam non intrat. Utraque ratione usus est Euripides, prout ei vel haec vel illa magis apta videbatur ad informandos spectatores. Quin ipsos deos fecit prologos dicentes, velut Neptunum in Troadibus, Venerem in Hippolyto, Apollinem in Alcestide, Mercurium in Ione, alios alibi. Atque huc spectat discrimen quoddam, quod intercedit inter Aeschyli Euripidisque exponendi artem. Ille enim prooemiis nihil efficere conatur, nisi ut divinent spectatores, quales nodi dramatum immineant, ut ita dicam — id quod haud scio an ex Agamemnonis prologo aptissime intelligatur —, Euripides autem, cum ipsos deos prodire iubet futurarum rerum scientes, in illis prooemiis non modo interdum aperte indicat, quemadmodum nodus mox implicetur, sed etiam qualem exitum habeat fabula; cuius rei luculentissima agnosces exempla cum in Hippolyto tum in Ione. Ubi autem mortales facit προλογίζοντας, consentaneum est talia vaticinia deesse et obscure tantum significari, quales iminineant res.

---

1) Cf. Wilamow. Orest. p. 148 „... über den verlorenen Anfang der Rede lässt sich hiernach nur sagen, dass Orestes sich selbst, den Ort der Handlung und den Pylades dem Publikum vorgestellt hat, was wir so wie so erwarten würden. Der Prolog ist von allen der euripideischen Weise am ähnlichsten."

III. De deo ex machina.

Atque quoniam de deorum personis, quas in prologis Euripides adhibuit, modo verba fecimus, fortasse e re erit, iam hoc loco breviter inquirere, quamnam rationem ingressus sit in componendis exodis, quippe quam tragoediae partem simili modo atque prologos ad certam quandam normam ab Euripide excultam esse idque ita, ut sub fine fere fabulae deo repente inducto nodum callidissime nexum non tam expediendum quam secandum curaret, vvdd. iterum iterumque monuerunt et reprehenderunt. Etenim novem [1] de duodeviginti illis fabulis, quae aetatem tulerunt, tali persona insignes sunt, ut mittam eas, quae interciderunt.

Compluribus autem muneribus deus ille ex machina in exodo tragoediae fungitur. Ac primum quidem ipsam dramatis actionem quodammodo interrumpit, ita ut subitam rerum mutationem efficiat. Cuius rei luculentissimum exemplum praebet Orestes; qua in fabula iam in eo esse videmus, ut atrocissima quaeque fiant, ut Orestes ab Electra sorore et Pylade amico adiutus Hermionam iugulet domumque regiam incendat, Menelaus vero cum satellitibus tectum oppugnet poenamque ab illis repetat: cum Phoebus apparens discordias componit, mandata edicit, futura praefatur. In Helena Theoclymenus a Dioscuris retinetur, quominus Menelaum eiusque uxorem persequatur fugientes: simillimumque Iphigeniae Tauricae esse finem vix est, quod moneam. Haud ita offendimur, si deus prodit occultas arcanasque res detectum, velut Diana Hippolyti iam fere mortui patefacit innocentiam. Ac ne desunt quidem fabulae, ubi omnibus rebus expeditis, quamvis non restet „nodus vindice dignus", prodeat ille deus, ut homines edoceat de rebus futuris seu mandata det exsequenda (cf. Suppl. Andr. El. Bacch.).

Atque haud scio an ob hanc ipsam causam tanto studio dei personam in exodo apparentem adhibuerit poeta: hoc enim si fecit, commodissime potuit eas res attingere, quae sua ipsius aetate gerebantur, atque instituta, quae eo ipso vivente vigebant, ad illius dei interventum revocare (cf. J. T. 1470 sqq. . . ἐξέσωσα δὲ *Καὶ πρίν σ' Ἀρείοις ἐν πάγοις ψήφους ἴσας Κρίνασ' Ὀρέστα· καὶ νόμισμ' ἔσται τόδε, Νικᾶν ἰσήρεις ὅστις ἂν ψήφους λάβῃ.* Ion. 1579 sqq. Suppl. 1138 sqq. Hipp. 1423 sqq.) [2]. Cuius dei ex

1) Hipp. Suppl. Andr. Ion. El. Hel. Iph. Taur. Or. Bacch.

2) Schraderus Mus. Rhen. vol. XXIII p. 105 de deo ex machina Euripideo docte disserens: „derselbe zwiefache Zweck des Dichters", inquit, „eine Art

machina haesito an iam apud Aeschylum inveniri possint vestigia; nisi quod hic dei interventum nondum exodi cancellis circumscripsit. Nonne enim in Eumenidibus videmus Palladis demum opera servari Orestem nodumque solvi paene inexplicabilem? Non in eadem fabula refertur Areopagi institutio ad deae illum interventum, id quod apud Euripidem mutatis mutandis saepius recurrere supra monuimus? Quid? In Danaidibus cum in eo est, ut Hypermestra crudelissime condemnetur, quia patre invito mariti vitae pepercit, nonne ipsam Venerem intervenisse accepimus (cf. Aesch. fr. 44), ut ne scelus perpetraretur prohiberet? [1]).

Quamquam igitur concedo multum interesse inter eos, quos Euripides exeunte fabula inducit deos, et quos Aeschylus facit intervenientes, tamen affirmaverim iam apud hunc ipsum quasi semina atque primordia illius θεοῦ ἀπὸ μηχανῆς exstare, quae tamen ab Euripide demum propagata atque exculta esse videntur.

Ex Sophocleis, quae aetatem tulerunt, fabulis una exhibet deum ex machina, Philoctetes, ubi tamen etiam aliis in rebus auctoritas Euripidea agnosci potest; nisi cum Wecklino putamus iam ab Euripide in Philocteta tragoedia dei interventum esse admissum, si non Herculis, attamen Minervae [2]).

Deinde non deerant vvdd., qui in Phaedra Sophoclea, quam tragoediam ad Euripidis Hippolyti exemplum esse compositam

---

von Ersatz für die aufgegebene trilogische Verbindung zu schaffen, das Stück also nur im Zusammenhange eines grösseren Sagenkomplexes darzustellen, und die lehrhafte Tendenz, die Unfehlbarkeit und Allweisheit des Schicksals hervorzuheben (?), haben ihn auch beim Einführen der Götter am Schlusse der J. T., der Hel. und des Ion geleitet und sind vielleicht auch bei der Einführung der Athene in den Schutzflehenden mit thätig gewesen. Die in den drei Stücken ganz am Schluss noch geschaffene Schwierigkeit ist nur zu dem Zwecke hervorgerufen, das dramatisch sonst unmotivierte Auftreten der Gottheit zu begründen; es ist keine Schwäche, im Gegenteil ein Zeichen des richtigen (?) dramatischen Gefühls des Dichters."

1) In Psychostasia vero agebatur, uter mortem occumberet Achilles an Memno: Atque hic quoque iam externa quadam vi fit nodi explicatio, idque ita, ut Iovem ipsum introducat poeta duorum heroum sortes ponderantem. Ideo Frz. V. Fritzsche „de deo ex machina" in progr. Univ. Rost. 1843/44 disputans p. 10: „Nam in Aeschyli Psychostasia Iupiter et quae prope adstabant Thetis atque Aurora, quid tandem aliud fuerunt nisi θεοὶ ἀπὸ μηχανῆς?" Equidem valde dubitanter hoc exemplum afferri velim. Quaeritur enim, utrum summa actionis in caelo versetur necne. Nisi autem dei conveniunt homines atque hoc ipso adventu in ea quae geruntur auctoritatem suam exercent, non eos appellaverim θεοὺς ἀ. μ.

2) Cf. Wecklein, Stoffe und Wirkung der griechischen Tragödie, p. 13.

Wilamowitzius docet [1]), Dianam prodisse putarent, velut Welckerus (Griech. Trag. I p. 401). Quod si ita esset, hac quoque in re agnosceres vestigia Euripidea a Sophocle pressa. Sed haud scio an merito huic fabulae deum abiudicaverit Bergkius, cum de priore Hippolyto Eur. deque Phaedra Soph. verba faciens Hist. litt. III p. 530 adn. 199 haec affirmat: „Ebensowenig wird Sophokles von den abgezogenen allegorischen Gestalten Gebrauch gemacht haben, sondern er schilderte mit grossartigen Zügen die Leidenschaft, die wie mit unwiderstehlicher Naturgewalt den Menschen ergreift, und das dunkele Verhängnis, dem keiner zu entrinnen vermag." Porro coniecit Welckerus in Tereo (cf. Gr. Tr. I p. 383) et in Meleagro (ib. p. 406) Sophoclis, quoniam non posset fieri, quin utrobique commemoraretur, quemadmodum illic Tereus Pandionidesque hic Meleagri sorores in aves essent conversi, Mercurium prodisse, ut portenta illa nuntiaret, perinde ac si non eius vicem expleret mortalis cuiusdam nuntii narratio, qui spectaculo interfuit, sic ut in Oedipo Coloneo, quid Oedipo factum sit, nuntii oratione comperiunt spectatores. Quod idem ille vir doctissimus in Ulixe, qui inscribitur ἀκανθοπλήξ, Minervam prodisse coniecit (cf. p. 248), ut „Ulixem morientem cum fato reconciliaret" — qualis scaena cui non in memoriam revocat Hippolyti finem? — profectus a Pacuviana fabula, ubi tale quid factum esse videtur, Ahrensius impugnat certis quibusdam causis commotus, ut hoc a Pacuvio novatum esse censeret (cf. Ahrens. frg. Soph. p. 299). Longum est de reliquis Sophocleis disputare fabulis, ubi Welckerus dei interventum agnoscendum esse statuit [2]).

Iam autem Schraderus in illius de deo ex machina disputationis parte priore (Rh. M. XXII 549 sqq.) monuit Welckerum in hac re modum excessisse, ita ut multo saepius quam verius Sophocli θεὸν ἀπὸ μηχανῆς assignaret.

Atque Zwirnmannus de Sophocle ut Homeri discipulo doctissime disserens [3]) „So sehen wir", inquit, „im Vergleiche zu Homer

1) ed. Hippol. p. 57 „Die Sage von Hippolytos und ihre Behandlung durch Euripides."

2) Praeterea Iphigeniam (Griech. Trag. I 109), Antenoridas (l. l. p. 170), Niobam (p. 296), Triptolemum (p. 308), Athamantes (p. 321 et 325), Phineum (p. 333), Aleadas (p. 413), Iobatem (p. 418) huc spectare censet vir doctissimus. Sed cf. Schrader, Rh. M. XXII 549.

3) Mit welchem Rechte wird Sophokles als einer der vorzüglichsten Schüler Homers bezeichnet? Rostock 1873, p. 5.

bei Sophokles überall einen vorwiegend innerlichen und eben deshalb um so wirksameren, weil dem idealen Charakter der Tragödie angemessenen Nexus zwischen Göttern und Menschen. Dagegen Aeschylus und Euripides nähern sich, zum Schaden der idealen Tragödie, in diesem Punkte allzusehr dem Epos, indem sie die Götter ebenfalls leibhaftig auftreten und unmittelbar in die Verwickelung, den Knoten schürzend oder lösend, eingreifen lassen ...“[1]).

Uterque igitur et Aeschylus et Euripides, ut trilogiis comprehenderunt longe extensam carminum epicorum materiem, ita interdum „rem tragicam secundum epici carminis legem“ solvunt et expediunt[2]).

IV. De episodiis.

Sophoclem in septem, quae aetatem tulerunt, dramatis non sine quadam constantia singula argumenta ita esse persecutum, ut fere nunquam ab oeconomiae continuo filo aberrans neque supervacaneas proferret res neque omnino tales, quae a proprio fabulae argumento averterent animos spectatorum, vvdd. iterum iterumque praedicaverunt. Tamen non deerant, qui Sophoclem non semper hac in re sibi constitisse monerent, idque non immerito, ut videtur. Nam in una illa Aiacis fabula quasi duo argumenta discerni posse negare nequimus: alterum enim versatur in caede herois, alterum pertinet ad Atridarum Teucrique altercationem de illius sepultura litigantium. Quamquam haud laxe duae partes inter se cohaerent, tamen saepius a criticis poetae crimini est datum, quod post *καταστροφήν*, si ita licet dicere, i. e. post Aiacis caedem, non properaret fabulam perducere ad finem, sed iam ad alterum nodum accederet et nectendum et solvendum. Quo vitio, si quidem hoc appellari licet vitium, posteriores Sophoclis tragoediae haud ita laborare videntur. Aeschylum, utpote qui ad eam componendi artem, quam Sophocles demum assecutus est, nondum progressus sit, vix miraris multo magis hac in re peccasse, idque etiam in recentioribus, quas progenuit, fabulis. Velut in Eumenidibus vix non dignosces duo argumenta, quorum alterum totum est in liberando Oresta,

1) Exempli causa affert Z. Eumenides Bacchasque. Quae altera fabula minus apta mihi videtur ad hanc rem demonstrandam, quia Bacchus ibi ipse per totum drama primarias agit partes.

2) A. Dühr, De deo ex machina Euripideo, Stendal 1875, p. 20 („ein tragisches Problem mit epischen Mitteln lösen“).

alterum in placandis Furiis. Atque cur talia admiserit poeta, in propatulo esse videtur. Namque in compositione trilogica, qualem Aeschylus adhibuit, apparet interdum una tragoedia nonnisi unum eumque satis amplum effici actum; poeta igitur, ut iustum expleret modum, facere non potuit, quin actionem, plus quam par erat, interdum extenderet, vel ἐπεισόδια insereret, quae non semper satis arte apteque cum propriis argumentis cohaererent [1]. Atque eius generis episodiorum exemplum afferre solent vvdd. praestantissimam illam Agamemnonis scaenam, qua Cassandra scelera olim Atridarum domi perpetrata divinat atque de sua ipsius Agamemnonisque caede auguratur. Porro Wilamowitzius monuit in Choephoris contineri satis amplam versuum seriem prorsus supervacaneam: nimirum illud carmen, quod inde a v. 315 usque ad v. 478 cantant alternis vicibus Orestes, Electra, caterva [2].

Talia etiam in posterioribus Aeschyli fabulis observari licet: multo magis vero in vetustioribus. Velut in ἐπεισοδιώδες fabularum genus non desunt qui Prometheum referant: ac primum quidem huc spectare censent totam illam scaenam, qua Io et Prometheus inter se colloquantur [3]; deinde iam illos Oceani Prometheique sermones alternos ad ipsam oeconomiam dramatis parum pertinere putant [4], ut non dicam de illa digressione, qua de Atlante et

---

1) Defendit Aeschylum hac in re Henricus Weil, Études sur le drame antique, la dramaturgie d'Eschyle, p. 24. Sed tamen rectius mihi iudicasse videtur Paulus Richter, Die Dramaturgie des Aesch., p. 270 sq. cuius en ipsius audias verba: „Bot so", inquit, „die einheitliche Trilogie den Vorteil, einen umfangreicheren Stoff, der die Schicksale mehrerer Generationen desselben Geschlechts umfassen konnte, zur Darstellung zu bringen, so konnte diese Art der Behandlung doch auch Veranlassung werden dazu, dass der Stoff, um volle drei Stücke auszufüllen, künstlich gedehnt werden musste, dass der Dichter zu Episoden seine Zuflucht nahm, wie im Agamemnon, oder Nebenhandlungen einfügte, die nicht notwendig aus der Haupthandlung erwuchsen, wie in den Eumeniden, oder dass die Handlung schleppte und nicht recht von der Stelle kam ... kurzum, dass die Handlung an Einheit, Straffheit und Geschlossenheit einbüsste."

2) Cf. Wilamow. Orestie p. 38: „Wenn es nur auf die Handlung ankäme, könnte der ganze grosse Wechselgesang, der nun folgt, fehlen: das Gebet der vereinigten Kinder an den Vater im Grabe steht in der folgenden jambischen Scene."

3) Aliter vero Weilius l. l. p. 33.

4) Quamquam apti sunt, quibus mores ingeniumque Titanis pernoscamus.

Typhoeo spectatores certiores fiunt[1]). In Septem vero duo argumenta haud satis arcte conexa esse inter se, quorum alterum versaretur in explicando fratrum interitu, alterum in liberanda Thebanorum urbe, Wilamowitzius monuit[2]). Idem vd. huius fabulae totam illam scaenam, qua Antigona et Ismena alterno carmine altera alterum prosequuntur fratrem, expungendam esse praeter ceteros censebat, cum aliis permotus momentis, tum vel eo, quod omnino esset supervacanea atque valde recederet ab oeconomia non tam dramatis, quam totius trilogiae[3]).

Sed erant etiam, qui aliter sentirent: velut Paulus Richter tam praestantia, tamque amoena inesse huic scaenae, vix ut interpolatori assignanda esset, sibi persuasit; Wecklinus vero per totum exodum agnoscebat dictionem Aeschyli propriam (praef. ad Sept. p. 11). Qui si recte iudicaverunt, iam aliud lucramur episodii exemplum idque satis luculentum.

Deinde Supplicum fabulam pro exiguitate rerum, quae hoc dramate aguntur, longius esse extentam a poeta nemo negabit. Persas denique Wilamowitzius Herm. vol. XXXII p. 382 sqq. peculiari disputatione docuit tribus actibus contineri tam laxe soluteque cohaerentibus, ut per se quisque eorum fere absolutum repraesentaret drama. Idem vd. sub fine illius de Persis dissertatione (p. 390): „Es ist zu begreifen“, inquit, „dass Euripides, als er gegen Ende seines Lebens vielfach in Rhythmen und Stoffen auf die älteste Tragödie zurückgriff, sich berechtigt glaubte, Dramen von so epeisodischem Charakter zu bauen, wie seine Phönissen.“ Quod de Phoenissis iudicium haud immerito protulisse videtur Wilamowitzius: etenim iam veteribus criticis hoc drama ob multitudinem episodiorum haud ita probatum fuisse, ex hypoth. Phoen. elucet, ubi haec leguntur: *Τὸ δρᾶμά ἐστι μὲν ταῖς σκηνικαῖς ὄψεσι καλόν, ἔστι δὲ καὶ ἐπεισοδιῶδες καὶ παραπληρωματικόν. ἥ τε ἀπὸ τῶν τειχέων Ἀντιγόνη θεωροῦσα μέρος οὐκ ἔστι δράματος*[4]), *καὶ ὑπόσπονδος Πολυνείκης οὐδενὸς ἕνεκα παραγίνεται, ὅ τε ἐπὶ πᾶσι μετ᾽ ᾠδῆς ἀδολέσχου φυγαδευόμενος Οἰδίπους προσέῤῥαπται διὰ κενῆς.*

---

1) Richter l. l. p. 54 „... Was sonst noch in der Szene gesprochen wird, ist irrelevant, namentlich die Digression über Atlas und Typhoeus, die nicht mehr als ein Lückenbüsser ist.“

2) Sitzungsb. d. Berl. Akad. 1903, p. 438.

3) Sitzungsb. d. Berl. Akad. 1903 p. 436 sqq. „Schlussszenen griechischer Dramen“ I, Der Schluss der Sieben des Aischylos.

4) Expungi hanc scaenam vult Verrall, Euripides the rationalist. num quis ei astipuletur, nescio.

Quod igitur Aeschylus admisit, seu quod eius ars nondum satis fuit exculta, seu quod materia tripertita cogebatur illo modo dramata extendere, id ipsum Phoenissarum poeta consulto fecisse videtur, ut omnes fere mythos ad suam materiem quodammodo pertinentes complexus spectatores multitudine et variatione rerum agendarum et pungeret et delectaret, licet oeconomia, quae dicitur, minueretur et spectatorum animi a proprio averterentur argumento. Quod autem ad laxum solutumque singularum scaenarum attinet nexum, haud scio an aptissime cum Persis conferri possit Troadum fabula. Quod enim vir doctissimus ille l. c. Persas tragoediam esse affirmat vix dramatis instar, sed tres tantum actus per se satis absolutos parumque inter se cohaerentes, quibus lyricis ostendatur carminibus, quemadmodum Persarum populus audito calamitatum nuntio permoveatur: id ipsum mihi quidem videtur etiam in Troades Euripidis valere, nimirum mutatis mutandis; e re igitur esse putaverim brevissime in huius fabulae argumentum inquirere, ut magis intelligamus, qualis similitudo hac in re inter Aeschyli Euripidisque componendi rationem intercedat.

Iam prologi eam partem, quae solius Neptuni orationem eiusque cum Minerva dialogum continet, internis vinculis cum insequentibus episodiis cohaerere nemo contenderit; deorum post discessum Hecuba longa monodia suum Troumque conqueritur infortunium. Auditis Hecubae querelis caterva mulierum captivarum prodit commusque orditur. Iam intrat scaenam Talthybius praeco, ut Troades adhuc inter spem et metum fluctuantes, cui quaeque Graecorum duci sorte obtigerit, edoceat, quemadmodum evenerit sortitio; Hecubam audimus Ulixi esse datam, Neoptolemo Andromacham, Polyxenam Manibus Achilleis, Cassandram Agamemnoni. Iamque missurus est Talthybius, qui Cassandram producant, cum haec ipsa vaticinandi furore stimulata ex tentorio proruit lugubrem canens hymenaeum. Deinde satis ampla oratione semel tantum a Talthybio interpellata ubi suam sortem, Agamemnonis caedem, Ulixeos errores praedixit, abducitur. Hecuba remanens in scaena suam Cassandraeque luget miseriam. Iam caterva ἐπικήδειον ᾠδὴν cantans enarrat, quae viderit in expugnanda urbe patria. Repente curru praevehitur Andromacha cum Astyanacte filio. Post carmen amoebaeum Andromacha ubi Cassandram abductam esse comperit, ipsa nuntiato Polyxenae sacrificio Hecubae aures querelis obtundit se miseriorem esse vel necata Polyxena. Dum autem Hecuba consolando eius animum sedat, iterum prodit

Talthybius, ut Andromachae filiolum eripiat, quem de muro deicere Achivi Ulixe auctore constituerunt. Multis cum plangoribus avehitur Andromacha. Hecuba dolore paene oppressa remanet. Incipit alterum stasimum, quo bis captam vastatamque esse Troianorum urbem, primum ab Hercule et Telamone, tunc alterum ab universa Graecorum gente, caterva ample explicat. Quo carmine cantato scaenam intrat Menelaus iubetque Helenam adulteram uxorem produci. In quam acerrime invehitur Hecuba. Altercatione orta Helenam culpae crimen frustra purgantem adeo refellit, ut Menelaus profiteatur domi eam necatum iri. Tertium post stasimum, quo captivae Iove accusato se suosque plangunt, redit Talthybius Astyanactis corpus in clypeo secum ferens, ut Hecubae tradat funebri vestimento ornandum. Quae ubi tristissimum hoc munus multa cum lamentatione exsecuta est, Talthybius satellitesque auferunt conduntque cadaver. Hecuba autem reliquaeque captivae ad naves abducuntur Achivorum. Dum cernitur urbis incendium redintegratum, exit fabula in commum [1]).

Iam hac argumenti explicatione satis apparere spero, Troades non tam iustam efficere tragoediam, quam contineri serie episodiorum magis minusve cohaerentium [2]), id quod de Persis affirmavit l. c. Wilamowitzius. Certe quidem concedendum est Troades multo magis actuosam esse fabulam Persis, ubi res iam actae sunt, quibus hominum praesertim animi commoventur: sed tamen etiam quae illic aguntur res, extrinsecus fiunt, ut ita dicam, atque ipsae primariae personae non agunt, sed patiuntur tantum. Ut brevi complectar: Troadum fere tota fabula versari videtur in calamitatibus nuntiandis, quae deinceps in miserrimas illas mulieres ingruunt, atque in exprimendis animis affectibusque, quibus commotae captivae singulos illos nuntios excipiunt [3]).

Quod supra de Eumenidum monuimus fabula (p. 198 sq.), duo argumenta uno eodemque dramate esse conexa, id ipsum in

1) H. Weil, Etudes sur le drame antique, formes lyriques de la tragédie grecque p. 267: le beau commos final des Troyennes est, comme celui des Perses, une lamentation sur la ruine de tout un peuple, et les gestes de désespoir y sont égalements décrits.

2) Otfr. Müller, Hist. litt. p. 613 „... nichts als einzelne bedeutungsvolle Bilder, die nacheinander aufgerollt und zur Betrachtung hingestellt werden.“ Cf. etiam H. Steiger, Philol. vol. LIX, 1900, p. 362 sqq.

3) Wilamow. de Persis: „... drei selbständige Akte, in denen sich die Wirkung der Niederlage auf das Volk der Perser im wesentlichen lyrisch darstellt, ohne doch Einheit der Handlung zu erreichen.“

Euripideis tragoediis licet observare. Cuius rei luculentissimum exemplum praebet Andromacha, quam fabulam bipartitam esse neminem fugit. In priore enim dramatis parte primas agentem facit poeta Andromacham. Totus est in explicando, quemadmodum miserrima mulier, quamvis ad Thetidis sacellum confugerit, ab Hermiona Menelaoque vexetur, donec Peleus interveniat vindex. Andromacha autem liberata, ubi primum abiit, non revertitur. Quae sequuntur, spectant cum ad Hermionam Orestemque, tum ad caedem Neoptolemi Delphis perpetratam Peleique sortem a Thetide praedictam; Andromachae vix fit mentio in hac altera parte tragoediae. Ac ne Herculis quidem fabula, etsi inter praestantissima Euripidis dramata habenda est valdeque Andromachae antecedit, tamen hoc crimine absolvi nequit [1]). Etenim hic quoque duo argumenta coniunxit poeta: quorum cum prius absolvit, id quod in liberandis Herculis liberis, uxore, patre versatur et in puniendo Lyco, quasi denuo inchoavit fabulam, altero, si ita licet dicere, prologo inserto, cum Irim Rabiemque apparentes faceret, quae heroi furorem inicerent. In hac autem tragoedia excusari potest, ut Wilamowitzius monuit [2]), quod duae partes Herculis persona, utrobique prodeuntis, inter se conectuntur, id quod in Andromacham non valet. Simili modo bipartita fuisse videtur Dictys, si quidem recte coniecerunt vvdd. bis hoc in dramate petitam esse Danaen, tum a Polydecta, tum ab Acrisio patre (cf. Wecklinum, Sitzungsb. d. bayr. Ak. d. W. 1888, p. 117).

Embolii fere instar habendam esse illam Agamemnonis scaenam, qua poeta Cassandram introduxit vaticinantem, non desunt, qui censeant. Talia embolia apud Euripidem saepius recurrunt [3]). Duobus igitur in exemplis mihi liceat acquiescere. Ac primum quidem huc pertinere putaverim illam Supplicum scaenam, qua Evadna prodit Capanei mariti nece adeo afflicta, ut in ardentem

1) Wilamow., qui, quamvis Herculis oeconomiam laudet Euripidemque a criticis defendat, tamen infitiari nequit fabulae tenorem quodammodo interrumpi, sic expedit hanc rem Heracl. ² I p. 121 adn. 17: „Dramen, die eine psychologische Entwickelung geben, haben eben eine andere Einheit als solche, die nur eine Handlung darstellen. Dagegen Andromache zerreisst wirklich und ist ein schlechtes Stück."

2) Idem valet, si Wilamowitzi admittimus explicationem, in Hecubam, quam in duas partes discissam esse G. Hermannus Praef. p. XV sqq. iudicavit.

3) Agathonem et recentioris comoediae asseclas in hac via ab Euripide munita longius processisse, vix debeo monere.

illius rogum postremo desiliat. Idem fere dicendum videtur de Orestae episodio, ubi Phrygius eunuchus prosilit longamque canit monodiam ample et verbose Helenae caedem modo exactam enarrans, donec Orestes scaenam intrat eumque minitans necem iubet silere.

Sed haec hactenus. Spero fore ut ex eis, quae supra exposui, appareat Euripidem Aeschyli exemplar secutum saepius fabulas composuisse et quae laborarent laxa remissaque singularum scaenarum coniunctione et quae praeberent res ab ipsius dramatis tenore alienas, ita tamen, ut quae Aeschylus inscius admisit vel trilogica compositione coactus, ea ab Euripide certo quodam consilio admissa esse videantur, cum in singulis fabulis quam plurima proferre spectacula studeret omnesque mythos, qui ad materiem tractandam quodammodo pertinerent, cuperet, quantum posset, complecti. Accedit, quod Euripides quoque, utpote qui et ipse interdum trilogias composuerit, velut Troicam ternionem, facile hac re permoveri potuit, ut in singulis tragoediis partium nexum minus adstringeret: ob id quoque in prologis ceterisque fabularum partibus componendis una cum Aeschylo discrepat a Sophocle.

V. De nonnullis personarum generibus.

Aeschylum non sine quodam studio etiam deos scaenam fecisse intrantes iam supra monuimus. „Atque hic quoque cernere licet aequalitatem quodammodo laesam, quoniam hominum commercio admiscentur dei eisque similes naturae“ [1]).

Velut in Promethei trilogia nemo mortalis, ni fallor, nisi Io et Hercules prodisse videntur. In Eumenidibus videmus Phoebum cum Furiis litigantem iudicante Minerva; de Veneris in Danaidibus interventu iam supra fecimus verba. Bacchi personam non dubium est, quin adhibuerit poeta in Lycurgea atque in trilogia ad Penthei caedem spectante. In Xantriis vel ipsa Iuno scaenam intravit sacerdotem mendicam simulans (cf. Aesch. fr. 168). Idem Aeschylus haud scio an non veritus sit Neptunum facere satyros convenientem in Amymona. Quid? Quod in Psychostasia ipse Iupiter adstantibus Thetide et Aurora cerni potuit? Thetis aliique dei marini saepius videntur in scaenam prodisse: illam enim in Nereidibus quoque induxit poeta et in Armorum iudicio. E nomine

1) Sic Hirzelius.

Glauci Proteique et ipsorum daemonum marinorum duas fabulas nomina duxisse iam supra commemoratum est. Divina numina minoris ordinis saepius chorum effecisse videntur velut Nereides Eumenidesque in fabulis cognominibus, Oceani filiae in Prometheo vincto, Titanes in soluto. Phorcides fuisse catervam in dramate (satyrico?) cognomine Welckerus Aesch. Tril. p. 386 coniecit, quem tamen Robertus Herm. vol. XXXVI, 1901, p. 159 sq. („Die Phorkiden") impugnat unam illarum partes egisse ratus. Plura exempla afferre longum est: iam, ni fallor, apparet multo rarius Sophoclem deorum usum esse personis. Constat enim certe tantum de Triptolemo, ubi Ceres scaenam intrabat, de Aiace, de Philocteta ad Euripidis exemplum composita, de Thamyra, si quidem hac in fabula Musae chorum effecerunt. Hac igitur in re discrimen intercedere inter Aeschylum Sophoclemque iam A. W. Schlegelius monuit, cum illius libri, quem inscripsit „Ueber dramatische Kunst und Litteratur" vol. I p. 175 haec profert: „Wie Aeschylus gern alles in die Empörungen der titanischen Urwelt hinausspielt, so scheint Sophokles sich hingegen der Göttererscheinungen nur notwendigerweise zu bedienen." Euripidem vero hac quoque in re ad Aeschyli redisse artem, quis mirabitur? Ille Furiis opposuerat Apollinem, hic Phoebum facit cum Orco altercantem. In Psychostasia Aeschyli Iuppiter apparuit una cum Thetide et Aurora Memnonis Achillisque sortes talento examinans, in Troadum prologo convenit inter Neptunum Minervamque de naufragio Achivorum. Mercurius et Minerva prodeunt in Ione, Venus et Diana in Hippolyto, Iris Lyssaque una in Hercule. In Bacchis vero ipsum Dionysum per totam fabulam primarias agentem videmus; ut brevi praecidam: Iam superstitum Euripidis fabularum plus decem dei persona non carent, nonne igitur summo iure colligi potest eorum quoque dramatum, quae aetatem non tulerunt, satis multa deum exhibuisse seu in prologo seu in exodo fabulae apparentem vel utrobique? Namque eo ab Aeschylo hac in re Euripides videtur discrepare, quod ipse deorum accessus prologi exodique finibus coercuit Baccharum tragoedia excepta: quod autem in Hercule Iris Rabiesque in media apparent fabula, eo explicatur, quod quasi denuo exorditur drama. Haec quidem similitudo, de qua inter Aeschylum Euripidemque intercedente modo fecimus verba, potius ad universum fabularum tenorem pertinet, iam vero videamus, quomodo alter ab altero in singulis dependeat.

Hesiodo duce ab Aeschylo vis roburque in personas constituta sunt. Apud eundem furor rabiesve personae naturam induisse videtur, quod inventum Euripides in Hercule sibi sumpsit [1]).

Aeschylum interdum manes larvasque mortuorum fecisse prodeuntes compluribus exemplis cognoscitur: velut notissimum est Persarum illud ἐπεισόδιον, ubi caterva apud Darei sepulcrum deos obtestatur inferos, donec in lucem emittant regis defuncti animam. Haud secus argumentum Ψυχαγωγῶν ad mortuorum animas ex inferis eliciendas spectasse apparet. Simile quid Eumenidum in prologo adhibuit poeta, cum Clytaemestrae larvam quasi ex Orco emergentem induxit. Huiusmodi spectaculis oculos animosque spectatorum captos esse et permotos quis est, qui neget? Atque haud scio an hac in re etiam Sophocles Aeschyli presserit vestigia, cum in Polyxena Achillis animam fecit apparentem (... ὡς καὶ Σοφοκλῆς ἐν Πολυξένῃ τὴν Ἀχιλλέως ψυχὴν εἰσάγει κτλ. Soph. fr. 480). Eodem fortasse referendum est, quod Euripides in Hecuba προλογίζουσαν fecit interempti Polydori animam. Ac ne ψυχαγωγίαν quidem defuisse in Euripideis fabulis e fr. inc. 912 elucet [2]). Talia autem non modo tragicos poetas sibi sumpsisse — quibus hac in re Homerum praeivisse vix debeo monere — sed etiam comicos satis apparet ex Pagis Eupolidea.

Deinde vero alius quoque generis personae ab utrisque poetis et tragicis et comicis item libentissime adhibebantur: barbaros dico. Quibus introducendis Aeschylum imprimis indulsisse, volgata res est. Velut Persarum fabula iam ideo insignis est, quod apud barbaros agi intelligenda est. Sermonem tamen illum balbum, informem, obscurum, qui eorum proprius est barbarorum, quos comici producebant, tragicos iam ideo nequisse adhibere, risum ne moverent, in propatulo est. Sed tamen peregrinum quodammodo sonum etiam apud Aeschylum illorum dictio praebet ideo, quod poeta cum diverbiis tum canticis inseruit certas quasdam voces, si non omnino a Graecorum lingua abhorrentes, attamen satis obscuras obsoletasque, interdum etiam tales, quae e barbarorum sermone haustae Graecas induerant terminationes. Quo spectant Persarum illa βαλλήν (657), ἰωά (1070), ὀᾶ (116, 122 etc.), βᾶρις (554, 1075), Δαριάν (664,

1) Cf. Aesch. fr. 169. Quin ipsa prodierit Lyssa, in dubium vocant Dörpfeld et Reisch p. 219 (cf. G. Haupt, comment. archaeol. in Aesch. in Diss. Hal. XIII 152).

2) Cf. Wilamow. comment. de fr. trag. p. 17.

671) aliaque[1]) id genus, ut mittam ingentem copiam nominum Persicorum. Praeterea catervae barbarum tribuit morem, cum choreutas facit Persarum ritu reginam ita salutantes, ut humi procumbentes illam venerentur (cf. 152 *βασίλεια δ' ἐμὴ προσπί τνωμεν*).

De Supplicibus vero non omnino recte iudicasse mihi videtur Schlegelius, quod. l. l. p. 159 „Aeschylus“, inquit, „legt ein grosses Gewicht auf die ausländische Stammesart der Danaiden, doch bezeugt er sie nur von ihnen, ohne den fremden Charakter in ihren Reden selbst erkennen zu lassen.“ Etenim eo consilio putaverim nonnullas obsoletas voces huic quoque fabulae insertas esse a poeta, ut sermo mulierum quodammodo barbariem redoleret, velut *βοῦνιν*[2]) (118) et commi illa *μᾶ Γᾶ, μᾶ Γᾶ … ὦ βᾶ, Γᾶς παῖ, Ζεῦ* (900 sq.), quibus tamen „naturalibus vocibus“ poetam „usum esse, eo consilio, ut antiquitatis cuiusdam colorem verbis impertiret“ Paulus Schwarz „de ephymn. ap. Aesch. usu“, p. 21 mavult[3]). Sed licet in catervae carminibus talia ne agnoveris, tamen concedes Aegyptii praeconis verba haud alia causa tam graviter corrupta ad nos pervenisse, nisi propter insolentiam vocum, quas poeta adhibuit, ut illum tamquam barbarum significaret[4]). Atque fortasse in eis quoque tragoediis, quae cum Supplicibus trilogiae nexu coniunctae erant, similia possent inveniri, si modo aetatem tulissent.

Ac ne apud Sophoclem quidem talia desunt. Etenim pastores, qui chorum efficiebant in cognomine fabula, tamquam Phryges quodammodo denotati fuisse videntur ipso sermone, ut apparet e glossematis ex hac fabula desumptis (cf. fr. 472 *ἰὼ βαλλήν*, fr. 474

1) Cf. praef. Pers. ed. Weckl. Teuff. p. 11; conferatur etiam Timothei *Νόμος*, ubi item Phrygium habemus Graece balbutientem (*Ἰάονα γλῶσσαν*) 162 sqq. (Wilamow. p. 42 sqq.)

2) Cf. Suppl. ed. Weckl. p. 37 v. 123 sqq. „ . . . Für die Zuhörer des Aeschylos konnte deshalb *βοῦνις* ebenso als Fremdwort gelten wie *βᾶρις* 849. Daher *καρβᾶνα δ' αὐδὰν εὖ, γᾶ, κοννεῖς*, Schol. *ὦ γῆ, νοεῖς καὶ τὴν βάρβαρον φωνήν*.

3) Wilamow. Herm. vol. XXI „Die Bühne des Aischylos“, p. 609, adn. 1 „. . . Das Drama spielt zu den Zeiten des Pelasgos Palaichthons Sohn, und wie das Barbarische mit feinen Pinselstrichen aufgetragen ist, so sollen wir überall den Erdgeruch der Urzeit spüren.“

4) Quin etiam voces vere Aegyptiacas loco illo conclamatissimo a caduceatore pronuntiato inesse sibi persuaserunt I. H. Schmidt, Eurythmia p. 306 et Oberdick, ed. Suppl. p. 198.

βαρίβας, fr. 475 *Γραῖκες κτλ.*)[1]). Similia in Troili quoque recurrunt fragmentis. Iam quaeramus de Euripide, cuius e fabulis in censum veniunt Phoenissae, Orestes, Bacchae.

Ac primum quidem Phoenissarum catervam nescio quam insolitam speciem praebuisse elucet Polynicis verbis

ξέναι γυναῖκες, εἴπατ' ἐκ ποίας πάτρας
Ἑλληνικοῖσι δώμασιν πελάζετε; (278 sq.)

Obsoletas tamen insolitasve voces, quales Aeschylus eumque secutus Sophocles adhibuerunt, Euripides non admisit. Quo magis miramur Iocastam v. 301 affirmare se *Φοίνισσαν βοὰν* audisse ipsamque catervam talia de se edicere (679 sqq. *ἐκάλεσ' ἐκάλεσα βαρβάρῳ βοᾷ κτλ.*), nisi quidem putamus melodiis peregrinum aliquid a poeta insertum esse. Aperte autem barbarorum ritum agnoscis v. 293 sqq., quibus princeps catervae se punico more Polynici supplicare affirmat (*γονυπετεῖς ἕδρας προσπίτνω σ', ἄναξ, Τὸν οἴκοθεν νόμον σέβουσα*). Similiter res se habet in Bacchis: hic enim mulieres, e quibus chorus constat, a deo appellantur *γυναῖκες, ἃς ἐκ βαρβάρων* (56) *Ἐκόμισα παρέδρους καὶ συνεμπόρους ἐμοί.* Ne in harum quidem canticis obscurum invenies glossema. Rhythmo autem utuntur praecipue ionico. Barbarorum vero ritus significatur eo, quod mulieres illae, ubi senserunt solum concuti, arcem regiam labefieri, ignem exardescere, timore admodum perculsae in solum se coniciunt (cf. 600 sq. *δίκετε πεδόσε δίκετε τρομερὰ Σώματα, Μαινάδες* et 604 sq. *βάρβαροι γυναῖκες, οὕτως ἐκπεπληγμέναι φόβῳ Πρὸς πέδῳ πεπτώκατ'; . . .*). Cui in hisce locis considerandis non in mentem venit Persarum catervae, quam qui efficiunt senes simili modo se prosternunt adventante regis matre? [2]).

Restat tertius locus, ubi barbarum poeta fecit prodeuntem vel potius prosilientem, in Oresta (*Ἀργεῖον ξίφος ἐκ θανάτου πέφευγα βαρβάροις εὐμάρισιν . . . βαρβάροισι δρασμοῖς* 1369 sqq.). At hic quoque in tota Phrygis monodia frustra insolitam quaeres vocem, quamvis ipse dicat se cantaturum esse *μέλος βαρβάρῳ βοᾷ*, ita ut eum *Φρυγιστί* cecinisse intelligendum sit. Redit autem illa *προσκύνησις* v. 1507: *προσκυνῶ σ' ἄναξ νόμοισι βαρβάροισι προσπίτνων.* Iam cooritur quaestio, curnam Euripides Aeschyli

1) G. Hermannus vero Philol. II p. 135 „fabula", inquit, „ex illo genere fuit, quod satyrorum locum tenebat."

2) Cf. Weckl. Bacch. ed. comment. instr. v. 602.

exemplum secutus eius generis homines scaenam fecerit intrantes: apud hunc enim in ipsis fabularum argumentis positum esse apparet, quod barbaros introduxit. Idemque videtur in Sophocleas, quae quidem hic in censum veniant, fabulas convenire. Contra quam longe arcessita est Phoenissarum caterva, inter quas Thebanasque res quales intercedant necessitudines vix potest intelligi, sic ut inde a v. 202 viginti quattuor versus explere debuerit poeta explicans, quae unde cur illae mulieres Thebas venerint! Eodem modo submirum videtur, quod Bacchus prodit a barbaris stipatus mulieribus, quas secum duxit inde ex Asiae quadam regione satis remota: quamquam hic putari licet poetam eo respexisse, quod Bacchi cultus admodum lascivus ex Oriente demum in Graeciam pervenisse videretur. Phrygis personam vero adeo supervacaneam esse, ut paene ridicula possit appellari, nemo negabit. Fortasse igitur haec omnia ad scaenicum, ut ita dicam, spectabant effectum. Namque ab hoc Euripidem adeo non abhorruisse, ut contra, quantum posset, adhiberet, satis videtur constare. Quin haud scio an huc quoque pertineat, quod poeta tam saepe deorum usus est personis: neque enim solum dramatum oeconomiae causa eos iussit prodire, sed etiam ut magnifico quodam habitu et splendore formae spectatorum caperet oculos. Sed hac de re paulo infra erit disputandum.

VI. De tectis apud tragicos significationibus.

Antiquissimorum tragicorum fuisse res sua ipsorum aetate gestas in fabulis non modo tecte attingere, sed etiam tota dramata his rebus tractandis explere Phrynichi Aeschylique exemplis satis perspicitur: Phrynichum enim, cum expugnatione Mileti tragice pertractata omnibus, qui spectabant, movisset lacrimas, pecunia satis magna multatum esse, quia publicas miserias Atheniensibus in memoriam revocasset, quis est, quin sciat? Idem fertur victoriam Salaminiam propria celebrasse tragoedia, quam Phoenissas appellavit, huiusque fabulae ad exemplum ab Aeschylo compositam esse Persas Glaucus Rheginus auctor est (cf. hyp. ad Aesch. Pers.). Atque recentiores demum vvdd. iure sibi videbantur statuere Aeschylum Phrynichi impugnandi causa hanc tragoediam composuisse idque ita, ut, cum Phrynichus totus fuisset in celebrando Themistocle, ipse Aeschylus laudibus efferret, quae Aristides bene meritus esset Persis Psyttaleam insulam tenentibus occisis. Qua

de re etsi multa futilia prolata sunt — explosit ea praeter ceteros Wilamowitzius, Herm. vol. XXXII p. 392, adn. 1 —, tamen nemo negabit Aeschylum non sine quodam studio terrestrium quoque copiarum merita laudasse, cum tam ample explicaret illud proelium Psyttaleae commissum [1]) quamvis exiguum pro ipsa navali pugna; neque deerant, qui putarent ab Aeschylo illud de pugna Plataeensi vaticinium Darei orationi eo consilio esse insertum, ut Athenienses monerentur, ne prae victoria navali minoris aestimarent copiarum terrestrium vim (cf. Teuffel-Wecklein, praef. ad Pers. p. 6). Quod vvdd. utrum merito contenderint necne, hoc loco inquirere longum est. Firmatur autem eorum sententia etiam aliis locis, quibus poetam consilia dare ad rem publicam gerendam pertinentia vix quisquam infitiabitur. Velut et notissimum et luculentissimum praebet exemplum Eumenidum fabula, qua poeta Areopagi auctoritatem, cuius potestatem Ephialtes lege lata imminuebat vel fortasse iam imminuerat, civibus ut commendaret, valde operam dedisse videtur [2]). Praeterea e verbis Minervae: *σὺ δ' ἐν τόποισι τοῖς ἐμοῖσι μὴ βάλῃς, Μήθ' αἱματηρὰς θηγάνας κτλ.* (858 sqq.) Aeschylum timuisse de imminente bello civili (cf. *Ἄρη ἐμφύλιον* v. 862 sq.) non deerat, qui colligeret, isque vir doctissimus: Grotius („Gesch. Griechenlands" vert. Meisterus, vol. III p. 285). Verum enim vero Dindorfius eumque secutus Wecklinus totam illam versuum seriem expungendam statuerunt tamqum „a loquacissimo interpolatore confictam" [3]), ut non dicam de Guetzlaffio, qui peculiari dissertatione [4]) id praecipue egit, ut Aeschylo tales significationes abiudicaret. Henricus Weil reiecto ferro leniorem atque, ut mihi videtur, hoc loco aptiorem transponendi medelam adhibuit conclamatos illos versus post v. 912 inserens, sic ut crimen interrupti sententiarum conexus non iam remaneat, nedum de loquacitate dici possit. Wecklinum inprimis offenderat, quod nimis aperte ad rem publicam illi versus spectarent. Sed ita si ratiocinamur, item excludendi essent vv. 289 sqq., quibus a poeta tactam esse societatem Atheniensibus tunc cum Argivis intercedentem in propatulo est;

1) Cf. Otfr. Müller, Eum. p. 120.

2) O. Müller l. l. p. 115 sqq.; Schömann, Eum. p. 49.

3) Wecklinus „Die Verse 860—868", inquit, „unterbrechen den Zusammenhang. Die stark hervortretende politische Tendenz und der manierierte Stil (?) kennzeichnen sie als Interpolation."

4) Quaestionum de tragicis res gestas sui temporis respicientibus epicrisis. Hal. Sax. 1865.

nam quantopere quis illo offendatur loco, haud scio an e Richteri verbis optime intelligatur l. c. p. 289 sic disputantis:

„... Dieser Gedanke ist ausserordentlich störend; nicht nur weil wir viel eher einen Hinweis darauf erwarten, dass er (scil. Orestes) im Bewusstsein einer heiligen Pflicht gehandelt, und uns nun durch einen so kleinlichen Gedanken enttäuscht fühlen, sondern auch weil wir die politische Nebenabsicht, die Hindeutung auf das zwischen Athen und Argos bestehende Bündnis, gar zu sehr merken und dadurch verstimmt werden ...“

Nemo tamen, ni fallor, illos expunxit versus. Dein coniecit Weilius vv. 667—673 „post Aeschyli mortem quum haec fabula reponeretur additos esse“ idemque sensit Dindorfius de vv. 767—774, quoniam utrobique illius cum Argivis foederis nimis aperte et loquaciter haberetur ratio. Quamquam facere non possum, quin aliter iudicem utroque de loco.

Iam quod ad Septem fabulam attinet, Odofredus Mueller l. l. p. 120 sub Amphiarai persona intelligendum esse putabat Aristidem, quippe qui re vera haud aliter contrarius fuisset Themistocli asseclis, quibuscum tamen in una eademque re publica versaretur gerenda, atque Amphiaraus in Aeschylea fabula ceteris Argivorum exercitus ducibus. Notissimum vero illum versum: *οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος ἀλλ' εἶναι θέλει* (592) certo consilio a poeta esse factum, ut Aristidem laude decoraret, haud pauci sibi persuaserunt profecti a narratiuncula quam Plutarchus dedit in vit. Aristid. c. III. Alii denique v. 1044: *τραχύς γε μέντοι δῆμος ἐκφυγὼν κακά* ab Aeschylo compositum esse existimabant ad mores populi Atheniensium denotandos, quippe qui Persis tanta gloria devictis in dies se praeberet et insolentiorem et arrogantiorem.

Quas necessitudines Aeschylus consultone inseruerit huic fabulae, quis poterit diiudicare? Utut haec res se habet, tamen nemo negabit tam arte tamque apte illas significationes cum ipso argumento dramatis cohaerere, vix ut quemquam offendant, id quod de Eumenidibus non potest dici. Porro in Prometheo vvdd. talia invenisse sibi videntur, quae ad res ipsius poetae temporibus actas referenda esse putent; velut vv. 367 sqq. Aeschylum respexisse censent ad eruptionem Aetnaeam Ol. 75, 2 factam[1]).

1) Cf. Christ, Der Aetna in der griech. Poesie. Sitzungsb. d. Münch. Ak. 1888, p. 376.

In eis vero versibus, quibus caterva proditionem denotat tamquam morbum maxime abominandum (cf. 1068 sqq.), perstringi volunt a poeta nescio quod perfidum facinus [1]), ut mittam opinionem eorum, qui Iovis in hoc dramate duram acerbamque in inimicum voluntatem ad exemplum Siculorum cuiusdam tyranni fictam esse putant [2]). Atque etiam in Supplicibus agnoscebant cum alii vvdd. tum Odofredus Mueller tectas significationes ad societatem Atheniensibus cum Argivis ineundam spectantes, ideoque fabulam circa annum 461 doctam esse coniecerunt. Verum enim vero non deerant, qui certissimis nixi argumentis Supplices adeo non illo tempore, quo Muellerus aliique censebant, scaenae esse commissam demonstrarent, ut contra inter antiquissimas Aeschyli fabulas haberi deberet. Quae cum ita sint, actum esse de Supplicum significationibus vix est, cur moneam [3]); nobisque acquiescendum est in Persis, Prometheo, Septem, Eumenidibus. De Sophocle hac in re vvdd. alii aliter sensere. Ab altera enim parte fuerunt, qui eius fabulas huiusmodi significationibus scatere putarent, velut Schoellius [4]), quem tamen interdum satis mira atque inania de hac quaestione protulisse vvdd. inter se consentiunt; ab altera autem parte ei, qui omnes id genus de Sophocle coniecturas vanas aestimarent atque absurdas, ut Schneidewinus [5]) Lehrsiusque [6]). Neque deerat, qui mediam tenuit viam: Kolsterus in Sophokl. Stud. part. V p. 114 sqq. „Ob Sophokles Anspielungen auf die Zeitgeschichte kennt?“ Putabat enim Sophocleas fabulas statui et condicionibus rei publicae quodammodo adaptatas fuisse: velut Philoctetam eo consilio esse compositam, ut civium factionibus tunc valde inter se discrepantium concordia commendaretur; porro Antigonam spectasse ad crudelitatem, qua usque ad illud tempus Graeci usi essent in bello adversus necatorum hostium corpora (cf. l. l. p. 131), atque factum esse hoc dramate, ut inde talia non iam admitterentur. Praeterea autem Kolsterus una cum multis aliis viris doctis

1) Jul. Caesar, Der Prom. des Aesch., p. 11: „Die Geisselung des Verrats in den letzten Worten des Chors mag einen bestimmten Fall im Auge haben, aber welchen, ist zu ungewiss usw.“

2) Caesar l. c. p. 10.

3) Wilamow. Herm. vol. XXI p. 608 adn. 1 eas appellat „eitel Wind.“

4) Schoell, Sophocles' Leben, p. 136; contra cf. Kolsterum, Sophokl. Stud., p. 119 et Gützlaffium l. l. p. 22 adn.

5) Ueber die Trach. des Soph., Gött. 1854, p. 37.

6) Lehrs, Populäre Aufsätze usw. [2] p. 69.

singulos quoque dramatum locos ad res tunc vere gestas revocavit: velut in Oedipo Rege poetam respexisse sibi persuasit ad pestilentiam illam, quam circa annum 430 per Atheniensium urbem grassatam esse accepimus [1]. Deinde in Electra narratione illa a paedagogo, ut Orestem defunctum esse simularet, conficta calamitatem re vera nescio quo in curriculo factam depingi, eiusdemque fabulae vv. 62 sqq.:

ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς
λόγῳ μάτην θνῄσκοντας· εἶθ᾽, ὅταν δόμους
ἔλθωσιν αὖθις, ἐκτετίμηνται πλέον

spectare ad aliquos Athenienses, qui cum in exilio incerta morte perisse putarentur, praeter opinionem revertissent (l. l. p. 140 sq. [2]).

Quae etsi concedimus Kolstero, tamen nullo modo affirmari potest Sophoclem hisce significationibus ita indulsisse, ut scaenam fictam violaret: immo vero haec omnia tam latenter proferuntur tamque apte ipsi argumento inserta sunt, ut nisi curiosissimo cuique conspicua non fiant, qui tamen ipse in dubio versetur, ad quodnam revocanda sint factum. Iam autem Kolsterus concessit, ut ipsius utar verbis: „dass Sophokles strenger und zurückhaltender gewesen sei in diesem Brauche, als Aeschylus und Euripides" [3]).

Proinde iam videamus de Euripide. Fabulas re vera historicas, ut ita dicam, quales composuerunt Phrynichus et Aeschylus, ille quidem non progenuit, tamen „ad Aeschyli exemplum (videtur enim Sophocles ab hoc more semper abstinuisse) civium animos permovere studuit fabulis ita dispositis ut res publica Atheniensium agi videretur consiliaque dari praesenti rerum statui convenientia" [4]). Euripides igitur huiusmodi in fabulis quasi

1) Cf. Droysen, Kleine Schriften, II p. 83.

2) Aliter accipit locum Dieterich, Nekyia, p. 133: „Dass damals schon von pythagoreischer Hadeslitteratur in Athen Kenntnis vorhanden war, scheinen mir die Verse des Sophokles in der Elektra zu beweisen (62 ff.) . . . Gerade auch der Ausdruck *οἱ σοφοί* weist auf Orphiker-Pythagoreer hin . . .

3) Apparet me non omnia Sophoclis id genus exempla affere potuisse. Mores Menelai adumbrari, quasi sit Spartanus, Lobeckius ad Ai. 1127 monet. cf. etiam P. Corssen, Die Antigone des Sophokles, p. 44 sqq.; Albert Mayr, Ueber Tendenz und Abfassung des Soph. Oed. auf Kolon., in Comment. Monacens. p. 160 sqq. (1891); Wecklein, Berl. Philol. Wochenschr. 1892, No. 40, p. 1255. Quibus opponit Wilamow. Herm. vol. XXXIV p. 59: „Es ist auf das schärfste zu sagen, dass keine sophokleische Tragödie eine unmittelbare Beziehung auf ein Faktum der Gegenwart enthält — auch nicht der Oedipus auf Kolonos."

4) Wilamow. An. Eur. p. 179.

mythum cum rebus vere gestis coniungens multo propius ad Aeschylum accessit Sophocle. Atque hac in re veniunt praecipue in censum Heraclidae[1]), Erechtheus, Supplices, Ion, utpote quas tragoedias ad laudandos celebrandosque Athenienses compositas esse satis constat. Dixerit quispiam etiam a Sophocle huiusmodi ἐγκώμιον Athenarum esse conscriptum, Oedipum Coloneum, quippe cuius fabulae in hypothesi leguntur haec: ὃ καὶ ἤδη γεγηρακὼς ὁ Σοφοκλῆς ἐποίησε, χαριζόμενος οὐ μόνον τῇ πατρίδι, ἀλλὰ καὶ τῷ ἑαυτοῦ δήμῳ· ἦν γὰρ Κολωνῆθεν· ὥστε τὸν μὲν δῆμον ἐπίσημον ἐπιδεῖξαι, χαρίσασθαι καὶ τὰ μέγιστα τοῖς Ἀθηναίοις, δι' ὧν ἀπορθήτους ἔσεσθαι καὶ τῶν ἐχθρῶν αὐτοὺς κρατήσειν ὑποτίθεται ὁ Οἰδίπους κτλ. At quantum interest inter Sophoclis Euripidisque patriae celebrandae rationem! Ille mollissimo carmine amoenitatem pagi Colonei celebrat laudibusque effert imprimis oleas equosque, quae ab ipsis deis Atticae terrae incolis procreata esse praedicat. Hic vero Athenienses e divina stirpe oriundos esse fingit, cum ex Ione Apollinis filio progenitos esse narrat (cf. Ion. 1575 sqq.). In Supplicibus, ubi totus est in humanitate Atheniensium celebranda, a tradito mytho deflectens populares adeo pietatem facit colentes, ut bellum inferant Thebanis victosque cogant mortuorum corpora adhuc retenta reddere. Ipsorum autem Thebanorum πόλιν σκοτεινὰ πράσσουσαν satis aperte perstrinxit eadem illa fabula eo respiciens, quod Thebani post proelium apud Delium commissum abnuerant caesorum Atheniensium corpora suis permittere (cf. Thuc. IV 97 sqq.). Iam Aeschylum vidimus nonnullis Eumenidum locis attigisse necessitudinem, quae tunc inter Athenienses Argivosque intercedebat; tale quid etiam apud Euripidem in Supplicibus invenitur, qui tamen etiam apertius, quam ille fecerat, foederis paulo ante cum Argivis icti rationem habuit: namque argumento peracto facit Minervam prodeuntem Theseoque imperantem, ut Adrastum, Argivorum ducem, revocet iam discessurum atque foedere icto obstringat, ne umquam desinant neu ipse neu posteri cum Atheniensibus in societate permanere. Poetam autem interdum valde ex tempore fictae excidisse scaenae satis elucet e Supplicum illo episodio, quo Theseum disputantem facit cum Thebanorum caduceatore: fingit enim Euripides iam Thesei temporibus a regis dominatione in libertatem populi vin-

1) Wilamow. An. Eur. p. 152; idem in comment. de Eur. Heraclid. p. 14 sq.

dicatam esse rem publicam Atheniensium: ... *οὐ γὰρ ἄρχεται Ἑνὸς πρὸς ἀνδρός, ἀλλ' ἐλευθέρα πόλις Δῆμος δ' ἀνάσσει διαδοχαῖσιν ἐν μέρει Ἐνιαυσίοισιν, οὐχὶ τῷ πλουτῷ διδοὺς Τὸ πλεῖστον, ἀλλὰ χὠ πένης ἔχων ἴσον* (Suppl. 405 sqq.). Item non quid Theseus, sed quid ipse poeta senserit de rei publicae tribus ordinibus, tibi videris audire, cum ille dicit 238 sqq.: *τρεῖς γὰρ πολιτῶν μερίδες· οἱ μὲν ὄλβιοι Ἀνωφελεῖς τε πλειόνων τ' ἔρως ἀεὶ κτλ.*

Neque minus Supplicibus videtur Erechthei fabula laudes Athenarum prae se tulisse, quas ideo Wilamowitzius An. Eur. p. 174 una in scaenam commissas esse coniecit. Certe suavissimi auditu erant spectatoribus illi versus, quibus „victores celebrantur Athenienses de hostibus, qui in agros Atticos inruperunt et pax recuperata canitur“:

κείσθω δόρυ μοι μίτον ἀμφιπλέκειν ἀράχναις,
μετὰ δ' ἡσυχίας πολιῷ γηρᾷ συνοικοίην κτλ. (fr. 369),

imprimis si consideramus paulo ante Nicia auctore re vera ab Atheniensibus cum Lacedaemoniis pacem esse factam [1]).

Andromachae vero fabulam, quamquam neque ad Athenarum laudes spectat, neque Athenis scaenae commissa esse videtur, tamen praecipue politicis, ut ita dicam, studiis inservisse, cum „certo consilio scripta“ esset, „ut in Argivis odia contra Spartanos excitaret“, sine ulla dubitatione concedes Wilamowitzio, modo consideraveris, quibusnam conviciis cumuletur non tam Menelaus, quam universus Lacedaemoniorum populus:

ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν
Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια,
ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν,
ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιές, ἀλλὰ πᾶν πέριξ
φρονοῦντες, ἀδίκως εὐτυχεῖτ' ἀν' Ἑλλάδα κτλ. (445 sqq.).

Atque in hoc quoque dramate poetam licet deprehendere in temporum rationem peccantem, cum Peleum in mores virginum Lacaenarum acerrime invehentem facit sic:

... οὐδ' ἂν εἰ βούλοιτό τις
σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη,
αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους
γυμνοῖσι μηροῖς καὶ πέπλοις ἀνειμένοις
δρόμους παλαίστρας τ' οὐκ ἀνασχετοὺς ἐμοὶ
κοινὰς ἔχουσι (595 sqq.),

---

1) Cf. Ribbeck, Reden u. Vorträge, Euripides und seine Zeit, p. 186.

catervamque fingit rei publicae Lacedaemoniorum illudentem a binis regibus temperatae:

οὐδὲ γὰρ ἐν πόλεσι
δίπτυχοι τυραννίδες
μιᾶς ἀμείνονες φέρειν,
ἄχθος τ' ἐπ' ἄχθει καὶ στάσις πολίταις . . . (471 sqq.).

Has omnes fabulas, de quibus modo verba fecimus Wilamowitzius cum aliis de causis tum ideo, quod praecipue in rebus publicis et in laude Athenarum versentur, certae cuidam Euripidis aetati assignat, annis 430—416. Ac ne ea quidem dramata, quae vel ante vel post quindecim illos annos docta esse aut constat aut verisimile est, carent eiusmodi significationibus. Velut iam Ribbeckius (l. c. p. 172) monuit poetam Medeae illis versibus:

ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί,
καὶ δίκα καὶ πάντα πάλιν στρέφεται.
ἀνδράσι μὲν δόλιαι βουλαί, θεῶν δ'
οὐκέτι πίστις ἄραρε . . . (410 sqq.)
βέβακε δ' ὅρκων χάρις, οὐδ' ἔτ' αἰδὼς
Ἑλλάδι τᾷ μεγάλᾳ μένει, αἰθερία δ' ἀνέπτα (439 sqq.)

non tam ad Iasonem respexisse, quam denotasse perfidiam depravationemque morum, quas ineunte bello Peloponnesiaco per totam Graeciam obtinuisse Thucydides III 82 sqq. auctor est. Idem ille vir doctissimus sagacissime coniecit Dict. fr. 347 (εἰ δ' ἦσθα μὴ κάκιστος κτλ.) eos Athenienses castigari esse putandum, qui Lacedaemoniorum mores institutaque nimis admirati suam ipsorum rem publicam admodum aversarentur.

Neque minus poeta in eis tragoediis, quae post annum 416 collocandae sunt, tectis indulsit significationibus. Quod optime cognoscitur e Troadum vv. 197 sqq., quibus non tam captivarum mulierum, quam spectatorum Atheniensium vel potius Euripidis poetae voluntates explicentur [1]). Ornabant enim illi vere anni 415, ut in Siciliam traicerent, „classem, qualem mare alteram non vidit“ [2]). En habes, cur in Aetnaeam terram avehi cupiant Troades (καὶ τὰν Αἰτναίαν Ἡφαίστου Φοινίκας ἀντήρη χώραν, Σικελῶν

1) Cf. Planck, De didasc. Tro. p. 8 sqq., quem in singulis emendat Hugo Steiger Philol. vol. LIX, 1900, p. 362 sqq. „Warum schrieb Euripides seine Troerinnen?“

2) Magnis enim Dionysiis in scaenam esse commissam Troicam ternionem probavit Steigerus l. l. p. 365, Planckium impugnans, qui p. 7 sq. statuit Dionysiis κατ' ἀγρούς, quae vocantur, in Piraeo eam doctam esse.

ὀρέων ματέρ᾽, ἀκούω Καρύσσεσθαι στεφάνοις ἀρετᾶς. (220 sqq.)[1]. Poetae vero patriae amantissimi est, quod captivas facit maxime desiderantes, ut Athenas perveniant (*τὰν κλεινὰν εἴθ᾽ ἔλθοιμεν Θησέως εὐδαίμονα χώραν* 207 sqq.), valdeque abominantes Lacedaemonem (*μὴ γὰρ δὴ δίναν γ᾽ Εὐρώτα, Τὰν ἐχθίσταν θεράπναν Ἑλένας, Ἔνθ᾽ ἀντάσω Μενέλᾳ δούλα, τῷ τᾶς Τροίας πορθητᾷ* 210 sqq.). Porro in eis, quae sequuntur, agnoscunt vvdd. laudes Thessalorum (*τὰν Πηνειοῦ σεμνὰν χώραν κτλ.* 214 sqq.), quorum amicitiam tunc ipsum praecipue ab Atheniensibus cultam esse putandum sit. Cur autem Crathis fluvius et qui eum accolunt (cf. 228 sqq.) a captivis praedicetur, intelleges dummodo Thurios Atheniensium coloniam fuisse consideraveris[2]).

Ad eiusdem illius classis in Siciliam profectae infortunium summo iure referunt vvdd. ea, quae Dioscuri sub fine Electrae fabulae proferunt ab ipso argumento alienissima:

νὼ δ᾽ ἐπὶ πόντον Σικελὸν σπουδῇ
σώσοντε νεῶν πρῴρας ἐνάλους. (El. 1347 sq.)

Iam ab Aeschylo insignes re publica gerenda viros tecte denotatos esse vvdd. haud incredibile aestimant, ut suo loco monuimus de Septem verba facientes: cuius generis significationes apud Euripidem non defuisse vel maiore iure censeri potest: velut in Oresta vvdd. sub quibusdam personis intellegunt certos homines, qui poetae aetate rei publicae gerendae operam navaverunt: Talthybium enim praeconem illum satis ambiguum (cf. Or. 888 sqq.) Therameni *τῷ κοθόρνῳ*, peregrinum *ἀθυρόγλωσσον* (cf. Or. 903) Cleophonti assimilatum esse iudicant. Dein ad Niciam hominem admodum superstitiosum, quem sacerdotibus obsecutum per ter novenos dies multis cum detrimentis Atheniensium inducias conservasse Thucydides VII 50 auctor est, non sine probabilitate referunt

Hel. v. 744 sqq. . . . *ἀλλά τοι τὰ μάντεων*
ἐσεῖδον ὡς φαῦλ᾽ ἐστὶ καὶ ψευδῶν πλέα.
οὐκ ἦν ἄρ᾽ ὑγιὲς οὐδὲν ἐμπύρου φλογὸς
οὐδὲ πτερωτῶν φθέγματ᾽· εὔηθες δέ τοι
τὸ καὶ δοκεῖν ὄρνιθας ὠφελεῖν βροτούς κτλ.[3]).

1) Planckius in his poetam respexisse putat eo, quod tunc Atheniensium classis haud procul ab Aetnae montis radicibus ancoris teneretur, quod tamen impugnat Steigerus l. l. p. 364 adn.

2) Planckius p. 9 eo spectare putat, quod Atheniensium classis praetervehens a Thurinis cum benevolentia accepta adiutaque sit (cf. Diod. XIII 3), qua de opinione Steigerus p. 364 adn. disputat.

3) Cf. Ribbeck l. l. p. 168.

Sed haec attulisse satis est. Euripides quidem illam viam ab antiquioribus tragicis designatam, ubi primum ingressus est, etiam longius processit illis, ita ut non modo rei publicae causa scaenam fictam excederet, sed etiam fere *παράβασιν* adhibens non iam catervae, sed suas ipsius res proferret spectatoribus: quam rem iam a veteribus observatam esse e Pollucis verbis elucet Onom. IV 111 de parabasi sic disputantis: *τραγικὸν δὲ οὔκ ἐστιν· ἀλλ' Εὐριπίδης αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν. ἐν μέν γε τῇ Δανάῃ τὸν χορὸν τὰς γυναῖκας ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιήσας παρᾴδειν, ἐκλαθόμενος ὡς ἄνδρας λέγειν ἐποίησε τῷ σχήματι τῆς λέξεως τὰς γυναῖκας. καὶ Σοφοκλῆς δὲ αὐτὸ ἐκ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἁμίλλης ποιεῖ σπανιάκις, ὥσπερ ἐν Ἱππόνῳ.* *Παραβάσεως* speciem quodammodo etiam ea mihi videntur prae se ferre, quae Herc. 673 sqq. caterva:

οὐ παύσομαι τὰς Χάριτας
Μούσαις συγκαταμειγνύς,
ἁδίσταν συζυγίαν·
μὴ ζῴην μετ' ἀμουσίας,
αἰεὶ δ' ἐν στεφάνοισιν εἴην,

quibus Euripides Aeschyli illa *Κύριός εἰμι θροεῖν κτλ.* (Ag. 104 sqq.) respexit (cf. Wilamow. ad Herc. l. l.).

Sed hanc rem si persequeremur, longius fortasse aberrandum esset ab Aeschylo, quam par est. Spero fore, ut ex eis, quae supra attuli, exemplis appareat Euripidem in hoc quoque cum Aeschylo fecisse, quod multo saepius atque apertius quam Sophocles mythi finibus excessis praesentis rerum status rationem haberet, ideoque Droyseno astipulandum esse opusc. II p. 82 sq. sic disputanti „Man darf behaupten, dass die griechische Tragödie diesen parainetischen Charakter nie aufgegeben hat; Aischylos zeigt ihn auf das unzweideutigste, bei Euripides tritt er häufig höchst absichtsvoll hervor, während Sophokles ihn überall zarter und mässiger, mehr aus den allgemeinen künstlerischen Impulsen herausarbeitet . . .“

VII. De choro metrisque.

Iam e re est paucis explicare, quo munere apud Aeschylum Euripidemque chorus fungatur. Atque hac in re similitudinem adeo non invenies, ut contra summo iure statuere liceat Euripidem ab illo in adhibendo choro nimium recessisse. Aeschyli enim in fabulis, quamquam hic ipse fertur diverbia circumcisis repressisque canticis ampliora reddidisse, tamen adeo praevalent interdum

partes catervae, ut etiam *πρωταγωνιστοῦ* vices agere videatur velut in Persis, Supplicibus, Eumenidibus. Contra apud Euripidem chorus nihil est, ut Wilamowitzi utar dicto (An. Eur. p. 212), nisi „perpetuum tragicae artis impedimentum“, etsi concedendum est hoc iudicium esse severius [1]). Atque quo magis chori partes apud Euripidem imminuuntur, eo magis grandescere videntur monodiae illae, cuius carminum generis unum apud Aeschylum invenitur exemplum: Promethei illa in cognomine fabula monodia, quam tamen tragoediam vvdd. cum alias ob causas, tum propter id ipsum, quod monodiam exhibet atque chori partes pro ceteris Aeschyli dramatis paene pusillae videntur esse in hac fabula, correctam esse fere inter se consentiunt, sic ut monodiam quoque correctori assignare debeamus [2]).

In catervae igitur partibus adhibendis etsi non concedi nequit Euripidem ab Aeschylo multo magis recessisse Sophocle, tamen iam dudum recte evicerunt vvdd. in quibusdam rebus externis Euripidem ad antiquioris tragoediae choris utendi rationem redisse. Velut Aeschylus in Eumenidibus adhibuerat *διχορίαν*, quae dicitur: praeter furiarum enim catervam sub fine fabulae chorum *προπομπῶν* introduxit; neque aliter in Supplicibus praeter ipsas Danaides harum ancillae prodisse videntur cum heris carmina alternantes [3]). Quas dichorias, cum respuerit Sophocles, Euripides adamavit. Velut in Hippolyto ante parodum Troezeniarum mulierum scaenam intrant venatores Dianam hymno celebrantes. Deinde scholiasta ad eiusdem fabulae v. 58 adnotavit in Alexandro quoque prodisse duas catervas, alteram scilicet pastorum, Paridis assectarum, alteram, ut videtur Troianorum civium [4]). Porro idem scholiasta l. c. *καὶ ἐν τῇ Ἀντιόπῃ*, inquit, *δύο χοροὺς εἰσάγει, τόν τε Θηβαίων γερόντων δι' ὅλου καὶ τὸν μετὰ Θήβης ἢ Δίρκης*. Wilamowitzius vero sagacissime observavit (An. Eur.

1) Ideo Euripidem iam Aristoteles reprehendit poet. p. 1456 a 26 *καὶ 'τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι μὴ ὥσπερ Εὐριπίδῃ ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλεῖ*. Tamen etiam apud Euripidem catervam interdum agere apparet ex Hel. 1628 sqq. et Ion. 695 sqq. 752 sqq.

2) Cf. Bethe, Prolegomena, p. 162 sqq.

3) Cf. Oberdick, Die Schutzflehenden des Aesch., p. 190 et Weckl. ed. Suppl. p. 13.

4) Cf. Welcker, Griech. Trag. II p. 466, 469 sqq. (pastores effecisse *τὸ παραχορήγημα* nobis fingere debemus).

p. 174) Erechthei fr. 351 appellari mulieres, e quibus chorum legitimum, ut ita dicam, constitisse putandum esset, exodum autem tragoediae „cantico militum victorum distinctam fuisse", quo fr. 369 respiceret. Idem vir doctissimus in Phaethontis quoque dramate duos adgnovit choros, alterum ancillarum, quae, ubi prodissent, semper in scaena permanerent, alterum παραχορήγημα eorum, qui hymenaeum canentes cum Merope e regia domo prodirent (cf. fr. 781, 14) mox illuc rediturae. Atque hae fabulae, quas modo laudavimus, iustas dichorias exhibuisse videntur: in Supplicibus vero etsi praeter septem matres earumque pedisequas caterva prodisse censenda est liberorum, tamen non omnes liberos, sed unum tantum ex eis cantasse satis verisimile est [1]).

Sed ut iam dichorias mittamus, age ad ipsa accedamus cantica.

Aeschylum in lyricis partibus fabularum non sine quodam studio meros iambos trochaeosque adhibuisse idque praecipue in amplis extensisque Oresteae carminibus res est pervolgata [2]). Apud Sophoclem trochaicae strophae fere omnino desunt. Ac ne meros iambos quidem sicut Aeschylus videtur coluisse, etsi passim adhibuit Aeschyleo more iambicas epodos velut in Electra et in Trachiniis [3]). Euripides contra ad Aeschylum rediens et trochaeos [4]) et iambos [5]) non sine quodam amore adhibuit, quamquam eius trochaeos cum Aeschyleis vix comparari posse Wilamowitzius monet excepta Her-

1) De Theseo, cui, ni fallor qui διχορίαν impertirent non deerant, videas quaeso Fr. Leo ed. Sen. v. I „de exemplaribus Graecis" p. 180 sqq.

2) Cf. Wilamowitz, Comment. metr. II, Ind. schol. Gott. 1886; Gleditsch, Die Metrik der Griechen und Römer (Iwan Müller, Handbuch II 3) p. 146. Iambicae apud Aeschylum inveniuntur strophae Prom. 901 sqq. Ag. 192 sqq. 218 sqq. 238 sqq. 367 sqq. 403 sqq. 763 sqq. Cho. 22 sqq. 423 sqq. 623 sqq. Eum. 381 sqq. 550 sqq. Suppl. 776 sqq. Strophae trochaicae comparent: Pers. 114 sqq. 126 sqq. Suppl. 154 sqq. 1063 sqq. Ag. 160 sqq. 176 sqq. 681 sqq. 975 sqq. 1001 sqq. Cho. 585 sqq. 603 sqq. Eum. 321 sqq. 490 sqq. 508 sqq. (525 sqq.) 916 sqq. 938 sqq. (cf. Wilamow. append. ad Choeph. „Die Senkungen in den Trochäen des Aischylos").

3) Cf. H. Gleditsch, Die Sophokl. Strophen metrisch erklärt I, II, Berl. 1867/68, „Die Metrik der Griechen und Römer" p. 146 (iambi comparent apud Sophoclem El. 472 sqq. 504 sqq. Trach. 132 sqq. 205 sq. O. R. 190 sqq. O. C. 534 sqq.).

4) Cf. Masqueray, Traité de la métrique Grecque, p. 135.

5) Iambi praevalent in Troadibus (cf. quae Wilamow. comment. metr. I 31 de vv. 551 sqq., iamb. ep. profert). De Herculis vv. 763—780 Wilamow. „Die II. Strophe ist jambisch und eins der vollendetsten Stücke, die Euripides in diesem, ihm sehr lieben, Masse verfasst hat." Idem iam antea ad Herc. 107 sqq. Praeterea iambi occurrunt Alc. 213 sqq. Suppl.

culis parodi epodo, cuius trochaeis vel Aeschyleam aequiperari dignitatem etiam ille concedit [1]).

Dein uterque et Aeschylus et Euripides Ionicum quoque rhythmum videntur adamasse. Ille enim in Persis (cf. 65—113, 694 sq. ∾ 700 sq.) et in Supplicibus (cf. 1018—1062) ampla hoc versuum genere composuit cantica, huius autem in Bacchis Ionicos praevalere modos exemplis illustrare supervacaneum. Sophoclesbis tantum hoc rhythmo usus est, ni fallor, idque in strophis haud ita longe extensis (cf. O. R. 486—497 ∾ 498—512, O. C. 212—215) [2]). Idem respuit creticos rhythmos tamquam comoediae hilaritati magis convenientes quam dignitati gravitatique tragoediae. Aeschylus et Euripides non item. Immo ille integrum carmen in Supplicibus (cf. 418—427) cretico composuit metro. Atque etiam hac in re videtur Euripides antiquissimae tragoediae se applicuisse, cum Cretenses introduxit suo proprio utentes rhythmo (cf. Ar. Ran. 849, 1356 c. schol. et Wilamow. comm. metr. p. II 7). Haec quidem de metris.

Sed etiam interdum totam Aeschyli canticorum compositionem in usum suum vertit Euripides. Velut Agamemnonis parodus sic instituta est, ut post stropham antistrophamque (104—139) epodus sequatur, quam tamen excipiat nova stropharum series (160 sqq.).

---

71 sqq. 373. 598. 618. 778. 798. 824. 918. Androm. 464. 1197; sola iambica monodia invenitur Or. 960 sqq. (cf. Gleditsch. p. 146. Wilamow., comment. metr. I). — Euripidem Aeschyleo more „finem strophae iambicae anaclasi ornasse“ Wilamowitzius affirmat comm. metr. II p. 5 de Ag. 203 *βάκτροις ἐπικρούσαντας Ἀτρείδας* disputans.

1) Wilamow. Her. II² p. 27 „Die Epode ist trochäisch. Das Mass ist nach Aischylos, der es sehr liebt, ganz in den Hintergrund getreten, und es gibt überhaupt ausser dieser einen Strophe kein Gedicht in seiner Weise. Denn die zahlreichen trochäischen Lieder, welche Eur. in seinen letzten Jahren dichtete, und deren berühmtestes Muster, in der Parodos der Phönissen, von den Metrikern als *μέτρον Εὐριπίδειον* angeführt wird, sind im Bau verschieden etc.“ Similiter Masqueray l. c. p. 138 „D'Eschyle à Euripide (scil. in troch. stroph.) la distance est grande, mais ce n'est pas vers la perfection que l'on s'est avancé. — Wilamow. append. ad Choeph., Die Senkungen in den Trochäen des Aischylos, p. 259 „in der Helena ist die Parodos ganz trochäisch usw.“ Praeterea trochaeos apud Euripidem deprehendis in Or. 1457—72. Phoen 239 sqq. 638 sqq. 676 sqq. J. A. 231 sqq. 253 sqq. 277 sqq.

2) Praeterea Ionici a minore horumque simillimi, Anacreontei versus, inveniuntur Aesch. Prom. 128 sqq. ∾ 143 sqq. et Sept. 720 sqq. ∾ 727 sqq. Anacreontei praevalent in Aesch. Prom. 397—414. Eiusdem rhythmi praeclarissimum exemplar exhibent Eur. Cycl. 495 sqq. Apud Sophoclem tales rarissimi sunt versus, velut El. 1058 sqq. (?). Phil. 1176 sq.

donec diverbia exordiantur. Similem parodum „mesodo“ insignem praebent Euripidis Phoen. et Iph. Aul.[1]). Apud Sophoclem tale quid non inveni. Atque etiam ephymnia, quae dicuntur, in Sophoclis fabulis superstitibus omnino desunt. Eo crebrius apud Aeschylum reperiuntur[2]). Quem morem satis priscum Euripides bis imitatus est in Ione et in Bacchis[3]) (et in Electra, si ita vis intelligere vv. 112—114 = 127 sqq.). Idem adhibuit rhythmica quoque quae dicuntur ephymnia in Herculis primo stasimo, idque eodem Aeschylo duce et auctore, utpote qui hoc genere ephymniorum in Supplicibus et in Agamemnone usus esset[4]). Atque uterque poeta glyconicis metris illas clausulas composuit.

VIII. De ornamentis scaenicis.

Quoniam igitur demonstrare conati sumus, quemadmodum Euripides Aeschylum secutus sit in ratione fabularum componendarum, haud absonum videtur breviter inquirere, quantum ab eodem pendeat in dramatis scaenico ornatu instruendis.

Hac enim in re ab Aeschylo multa esse novata, ita ut eius fabulae magnificentia scaenici apparatus spectatorum oculos valde

---

1) Cf. Phoen. 202—225 str. et antistr., 226—238 epod., 239—260 str. et antistr., J. A. 164—184 ∾ 185—205 str. et antistr., 206—230 ep., 231—302, str. II, III, IV. Praeterea conferantur quae Wilamow. Herc.[2] II p. 26 de hoc parodi genere disputavit.

2) Ephymnia Aeschylea: Suppl. 117—121 = 128—132, 141—143 = 151—153, 162—166 = post 175 supplendum (Weil), 889—893 = 898—901; Pers. 662 = 671; Agam. 121 = 139 = 159, (1455—1461 supplet Weckl. post v. 1474), 1489—1496 = 1513—1520, (1538—1550 post 1566 repetit Weckl.); Cho. 789—793 post 799 repete, 806—811 post 818 rep., 827—830 post 837 rep., 942—945 post 952 rep., 961—964 = 972 (sequentia supplenda); Eumenid. 328—333 = 341—346, (355—359 repete post 367), (372—376 rep. post 380), 1035 = 1039, 1043 = 1047.

3) Ephymn. Eurip.: Ion. 125—127 = 141 sqq.; Bacch. 877—881 = 897 sqq., 992—996 = 1012 sqq.; H. Weil, Etudes sur le drame antique, formes de la tragédie grecque, p. 262 de Baccharum ephymnio: „voilà tout à fait la manière d'Eschyle. On ne s'en étonne pas dans une tragédie où se sent plus d'une fois le souffle du vieux poète.“

4) Ephymn. rhythm. in Suppl. Aesch.: 639—642, 652 sqq. ∾ 662—665, 674 sqq. ∾ 684 sqq., 694 sqq.; in Agam. 381—384, 399 sqq. ∾ 416 sqq., 433 sqq. ∾ 452 sqq., 471 sqq.; in Herc. Eur. 359—363, 375—379 ∾ 389—393, 403—407 ∾ 420—424, 437—441. Praeterea cf. Wilamow. Herakles[2] II p. 80 sq.

caperent, ex Aeschyleae vitae hisce verbis intellegitur: *πρῶτος Αἰσχύλος . . . τὴν . . . σκηνὴν ἐκόσμησεν καὶ τὴν ὄψιν τῶν θεωμένων κατέπληξε τῇ λαμπρότητι, γραφαῖς καὶ μηχαναῖς, βωμοῖς τε καὶ τάφοις, σάλπιγξιν, εἰδώλοις, Ἐρινύσι κτλ.* Etiamsi a Sophocle quoque nonnulla ornamenta scaenica inventa esse veteres tradunt, tamen neminem praeteribit illa multo minus ad spectaculorum *λαμπρότητα* pertinere, quam quae Aeschylo assignantur institutiones scaenicae; velut in Sophoclis vita legitur: *Σάτυρος δέ φησιν, ὅτι καὶ τὴν καμπύλην βακτηρίαν αὐτὸς ἐπενόησεν· φησὶ δὲ καὶ Ἴστρος τὰς λευκὰς κρηπῖδας αὐτὸν ἐξηυρηκέναι, ἃς ὑποδοῦνται οἵ τε ὑποκριταὶ καὶ οἱ χορευταί . . .* Quod autem Aristoteles Poet. 1449ᵃ 17 de Sophocle profert: *τρεῖς δὲ (ὑποκριτὰς) καὶ σκηνογραφίαν παρεσκεύασεν*, haud ita congruere videtur cum Vitruvio lib. VII in praefatione Aristarchum Aeschyli pictorem scaenarium fuisse affirmante. Hanc tamen testimoniorum discrepantiam haud scio an Sommerbrodtius (de Aesch. re scaenica I p. 27 sq.) aptissime dissolverit coniciens Aeschylum, cum Sophocles scenographiam recens inventam primus adhibuisset, et ipsum hanc artem in suum usum vertisse eodem modo atque Sophoclis exemplo tertium sibi sumpsit histrionem numerumque choreutarum a duodecim ad quindecim adauxit.

Ceterum putaverim ex ipsis poetarum fabulis optime oportere intelligi, uter splendidiore scaenico apparatu usus sit Aeschylus an Sophocles. Atque Christius (hist. lit.³ p. 236) haud perperam iudicasse videtur, quod a Sophocle fere omnem eiusmodi ornatum, quo spectatorum animi ab argumento fabulae averterentur, diligenter evitatum esse contendit, etsi Bethio (proleg. p. 327) concedendum est Sophoclem Euripidis demum exemplo commotum posterioribus vitae annis scaenam suam magis magisque exornasse [1]. Euripidem enim hac quoque in re non simplicitati Sophoclis, sed Aeschyli magnificentiae se addixisse [2] vix mirabimur, praesertim cum iam supra viderimus eum voluntati spectatorum aliquantum concessisse. Age vero videamus, quibusnam exemplis illa Aeschyli

1) Optime Bergkius Griech. Litt. III p. 388 monet de Aiace Sophoclea „Manches erinnert noch an den Stil des Aeschylos, wie die Parodos . . . dann der szenische Apparat, welcher reicher ist als sonst bei Sophokles."

2) Cf. Albert Müller, Das attische Bühnenwesen, Gütersloh 1902, p. 111 „Bereits die späteren griechischen Gelehrten haben auf diese Seite von Aeschylos' bahnbrechender Wirksamkeit aufmerksam gemacht. Sophokles ist dagegen höchst massvoll in der Anwendung szenischer Mittel, während Euripides wieder in die alte Bahn einlenkt."

Euripidisque λαμπρότης optime possit illustrari. Ac primum quidem in propatulo est utrumque eorum, quoniam persaepe deos fecerunt scaenam intrantes, ornamenta adhibuisse illorum maiestate dignissima. Praeterea certe non modo habitu et statura humanum modum valde excedenti illas personas tamquam deos reddiderunt insignes, sed etiam insolito more eas fecerunt apparentes, si quidem Polluci fidem habere licet, qui Onom. IV 130 tale quid iam in Aeschyleis fabulis agnovisse videtur, cum in Psychostasia cerni potuisse Iovem, Thetidem, Auroram in ϑεολογείῳ stantes, Auroram vero per aëra (gerano scilicet, quam vocant, vectam) Memnonis corpus auferentem affirmat. Verum enim vero Bethius l. l. p. 153 sqq. haud infirmis argumentis nixus negat atque pernegat Aeschyleas fabulas iam exhibuisse id genus spectacula, quamquam in Prometheo etiam totam catervam curru alato per aëra advolantem nobis fingere cum vv. 129 sqq. tum 279 sqq. iubemur:

καὶ νῦν ἐλαφρῷ ποδὶ κραιπνόσυτον
ϑᾶκον προλιποῦσ'
αἰϑέρα ϑ' ἁγνόν, πόρον οἰωνῶν,
ὀκριοέσσῃ χϑονὶ τῇδε πελῶ.

Quod alterum testimonium vd. eo valde infringi censet, quod totam Promethei fabulam, qualis ad nos pervenerit, non ad ipsum Aeschylum sed ad multo recentioris aetatis redactorem esse revocandam vix quis infitiari audeat, praesertim cum vvdd. iam dudum adgnoverint multas alias quoque res in illa fabula observari posse, quae a solita arte Aeschylea valde abhorreant [1]). Idem Bethius nobis comprobare studet Minervam in Eumenidibus (cf. vv. 403 sqq.) non re vera aeoremate vectam quasi ex alto devolasse, sed spectatores id sibi fingere debuisse. Licet Bethius iure hoc de Aeschylo contenderit — neque enim desunt, qui aliter sentiant illamque de duplici Promethei recensione coniecturam acerrime impugnent — tamen plane apparet illius artem ab Euripide hac quoque in re propagatam excultamque esse. Etenim quae apud Aeschylum designata tantum vel potius spectatori fingenda erant, ea in Euripideis fabulis vere fiebant, utpote quae deos modo in aethere librantes, modo per aëra in solum devolantes exhiberent [2]).

---

1) Cf. Dörpfeld-Reisch, Das griechische Theater, p. 198.

2) Nam hoc Bethius recte mihi evicisse videtur post annum 428, scil. post alterius Hippolyti didascaliam, machinam et aeorema in Euripidis tragoediis adhibita esse, illam e. g. in Herc. Ion. Or. Troad., hoc in Andromacha.

Cuius generis spectacula Sophocles non videtur amasse. Semel, ni fallor, adhibuit deum ex machina idque in Philocteta [1], quam tamen ad Euripidis exemplum quodammodo compositam esse iam saepius commemoravimus. Euripides vero non acquievit deis volantibus inducendis: immo etiam mortales instruxit alis: velut Bellerophontem in cognomine fabula fecit Pegaso caelum petentem Perseumque in Andromeda alatis pedibus aera percurrentem. Atque quoniam in has duas modo incidimus fabulas, e re erit iam hoc loco monere utrique earum Aeschyli vestigia esse impressa. Nonne enim Bellerophо Pegaso vectus nobis in memoriam revocat Oceanum eiusque *πτερυγωκῆ οἰωνόν*, qui in Prometheo prodierant? Non certa quaedam similitudo intercedere tibi videtur inter Andromedam rupi alligatam Prometheumque item saxo affixum?

Quantopere Aeschylus scaenicis effectibus animos spectatorum commovere studuerit, ex Promethei tragoedia optime apparet: ac primum quidem vinctus hic Titan, dein caterva permiro illo curru advecta, Oceanus alitem premens equum, porro Io cornuta — nonne fabulosam praebebant speciem? Quid? quod sub fine dramatis mugiente terra, dum procellae strident, inter fulmina et tonitrua Prometheus et caterva una cum rupe in profundum ruunt! Verum enim vero hunc ipsum splendidissimum tragoediae exitum Aeschylo abiudicant philologi! [2])

Ac ne reliquae quidem Aeschyli tragoediae carent fabuloso apparatu. Quam dirae fuerint visu Furiae anguibus crinitae, pulla veste indutae, singulae deinceps ex Apollinis templo proruentes, intelliges ex narratiuncula illa affirmantium hoc spectaculum gravidis mulieribus abortus intulisse. Euripides cum Furiam produceret [3]), eius aspectum etiam magis horridum facere studuit alas ei tribuens facesque ardentes [4]).

1) Minervam enim Aiacis vix sic poteris appellare.

2) Quos tamen acerrime impugnat Christius, Münch. Sitz. 1888, p. 375.

3) Serv. in Verg. A. 7, 337: tibi nomina mille — „secundum Euripidem, in cuius tragoedia (de Meleagro sentit Max. Mayer, de Eur. mythopoeia p. 82, de Alcmeone Wilamowitz) dicit furia se non esse unius potestatis, sed se fortunam, se nemesin, se fatum, se esse necessitatem.“ Cf. Eur. inc. fab. fr. 1022.

4) Sic enim Orestes Furias adumbrat J. T. 285 sqq.: *τήνδε δ᾽ οὐχ ὁρᾷς Ἅιδου δράκαιναν, ὥς με βούλεται κτανεῖν Δειναῖς ἐχίδναις εἰς ἔμ᾽ ἐστομωμένη; Ἡ δ᾽ ἐκ χιτώνων πῦρ πνέουσα καὶ φόνον Πτεροῖς ἐρέσσει;* conferas etiam Or. 316 *δρομάδες ὦ πτεροφόροι κτλ.* et quae Rosenbergius, Die Erinyen, p. 14 profert. Ante annum 388 Furias iam solitas esse in scaenam prodire facibus instructas perspicitur ex Aristoph. Plut. 423 sqq.

Phorcides deinde Aeschyli Lyssaque Euripidis haud minus horrificam speciem prae se tulisse videntur.

Porro Persarum principes, ut mittamus *τὸ τερατῶδες*, ut barbaros vestimento quoque insignes esse factos ab Aeschylo, Bethius luculenter exposuit, qui ipsa spolia Persis adempta a poeta ad augendum effectum adhibita esse sibi persuasit (cf. Proleg. 330). Haud aliter Danaidum caterva insolito more videtur vestita fuisse, utpote quam appellet Argivorum rex *ὅμιλον ἀνελληνόστολον Πέπλοισι βαρβάροισι καὶ πυκνώμασι Χλίοντα* (Suppl. 234 sqq.). Praeconem vero eiusque comites tamquam homines Afros personas gessisse nigras e Suppl. 719 sq. *πρέπουσι δ' ἄνδρες νῆϊοι μελαγχίμοις Γυίοισι λευκῶν ἐκ πεπλωμάτων ἰδεῖν* perspicitur. Euripidis quoque Phoenissarum catervam putaverim „*ἀνελληνόστολον*" fuisse, quia Polynices nulla voce audita eas appellat:

ξέναι γυναῖκες, εἴπατ' ἐκ ποίας πάτρας
Ἑλληνικοῖσι δώμασιν πελάζετε (Phoen. 278 sq.).

Phrygius ille in Oresta servus ipse se barbaris uti calceamentis dicit Or. 1369 sq. ... *πέφευγα βαρβάροις εὐμάρισιν*[1]).

Clytaemestrae in Electra pedisequas (cf. 317 sq. *δμωαὶ ... Ἰδαῖα φάρη χρυσέαις ἐξευγμέναι πόρπαισιν*), Hecubae Troadumque choreutas et ipsas barbarorum ritu indutas fuisse Bethius l. l. p. 334 docet, qui tamen Troum illam in Philocteta legationem nescio cur omisit. Sed fortasse Sophoclem quoque putare debemus eis in fabulis, quarum scaena in Troianorum finibus fuisse intelligenda est, peregrino ritu personas suas adornasse.

In universum quidem apparet tragicos operam dedisse, ut histrionum ornatus par esset loco ac dignitati eorum, qui in scaenam prodirent. Euripides vero ab hac norma recessit, cum Mysorum regem induxit pannis obsitum mendicumque simulantem; atque quamquam ab Aristophane iterum iterumque Telephi illa *ῥάκια* perstringuntur (cf. Aristoph. Nub. 922. Ach. 432 sqq.), tamen non contentus fuit ille pannoso Telepho, sed, quia in hac ipsa re, ut videtur, effectus quidam erat positus, etiam Philoctetam[2]), Bellerophontem in cognominibus fabulis[3]), Menelaum in Helena induxit inopiam deformitatemque vestimenti

---

1) Cf. Aesch. Pers. 660 *κροκόβαπτον ποδὸς εὔμαριν ἀείρων.*

2) Poll. IV 117 *ῥάκια δὲ Φιλοκτήτου ἡ στολὴ καὶ Τηλέφου.*

3) Cf. Ar. Ach. 426: *ἀλλ' ἦ τὰ δυσπινῆ θέλεις πεπλώματα ἃ Βελλεροφόντης εἶχ' ὁ χωλὸς οὑτοσί;* ubi scholiasta: *εἰσήγαγε γὰρ καὶ τοῦτον καταβληθέντα ἐκ τοῦ Πηγασοῦ καὶ ἐρρυπωμένα ἱμάτια ἔχοντα.*

prae se ferentes: namque absurdum ei videbatur homines egenos naufragosque splendidis uti vestimentis. Fortasse autem iam Aeschylus semel conatus erat talia admittere vero rerum statui convenienter in Persis. Xerxem enim veste rege haud ita digna indutum scaenam fecit intrantem, nisi quidem Darei anima falsa vanaque de filio praedixit v. 834 sqq.:

. . . παντὶ γὰρ Κακῶν ὑπ' ἄλγους λακίδες ἀμφὶ σώματι
στημοῤῥαγοῦσι ποικίλων ἐσθημάτων.

Idem Aeschylus in Choephoris Electram eiusque comites detonsis capillis et mutata veste prodire iusserat. Apud Euripidem Electra non tam tristem quam deformem squalidumque habitum prae se tulisse videtur, nisi ipsa verbis sua mala augere censenda est sic lamentans:

σκέψαι μου πιναρὰν κόμαν
καὶ τρύχη τάδ' ἐμῶν πέπλων (Eur. El. 184 sq.).

Sed mittamus nunc pannos et squalorem, et redeamus ad *λαμπρότητα* Aeschyleam. Agamemnonem in cognomine fabula cum Cassandra quadrigis vectum splendidissima pompa orchestram intrare vix est quod moneam. Haud scio an Pers. v. 607: *τοιγὰρ κέλευθον τήνδ' ἄνευ τ' ὀχημάτων . . . . ἔστειλα κτλ.* colligi liceat Atossam antea curru invectam esse, nisi *ὄχημα* de lectica dictum intellegere mavis. In Supplicibus Pelasgus rex armatis stipatus *ξὺν ἵπποις καμπύλοις τ' ὀχήμασι* (cf. v. 183) videtur in orchestra apparuisse. Quales pompas Euripides quoque adamavit: velut in Troadibus (cf. v. 568 sq.) Andromacha cum spoliis opimis curru praevehitur. Clytaemestram bis hoc modo advenisse in orchestram perspicitur ex El. v. 966 et Iph. Aul. vv. 610 sqq. Ab altera parte Aeschylus non veritus est dirum aspectum necatorum spectatoribus ostendere: velut in Agamemnone subito conspicua esse facta Agamemnonis Cassandraeque corpora cruore foedissime aspersa iam alio monuimus huius dissertatiunculae loco. Idem fere spectaculum redit in Choephoris: gladio perfossi humi iacent Clytaemestra et Aegisthus. Polynicis Eteoclisque corpora in Septem per orchestram vehuntur. In Myrmidonibus licebat Achillem conspici Patrocli corpus vulneribus laceratum blanditiis amplexantem (cf. Aesch. fr. 135. 136).[1]).

A Sophocle quoque talia interdum esse admissa Aiacis exemplo discimus: verum tamen non desunt, qui putent spectatorum oculis neque ipsam caedem neque corpus perfossum herois cerni potuisse

1) Cf. Porson ad Eur. Med. 750.

prae thymela ramis adornata [1]). Euripides autem multo magis atrocitate huiusmodi spectaculorum animos permovisse videtur: exempli gratia affero Herculis fabulam, in qua cernebatur Hercules columnae illigatus saeptusque suorum exanimis corporibus. Deinde satis horridum aspectum praebebat Agave sanguinolentum filii caput secum portans eique illudens. Bacch. 1216 sqq. perspicitur a Cadmi satellitibus lacerum Penthei truncum discissaque membra adportari, quae postea ab Agava matre osculis contingi nobis fingere debemus; quin etiam videbant spectatores Cadmum filiamque discissa Penthei membra coniungentes, si quidem recte coniecerunt vvdd. e Bacchis desumptos esse *Χριστοῦ πάσχοντος* haud paucos versus. Similem scaenam iam in Troadibus (1156 sqq.) contineri, illam dico, qua Astyanactis corpus Hecuba suaviis excipit vestique exornat lugubri, vix debeo monere. Quae si reputamus, nonne in memoriam nobis revocant Myrmidones Aeschyli? [2]).

In Septem splendidam exsequiarum pompam produxerat Aeschylus. Quem tamen Euripides valde exsuperat in Supplicibus septem, ut videtur, currus cum septem occisorum ducum corporibus in orchestram invehens.

Quod vero attinet ad motus affectusque exprimendos vvdd. in universum docent Aeschyli personas prae se tulisse multo graviores et sedatiores, ut ita dicam, gestus quam Euripidis, qui modum excessisse videtur saltibus illis Phrygii Evadnaeque [3]). Bethius quidem monet iam apud Aeschylum modo hic modo illic satis concitate se gerere debuisse histriones [4]): neque desunt eiusmodi in Aeschyleis dramatis loci, quos propter ipsam affectuum significationem aptissime expressorum Euripides in suam rem vertisse censendus est. Velut iam Aeschylus in Agamemnone 1264 sqq. fecerat Cassandram, priusquam regiam intraret domum, ornatum suum, sceptrum corollamque vaticino furore concitatam abicientem. Apud Euripidem in Troadibus 451 sqq. eandem Cassandram fatidico furore abreptam idem facere iam supra monuimus. Porro in Eumenidibus Pythiam diro Furiarum aspectu

---

1) Hanc opinionem, si recte intellexi, protulit Noackius in schola quam habuit Ienae 1903: „Das griech. Theater mit szenischer Interpretation ausgewählter Dramen.“

2) Cf. Weckl. ed. Bacch. comm. instr. p. 92 ad v. 1329 et p. 107; Bruhn, ed. Bacch. p. 127 sqq.

3) Dörpfeld-Reisch l. l. p. 203, 209.

4) l. l. p. 324 sqq.

perterrefactam nobis fingere debemus redeuntem e fano aeque pedibus manibusque uti (cf. v. 37 *τρέχω δὲ χερσίν, οὐ ποδωκείᾳ σκελῶν*) [1]). Hoc expressum et correctum esse ab Euripide in Hecuba, cum faceret Polymestorem barbarum oculis privatum ex tentorio quasi *τετραποδηδὸν* prodeuntem (cf. 1058 sq. *τετράποδος βάσιν θηρὸς ὀρεστέρου Τιθέμενος ἐπὶ χεῖρα κατ' ἴχνος*) Bethius statuit.

Deinde veteres Euripidi crimini vertebant, quod non modo in satyris ebrium induxit Cyclopem, sed etiam in tragoedia Alceste Herculem vino gravem: neque tamen Euripides primus solusque tragicorum hoc admisisse videtur: etenim ante eum iam Aeschylum tale quid esse ausum ex Athen. X p. 428 F elucet: *τὸν Αἰσχύλον ἐγὼ φαίην ἂν τοῦτο διαμαρτάνειν· πρῶτος γὰρ ἐκεῖνος, καὶ οὐχ ὡς ἔνιοί φασιν Εὐριπίδης, παρήγαγε τὴν τῶν μεθυόντων ὄψιν εἰς τραγῳδίαν. ἐν γὰρ τοῖς Καβείροις εἰσάγει τοὺς περὶ τὸν Ἰάσονα μεθύοντας· ἃ δ' αὐτὸς ὁ τραγῳδοποιὸς ἐποίει, ταῦτα τοῖς ἥρωσι περιέθηκε.*

Sed mittamus nunc personas eorumque ornatum gestusque. Iam quod ad ipsius scaenae apparatum atque ornamenta attinet, multo splendidiorem speciem praebuisse videntur Euripidis fabulae quam Sophocleae, dummodo consideremus, ut exemplum afferam, quantopere mulieres, quae Ionis chorum efficiunt, aspiciendo delectentur templo. Nam hoc vix quisquam contendet spectatores sibi fingere debuisse illa simulacra, tamquam si chorus se ea conspicere tantum simulet [2]).

Haec ornamenta Sophocles non amavit, quamquam adhibere potuit; Aeschyli autem aetate artificium illud scaenae exornandae nondum ita floruisse manifestum est. In Supplicibus tamen ara satis magna multis cum deorum simulacris quodammodo expressa fuisse videtur, quo haud scio an respiciant illa *εἴδωλα καὶ βωμοί*, quibus Aeschyleae vitae auctor ab illo scaenam exor-

1) Sic quidem Bethius Proleg. p. 325 locum intellegit collaudatum, de quo iam scholiasta . . . *ἔξεισι τεταραγμένη τετραποδηδὸν ἐκ τοῦ νεώ.* Aliter vero sensit de l. c. Hermannus, cum affirmaret „nihil aliud sacerdos indicat quam manuum adiumento sibi ad incedendum opus esse.“

2) Dörpfeld-Reisch l. l. p. 206 „Besonders reich gestaltet war der Tempel, den Euripides für seinen Ion aufbauen liess. Auch er hat natürlich eine Säulenhalle . . . Aber auch der plastische Schmuck der wirklichen Tempel war an dem Spielhause des Ion nachgeahmt, wobei möglicherweise mit kühnem Anachronismus der delphische Tempel der euripideischen Zeit als Vorbild diente.“

natam esse narrat. Promethei rupem in Andromeda imitatum esse Euripidem iam supra commemoravimus. Atque in eiusdem Supplicibus quoque ingentem rupis imaginem expressam fuisse putandum est, unde Evadna desiliat (cf. v. 988 sq. *τί ποτ᾽ αἰθερίαν ἕστηκε πέτραν, Ἣ τῶνδε δόμων ὑπεραχρίζει* et v. 1045 sq. *ἤδ᾽ ἐγὼ πέτρας ἔπι Ὄρνις τις ὡσεὶ Καπανέως ὑπὲρ πυρᾶς Δύστηνον αἰώρημα κουφίζω*). Sed longum est in singulis inquirere, quot Euripidis fabulae quibus scaenicis effectibus insignes fuerint; priusquam autem perorem, iam exemplum proferre liceat, quo optime Aeschyleae rei scaenicae apud Euripidem vestigia agnoscantur vel in singulis rebus expressae. Ex Herculis enim vv. 904 sqq. *ἰδού, ἰδού, θύελλα σείει δῶμα, συμπίπτει στέγη* et Baccharum 587 sqq. *τάχα τὰ Πενθέως Μέλαθρα διατινάξεται πεσήμασιν . . . Ἴδετε τὰ λάϊνα κίοσιν ἔμβολα Διάδρομα τάδε,* apparet certas quasdam aedium partes ante oculos spectatorum contremuisse et collapsas esse [1]). Cui haec non in mentem revocant Aeschyli illud Edon. fr. 58 *ἐνθουσιᾷ δὲ δῶμα, βακχεύει στέγη*? Sed haec hactenus.

De causis similitudinum.

Quoniam igitur similitudines illas, quae inter Aeschyli et Euripidis poesin intercedere videntur, colligere disponere illustrare, quantum potuimus, sumus conati, nunc demum quaerendum est, quomodo tandem factum sit, ut Aeschyli vestigia tot et tanta Euripidis non modo singulis quibusdam dramatis sed toti fere arti imprimerentur, iure ut statuamus Euripidem in illius fabulis paene habitasse. Quam scientiam non tam ad Aeschylearum referre licet didascaliarum iterationes, quibus Euripides diligentissimus spectator interfuisse censendus sit, quam eo quod hic. utpote cuius compertum habeamus eximiam pro illa aetate fuisse bibliothecam [2]), in hac librorum collectione illius quoque utebatur poematis, quae iterum iterumque relegendi hoc modo ei copia erat facta, ita ut eligeret sibi et in suum verteret usum, quae in Aeschyleis fabulis ei placebant. Sed extat etiam similitudo quaedam interna, ut ita dicam, inter Aeschylum et Euripidem non

---

1) Dörpfeld-Reisch l. l. p. 214. De scaenicis effectibus Troadum cf. Wilamow. Comment. metr. I p. 20.

2) Cf. Athen. I p. 3 A.

modo ut poetas, sed etiam ut homines, quamvis inimicus fuisse alter alteri videatur, Aristophanis si sequimur, qualis in Ranis comparet, sententiam. Sophoclem enim multo magis quieti sibique constantis ingenii fuisse cum Aeschylo tum Euripide non modo singulorum dramatum tenore, quae multo sedatiore gradu decurrunt quam aemulorum valdeque his antecedunt aequalitate et constantia oeconomiae, intellegitur, sed etiam ex ratione eligendae materiae. Nam quae Nestleius [1]) de Aeschylo et Sophocle Euripidi tamquam oppositis affirmat: „Im grossen Ganzen stört noch nichts ihren Seelenfrieden, und darum sind auch ihre Werke noch durchaus harmonisch und in sich geschlossen. Wir treffen zwar auf ergreifende sittliche Konflikte; aber nirgends erhebt sich ein Vorwurf gegen die Gottheit, die erhaben und ehrwürdig über dem Menschenleben thront und durch ihr Walten alles zum besten führt, wenn auch nicht ohne Leid und Schmerz für die sterblichen Menschen. Es fehlt aller Streit und alle Streitsucht, wie Aristophanes von dem eben dahingeschiedenen Sophokles sagt: „friedselig ist er hier, friedselig dort"" — haec mea quidem sententia in Sophoclem sine dubio valent, neque tamen in Aeschylum Promethei Eumenidumque poetam [2]). Quamquam enim tantum abest, ut astipuler Welckero, qui Aeschylum sublimioris Luciani instar fuisse dixit [3]), ut contra affirmem ab illo summa cum pietate deos esse cultos, tamen facere nequeo, quin Aeschylum putem pietatis venerationisque erga deos vinculis haud ita obstrictum fuisse, ut Sophocles fuit. Aeschylo quam venerabilis visus sit Iuppiter, innumeris fere locis apparet. Atque tamen idem ille Aeschylus ausus est fingere Iovem non semper sibi fuisse constantem: immo in Prometheo vincto supremus ille deorum rerum modo potitus omni tyranno et crudeliorem et iniustiorem se praebet, donec in proxima fabula, in Prometheo soluto, seu diuturnitate temporum, quae inter hanc et priorem tragoediam intercessisse nobis putandum est, seu Themidis matrimonio inito quasi lustratus amissis vitiis demum evadat omnium deorum optimus perfectissimusque [4]).

1) Euripides, der Dichter der griechischen Aufklärung, Stuttg. 1901, p. 4 sq.

2) Cf. Ed. Schwartz, Charakterköpfe, Soph. u. Aesch. p. 35 et 39.

3) Aesch. Tril. Prom. p. 104.

4) Legionis instar est multitudo librorum, quibus disputatur, quonam modo Iovis in Prom. ingenium et mores intellegenda sint. Secutus sum Iul. Caesaris opinionem, qualem protulit in „Der Prom. des Aesch." 1860, cui astipulatur praeter ceteros Wolframus Kausche, Mythologumena Aeschylea p. 11, adn. 6, ubi huc spectantes libelli omnes fere enumerantur.

Atque etiam alibi admodum libere ac paene philosophi in modum Aeschylum de Iove sensisse duobus clarescit locis hic quoque qui commemorentur dignis, Ag. 160 sqq. Ζεὺς ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐ- | τῷ φίλον κεκλημένῳ, | τοῦτό νιν προσεννέπω· | οὐκ ἔχω προσ-εικάσαι | πάντ' ἐπισταθμώμενος | πλὴν Διός, εἰ τὸ μάταν ἀπὸ φροντίδος ἄχθος | χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως, et fr. Hel. 70 Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός, | Ζεύς τοι τὰ πάντα χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον, „quibus summum atque absolutum quoddam numen Iovem dicit similiter ac philosophi de eo docebant" [1]) (Kausche l. c. p. 7). Euripidem vero similem interdum de Iovis natura habuisse sententiam, vel potius a certis personis curasse proferendam cum ex

Herc. 1263 sqq. Ζεὺς δ' ὅστις ὁ Ζεὺς πολέμιόν μ' ἐγείνατο,
Troad. 885 sqq. ὅστις ποτ' εἶ σύ, δυστόπαστος εἰδέναι,
Ζεύς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεος εἴτε νοῦς βροτῶν,
προσηυξάμην σε.

Melanipp. fr. 480 Ζεὺς ὅστις ὁ Ζεύς, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ [2]), quibus poeta Aeschyli Agamemnonis illum locum imitatus etiam liberiore excedit iudicio, tum e

fr. inc. 877 ἀλλ' αἰθὴρ τίκτει σε, κόρα,
Ζεύς ὃς ἀνθρώποις ὀνομάζεται
et 941 ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν,

quibus ab Euripide Heliadum illud exprimi iam supra diximus, satis apparet.

Aeschylus finxerat Prometheum Iovi obnitentem, quominus hominum stirpem e terra deleret; Iovisque ingenium et mores ita adumbrarat, ut tyranni immitissimi fere instar esse videretur; quin abiudicarat ab eo, quamvis deum supremo, rerum futurarum praescientiam, ita ut vel ex ipso Prometheo sciscitaretur Iuppiter tamquam solo praeter Themidem earum praesago [3]). Atque etiamsi concedendum est in Prometheo soluto eundem Iovem aliter se gessisse aliamque prae se tulisse speciem, ut etiam, quae in priore fabula de eo dicta essent admodum audacter, quodammodo retractarentur, tamen sine ulla dubitatione affirmaverim — neque

1) Vel potius orphici, ut statuunt Gomperz, Griech. Denker I p. 80 et Nestle l. l. p. 448, adn. 120.

2) Spurium censet hoc fr. Wilamow. ad Herc. v. 1263 II p. 257.

3) Cf. Kausche l. l. p. 9 § 5.

quisquam contra dicet — liberrimi viri fortissimique fuisse Iovem omnino sic adumbrare.

Idem Iuppiter, uti in Promethei fabula non est omnium sciens rerum, ita ne omnipotens quidem videtur esse, qualis alibi nobis occurrit. Ibi enim Parcis una cum Furiis *ἀνάγκην* regentibus obnoxius esse videtur, ut e vv. 515 sqq. apparet: *Τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος; Μοῖραι τρίμορφοι μνήμονές τ' Ἐρινύες. Τούτων ἄρα Ζεύς ἐστιν ἀσθενέστερος; Οὔκουν ἂν ἐκφύγοι γε τὴν πεπρωμένην* [1]). Aliter rem se habere apud Sophoclem Muellenhoffius affirmat [2]) „Zeus ist die höchste Macht und Weisheit. Er ist die Vorsehung und das Schicksal . . . Sophokles kennt nicht eine blinde Notwendigkeit, der auch die Götter unterworfen sind, er kennt nicht das homerische Fatum, das den Göttern bald übergeordnet, bald untergeordnet ist.“ In Euripideis contra fabulis haud secus atque in Prometheo *τύχην* seu *ἀνάγκην* vim summam invictissimamque repraesentare hisce locis perspicitur:

Alc. 965 *κρεῖσσον οὐδὲν Ἀνάγκας ηὗρον*

Hel. 513 sq. *λόγος γάρ ἐστιν οὐκ ἐμός, σοφῶν δ' ἔπος,*
δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον.

Bell. fr. 299 *πρὸς τὴν ἀνάγκην πάντα τἄλλ' ἐσθ' ἀσθενῆ.*

Quo fato seu necessitate vel deos esse inferiores ipsa concedit Minerva

Iph. Taur. 1486 *αἰνῶ· τὸ γὰρ χρεὼν σοῦ τε καὶ θεῶν κρατεῖ.*

Praeterea conferas Hec. v. 798 sqq., ubi tamen pro fatali necessitate comparet *νόμος*: *ἡμεῖς μὲν οὖν δοῦλοί τε κἀσθενεῖς ἴσως· Ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι χὼ κείνων κρατῶν Νόμος* [3]).

De opprobriis, quibus a Prometheo Iuppiter oneratur, supra diximus. Ceterum in Eumenidibus (640 sqq.) extat locus, ubi idem impietatis crimine accusatur a Furiis, idque ideo quod Saturnum suum ipsius patrem in vincla coniecisset. Hoc mytho Aeschylum quodammodo esse offensum, mihi in propatulo esse videtur, quamvis Iovis hoc factum per Apollinem curaverit excusandum [4]). Muellenhoffius quidem de hac inter priscos recentes-

1) Kausche l. l. p. 31 § 34 a; Caesar l. l. 33 „Nirgends ausser dem Prom. erscheint bei Aesch. Zeus abhängig von der Moira oder ihrer unkundig . . .“

2) Karl Müllenhoff, Ein Lebensbild von Wilhelm Scherer, p. 54 (ipsa dissertatio Muellenhoffiana prelis, ni fallor, omnino non subiecta est).

3) Nestleium secutus sum in hisce (cf. p. 56).

4) Atque hac in re discrimen quoddam inter Aeschylum et Euripidem intercedit, ut egregie exposuit Schwartzius l. l. Euripides u. die Sage, p. 39: Aeschylus id genus de deis fabulas excusat defendit, honestas

que deos lite, qua Titanes superati sunt, disputans: „Die Theologie des Aeschylus“, inquit, „ruht auf dem Hesiodischen Gegensatz zwischen Kronos und Zeus, zwischen Titanen und Olympiern, zwischen den alten und den neuen, den unteren und den oberen Göttern. Er schildert ihren Kampf und ihre Versöhnung. Bei Sophokles ist dieser Kampf vorbei; die Weltherrschaft des Zeus wird nirgends angefochten; auch die Unteren erfüllen schweigend seine Gebote . . . Er ist die höchste Macht und Weisheit“ (p. 53 sq.). Atque Euripides si non priscum illud inter Titanes deosque redintegravit bellum, tamen et ipse ad Aeschylum hac in re quodammodo rediens deos inter se facit interdum rixantes. Velut in Alcestide (11 sqq.) Apollo ipse affirmat Parcas grandaevas a se dolo esse circumventas, quod ad factum etiam Furiarum princeps cum Phoebo litigans respicit in Aeschyli Eumenidibus (723 sq.). Idem Orcum per Herculem curat opprimendum. Matricidium Orestae a Phoebo Ioveque imperatum Furiae indignatae exagitant apud Aeschylum, de quo optime Schwartzius l. l. p. 39 monuit „Mit dem Zeus der Theogonien und dem apollinischen Gebot der Blutrache ist er im Grunde seines Herzens nicht fertig geworden.“ Euripides non solum furias Orestae fingit instare, sed etiam Phoebi Iovisque mandatum acerrime vituperandum curat per Dioscuros deos, ab ea norma profectus quam in Belleroph. fr. 292, 7 edixit: *εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρόν, οὔκ εἰσιν θεοί*[1]). Sophocli tamen illud sceleste factum, a deis iussum nihil scrupuli intulisse videtur, ut ex fine Electrae perspicis: neque mirum, si quidem ita statuit, ut legitur Thyest. fr. 226, 4 *αἰσχρὸν γὰρ οὐδὲν ὧν ὑφηγοῦνται θεοί.* (Cf. Aug. Mau, Zu Eur. Elektra, comment. Mommsen. p. 293).

Ceterum Euripidem, quamquam non Prometheos progenuit Iovi repugnantes, uti Aeschylus fecit, tamen multo longius illo processisse libertate, ut ita dicam, de deis iudicii, quippe qui personas produceret deos esse omnino negantes velut Bellerophontem caelum petentem, res est tritior, quam ut magis exsequar[2]):

---

causas deorum substituens voluntati. Solo illo Iovis in Ionem amore poeta ita usus esse videtur, ut eius mores perstringerentur. Euripides vero quomodo de talibus mythis senserit, optime apparet ex Ionis in cognomine fabula de Apollinis amore iudicio (cf. Nestle p. 128 ad Ion. v. 436 sqq.), quamquam hic quoque, uti in soluto Prometheo cognosci licebat, omnia ad optimum perducuntur finem.

1) Apud Euripidem interdum etiam superiores dei inter se gerunt bellum: sed humile ac paene abiectum est illud inter Venerem Dianamque in Hippolyto certamen (cf. 1420 sqq.) prae granditate Aeschylea.

2) Dubitaverit quis, quin Bellerophon ipsius poetae de deis opinionem iudiciumque protulerit; neque ita immerito, dummodo consideret Bellerophonti,

praeterea longum est sententias proferre, quibus vvdd. Euripidis omnia divina in dubium vocandi rationem illustrent, praesertim cum negari nequeat multum interesse inter Aeschylum interdum liberius de deorum natura iudicantem Euripidemque omnes deorum mythos ad rationis morumque amussim accuratissime redigentem.

Hoc tamen non obstat, ut Nestleius p. 57 optime monuit, quin idem Euripides interdum vulgi opinionis ratione habita personas faceret admodum superstitiosis religionibus utentes: velut saepius mentio fit deorum invidiae, quam iam ab Herodoto invenimus commemoratam [1]). En conferas: Alc. 1135 (*ΑΔ.* ἔχω σ' ἀέλπτως, οὔποτ' ὄψεσθαι δοκῶν). *ΗΡ.* ἔχεις· φ θ ό ν ο ς δὲ μὴ γένοιτό τις θ ε ῶ ν·

Suppl. 346 sqq. *δράσω τάδ'· εἶμι καὶ νεκροὺς ἐκλύσομαι*
λόγοισι πείθων· εἰ δὲ μή, βίᾳ δορὸς
ἤδη τόδ' ἔσται κοὐχὶ σὺν φ θ ό ν ῳ θ ε ῶ ν.

Or. 971 sqq. *βέβακε . . . πρόπασα γέννα Πέλοπος ὅτ' ἐπὶ μακαρίοις*
ζηλωτὸς ὤν ποτ' οἶκος·
φ θ ό ν ο ς νιν εἷλε θ ε ό θ ε ν κτλ.

J. A. 1095 sqq. *ἀνομία δὲ νόμων κρατεῖ,*
καὶ μὴ κοινὸς ἀγὼν βροτοῖς,
μή τις θ ε ῶ ν φ θ ό ν ο ς ἔλθῃ [2]).

Atque iam apud Aeschylum in hanc incidimus sententiam, velut Pers. 362 . . . *οὐ ξυνεὶς δόλον*
Ἕλληνος ἀνδρὸς οὐδὲ τ ὸ ν θ ε ῶ ν φ θ ό ν ο ν, Πᾶσιν
προφωνεῖ κτλ.

et Ag. 946 sq. *καὶ τοῖσδέ μ' ἐμβαίνονθ' ἁλουργέσιν θ ε ῶ ν*
μή τις πρόσωθεν ὄμματος βάλοι φ θ ό ν ο ς.

Sophocles vero, quamvis alias respiciat ad Herodotea, deorum invidiae nusquam facit mentionem, ut iam Muellenhoffius (l. l. p. 54) observavit sagacissime.

Cum theologumenis tragicorum eorum opiniones d e r e r u m n a t u r a atque o r i g i n e arctissime cohaerent: iam supra attulimus

---

deorum infitiatori, demum persuaderi deos esse eumque morientem quasi se ipsum consolari, quia semper deos coluisset (cf. Welcker. II p. 795 de Eur. Beller. fr. 311).

1) Cf. I 32, III 40 etc.

2) Nestleius p. 57 sq. illam *φθόνου θεῶν* notionem nimis arctis finibus mihi circumscripsisse videtur. Or. 971 sqq. eodem iure ad invidiam, non odium referre licet deorum, quos ideo domum Pelopidarum evertisse putat caterva, quod nimis fuisset *ζηλωτή*. Ceterum de invidia deorum conferatur Lehrsius, Populäre Aufsätze aus dem Altertum², Neid der Götter, p. 35 sqq.

locos Euripideos, quibus aether prorsus idem esse ac Iuppiter dicitur deorum supremus. Atque saepius apud Euripidem legitur ex aethere et tellure tamquam patre matreque omnia oriunda esse censendum; quo spectant praecipue

Chrys. fr. 839 *Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς Αἰθήρ,*
ὃ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ,
ἣ δ' ὑγροβόλους σταγόνας νοτίας
παραδεξαμένη τίκτει θνητούς,
τίκτει βοτάνην φῦλά τε θηρῶν·
ὅθεν οὐκ ἀδίκως
μήτηρ πάντων νενόμισται

et fr. inc. 1023 *Αἰθέρα καὶ Γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω.*

Ut autem aether tellusque inter se amplexentur, a Venere permoventur, tamquam tertia vi progenitrice naturae, ut Eur. fr. inc. 898 indicatur (cf. Nestle, p. 154: „Zu der Idee nun, dass die ganze organische Natur aus der Vermählung von Äther und Erde hervorgegangen sei, tritt in Fr. 898 noch der weitere Gedanke, dass diese Vermählung das Werk der Aphrodite sei, die somit hier als ein metaphysicher Begriff eingeführt wird"). Qua in sententia proferenda Euripidi iam praeisse Aeschylum e Dan. fr. 44 plane apparet: *Ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα, Ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν· Ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνατῆρος οὐρανοῦ πεσὼν Ἔδευσε γαῖαν· ἣ δὲ τίκτεται βροτοῖς Μήλων τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον. Δενδρῶτις ὥρα δ' ἐκ νοτίζοντος γάνους Τέλειός ἐστι· τῶν δ' ἐγὼ παραίτιος*[1]).

Sed non modo in theologumenis atque philosophumenis, ut ita dicam, Euripides interdum Aeschylo admodum similia protulit, sed etiam de minoris momenti rebus plane idem senserunt, velut de mulierum ingenio et condicione deque necessitudine inter eas virosque intercedente. Neque cuiquam ridiculum videbitur esse, quod hoc loco illud attingo, dummodo secum reputet, quantas in Euripideis dramatis partes agant mulieres. Atque iam multa disputata sunt de Euripide tamquam mulierum osore, qui tamen praeter Medeam, Canacen, Phaedram, Stheneboeam, Aeropam etiam Iphigeniam, Macariam, Alcestidem progenuit. Eos autem locos, quos iam supra passim attulimus ad Euripidis in mulieres odium et contemptionem spectantes, nunc iterum proferre nolim. Sed

1) Affert ea Nestleius ita, ut Euripideo loco placitum philosophorum agnosci debeat, cum ab Aeschylo inter mythologumena habeantur, quae proferat de Venere, cupidine, caelo, tellure (cf. p. 459, adn. 7, 463 adn. 22).

liceat ex aliis fabulis nonnulla depromere exempla satis luculenta: velut conferas ipsius Andromachae de suo genere verba

Andr. 269 ... δεινὸν δ' ἑρπετῶν μὲν ἀγρίων
ἄκη βροτοῖσι θεῶν καταστῆσαί τινα·
ὃ δ' ἔστ' ἐχίδνης καὶ πυρὸς περαιτέρω,
οὐδεὶς γυναικὸς φάρμακ' ἐξηύρηκέ πω
κακῆς· τοσοῦτόν ἐσμεν ἀνθρώποις κακόν,

dein Polymestoris illa

Hec. 1178 sqq. εἴ τις γυναῖκας τῶν πρὶν εἴρηκεν κακῶς
ἢ νῦν λέγων ἔστιν τις ἢ μέλλει λέγειν,
ἅπαντα ταῦτα συντεμὼν ἐγὼ φράσω·
γένος γὰρ οὔτε πόντος οὔτε γῆ τρέφει
τοιόνδ', ὁ δ' ἀεὶ ξυντυχὼν ἐπίσταται.

et Sthen. fr. 666 ὦ παγκακίστη καὶ γυνή· τί γὰρ λέγων
μεῖζόν σε τοῦδ' ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν;

Talia etiam apud Aeschylum inveniri, qui mulieres viris multo inferiores esse in Eumenidibus plane edixit, cum in aliis fabulis tum vel in Choephoris, e quibus ut luculentum exemplum iam supra attulimus vv. 585 sqq., nemo est, qui neget. Atque haud scio an non audacioris sit ex Eteoclis verbis, quibus lamentantes virgines vehementissime increpat

Sept. 181 sqq. ὑμᾶς ἐρωτῶ, θρέμματ' οὐκ ἀνασχετά,
ἦ ταῦτ' ἀρωγὰ καὶ πόλει σωτήρια...
... αὔειν, λακάζειν, σωφρόνων μισήματα;

colligere similiter atque illum, ipsum poetam sensisse de mulierum genere. Porro, etiamsi in Aeschyli tragoediis non tam insignes tenent locos, quam apud Euripidem obtinent mulieres, tamen sine ulla dubitatione affirmaverim iam ab Aeschylo tales in scaenam esse productas, quae Euripideis nullo modo cedant granditate, ut ita dicam, scelerum: Clytaemestram dico, Danaidesque maritorum interfectrices.

Atque, ut iam has indicii similitudines mittamus, non ita mirum est, quod Aeschyleae quodammodo similis evasit ars Euripidis: namque mirum quantum alter alterius prae se tulit externae vitae speciem admodum similem. Sophoclem quidem accepimus adeo felicem fuisse, ut non modo choro primum accepto victoriam reportaret ab aemulis, sed etiam per totam vitam aut prima aut secunda nusquam tamen tertium assequeretur tragicorum certaminum pretia. Quo multo tardius prosperos didascaliarum successus habuisse et Aeschylum et Euripidem satis constat.

Sophocles summos magistratus adeptus civiumque gratia usus quam maxima comicorumque vix petitus procacitate ac iocis, quid mirum, cur patriam nusquam fere reliquerit nisi ut imperator vel legationis princeps? Aeschylus contra et Euripides, uterque suae aetatis rei publicae gerendae rationem aegerrime ferens nec non offensus certorum quorundam civium malignitate, admodum senes urbem patriam reliquerunt Athenisque permigrarunt ad aulam peregrinorum regum nunquam illuc redituri: atque sua sponte, ut ita dicam, exulantes procul a patria mortui sunt post obitum demum accepturi dignam meritamque poematum laudem. Aristophanes vero comicus cum non sine magna suae artis licentia Aeschylum Euripidemque apud inferos de praemio dimicantes proferret, haud scio an necessitudines quasdam inter eos intercedere quasi divinarit [1]): nam cur non finxit a Mercurio Sophoclem in lucem educi?

Nimirum utriusque poetae ingenio inpressum deprehendes vestigium aliquod bellorum motuumque maximorum, quorum temporibus vixerunt, ita ut illum dicas belli Persici, hunc Peloponnesiaci poetam.

Neque vero Schwartzii sententiae, unde exorsi sumus in hoc libello astipulatus Euripidem Aeschyli propagatorem fuisse dixerim, sed potius instauratorem: rediit enim ad Aeschylum, cum Sophocles ab Aeschylo inventa inceptaque simili modo explicaret ut Socratis placita Plato, Platonis Aristoteles.

---

1) Hoc me Hirzelius monuit.

INDEX.

MONENDA.

Numeros in afferendis locis Aeschyleis etsi adhibui Weilianos, qui cum Dindorfio congruunt, tamen ideo non neglexi apparatum Wecklini, cuius a textu haud saepe recessi idque tum, cum res ferebat. Sophoclis subieci editionem Dindorfianam, quam retractavit Mekler, Euripidis adhibui editionem, quam fecerunt Wecklein et Prinz.

VITA.

Natus sum Otto Oskar Richard Krausse Rudolphopoli die XVII. mensis Octobris anni 1881, patre Oskar, matre Anna e gente Moeller, quos ambos veneror superstites. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus gymnasium patriae urbis, quod dicunt Fridericianum, novem per annos frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus vere anni 1900 adii universitatem litterarum Lipsiensem, ut operam navarem studiis philologicis classicis et germanisticis. Lipsiae quattuor semestria commoratus Ienam me converti, ut eadem continuarem studia. Ibidem etiam nunc sum civis academicus. Docuerunt me vvdd. Lipsienses: Brugmann, Hirt, Holz, Immisch, Lipsius, Marx, Sievers, Wachsmuth, Windisch, Wundt. Lipsiensi proseminario, quod moderabantur Immisch et Martini, interfui per tria semestria. Praeterea admiserunt me benevole ad exercitationes goticas Holz, ad sanscriticas Windisch. Ienae me docuerunt Cappeller, Delbrück, Dinger, Eucken, Gelzer, Goetz, Hirzel, Liebmann, Michels, Noack, Wilhelm. Scholis seminarii philologici Ienensis moderantibus Gelzer, Goetz, Hirzel per tria semestria interfui sodalis ordinarius, per unum subsenior. Moderante Michels prosemi-narii germanistici scholis interfui per annum; seminarii ab eodem temperati fui sodalis et senior duos per annos. Porro admiserunt me benignissime ad scholas de Ṛgveda habitas Cappeller et Delbrück, ad exercitationes bactricas Wilhelm, ad archaeo-logicas Noack. Quibus omnibus gratias ago quam maximas, praecipue autem Rudolfo Hirzel, cui quid debeam nunquam obliviscar.